SC.17.Pl.6.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO FEORENSE
37
26 B
13

MAG 127


DE CULTU SANCTORUM
DISSERTATIONES DECEM,
Quibus acceſſit Appendix de Cruce.

A U C T O R E
D. JOANNE CHRYSOSTOMO
TROMBELLI BONONIENSI,
Canonico Regulari Congregationis Rhenanæ Sanctiſſimi Salvatoris, atque Abbate.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.
P. O. M. DICATÆ.

TOMI II. PARS TERTIA

Complectens Diſſertationem X. & Appendicem de Cruce.



VITTORIO BIBLIOTECA IN ROMA

BONONIÆ, MDCCXLIII.

Ex Typographia Laurentii Martelli. *Superiorum Facultate.*

INDEX CAPITUM,

Quæ in hac tertia ſecundi Tomi parte, & in appendice *de Cruce continentur*, cum ſuis argumentis.

DISSERTATIO X.

CAPUT PRIMUM.

DE ANTIQUITATE HUJUS CONSUETUDINIS APUD HEBRÆOS. Exponimus quid de cultu ſacris imaginibus ab Hebrais adhibito ſentiamus, tum poſtea difficultates diſſolvimus, quæ adverſus ſententiam noſtram afferuntur. pag. 3.

C A P. I I.

De Veneratione cultuque ſacris imaginibus a Chriſtianis adhibito. pag. 12.

C A P. I I I.

Baſilii teſtimonium ab Adriano Pontifice, & Concilio Nicano II. jam pridem allegatum adducimus, & a Dallæi, aliorumque adverſariorum objectionibus vindicamus. pag. 20.

C A P. I V.

Quid judicemus de iis Chryſoſtomi teſtimoniis, quæ

allegari hoc ſuper argumento conſueverunt. Tum verba quædam ex Collatione Maximi Martyris cum Anaſtaſio allegamus. pag. 22.

C A P. V.

Alia afferimus eundem ritum comprobantia argumenta, quibus quidem probationes noſtras concludimus. pag. 24.

C A P. VI.

Adverſariorum objectiones aggredimur, atque hoc in capite iis ſatis fit, qui argumenta noſtra diſſolvere ſtudent. pag. 29.

C A P. VII.

Ea aggredimur argumenta, quibus directe perſuaſionem noſtram impetunt, atque hoc in capite ſatisfacimus iis, quæ ex Juſtino, & Tertulliano adverſus nos intorquent. pag. 32.

C A P. VIII.

Iis occurrimus, quæ ex Origene, ex Athanaſio, ex iis in Pauli Epiſtolas commentariis, quæ aliquando Ambroſio tributa ſunt, iis denique, quæ ex Philoſtorgio deſumuntur. pag. 35.

C A P. IX.

Quædam Hieronymi verba objiciuntur, & explicantur. pag. 39.

C A P. X.

Affertur Auguſtini valde celebre teſtimonium; ad quod quidem illuſtrandum aliò Lectorem amandamus. Multa tamen addimus, quibus explicatio alibi allata confirmetur, ac roboretur. pag. 44.

CAP.

CAP. XI.

Exponimus quid ſentiamus de duobus valde nobilibus Gregorii Magni teſtimoniis. pag. 46.

CAP. XII.

Afferimus, & diſſolvimus ea, quæ a Synodo, Conſtantinopoli, imperantibus Leone, & Conſtantino Copronymo, coacta, ea inſuper, quæ ex Concilio Gentiliacenſi & Francofordienſi adverſus imaginum cultum deſumunt. pag. 56.

CAP. XIII.

De Carolinis libris agere incipimus, atque hoc quidem in capite ea argumenta recenſemus, quibus præclariſſimi viri inducti ſunt, ut putarent, ab hæretico aliquo eos fuiſſe confictos. pag. 63.

CAP. XIV.

Eorum aggredimur argumenta, qui cenſent, Carolo Magno tribuendos eſſe eos libros. pag. 69.

CAP. XV.

Eos libros Carolo M. adjudicandos eſſe, nobiliſſimæ Hadriani Pontificis epiſtolæ, cujus nuper meminimus, teſtimonio expreſſius oſtendimus. Atque ab hac quidem probatione occaſione deſumpta, multa de eadem epiſtola tradimus; atque hic ſtatim ejuſdem epiſtolæ capita cum librorum Carolinorum capitibus conferimus. pag. 74.

CAP. XVI.

Superioribus argumentis probationem aliam, ac conjecturas quaſdam ſane non contemnendas adjungimus: quibus adhuc oſtenditur, non cuipiam hæretico, ſed Carolo M. adſcribendos eſſe eos, de quibus agimus, libros. pag. 86.

CAP.

CAP. XVII.

Quid reponi ſoleat ad eas probationes, quibus innituntur ii, qui a Carolo Magno eos libros abjudicant. *pag.* 89.

CAP. XVIII.

Cur Carolini *dicantur hi libri.* *pag.* 95.

CAP. XIX.

Ea probationum capita adducimus, quibus moventur illi, qui putant, ab imaginum cultu omnino abhorruiſſe Carolum Magnum, ſi is Carolinorum librorum eſt auctor. *pag.* 99.

CAP. XX.

Ea expendimus, quæ ſuperiori capite allata ſunt, & de ſenſu, ſententiaque auctoris librorum illorum judicium ferimus. *pag.* 110

CAP. XXI.

Quanta auctoritatis, atque exiſtimationis ſint ii, de quibus hactenus diſſeruimus, libri: *pag.* 215.

CAP. XXII.

De Synodo Pariſienſi, imperante Ludovico Pio, adverſus imaginum cultum coacta. *Poſtquam indicavimus annum, quo ea Synodus celebrata eſſe dicitur, recenſentur potiſſima, quæ de ea inſtituuntur quæſtiones potiſſimum vero quæritur:* num ementita ſit ea Synodus, & ab hæreticis confictа ea ſcripta, quæ eidem Synodo tribuuntur. *pag.* 117.

CAP. XXIII.

Quibus rationum momentis refellatur ea opinio, quam ſuperiori capite retulimus. *pag.* 125.

CAP. XXIV.

Aggredimur argumenta Capite XXII. adducta. *pag.* 130.

C A P. X X V.

Speraſſe quidem Galliarum Antiſtites, ſeu, ſi vis, Ludovicum Imperatorem a Nicani II. atque Hadriani anteceſſoris illius ſententia ſe poſſe Eugenium abducere: at, ut id aſſequerentur, callida, ſed non inhoneſta conſilia adhibuiſſe. pag. 134.

C A P. X X VI.

Argumenta §§. *VI. VII., & VIII. Capitis XXII. propoſita diſſolvimus.* pag. 139.

C A P. X X V I I.

Solvimus duo poſtrema argumenta, quibus creditum eſt evinci, ſuppoſita eſſe, atque ementita ea ſcripta. pag. 143.

C A P. X X V I I I.

Paucis complectimur ſumma capita probationum, quibus ſeverior opinio, erroris accuſans Pariſienſes Patres, innititur. Probationibus iis opponimus argumenta, quibus inducuntur alii, ut ab errore eoſdem Patres vindicent. pag. 147.

C A P. X X I X.

Recenſentur reſponſiones, quæ argumentis a rigidiore ſententiâ adductis adhiberi conſueverunt, ac ſtatim diſſolvuntur ea, quæ primùm fuere propoſita. pag. 152.

C A P. X X X.

Cujus auctoritatis ſit ea Synodus, de qua hactenus diſſeruimus. Levem admodum eſſe hujus Synodi auctoritatem primùm pronunciamus, tum paucis innuimus, quid de reliquis Gallis eorum temporum Scriptoribus dicendum ſit. pag. 157.

CAP.

CAP. XXXI.

Diſſolvuntur ea, quæ ex vetuſtis Scriptoribus, nihil materiale, aut inanimum coli a nobis poſſe affirmantibus, deducuntur. pag. 159.

CAP. XXXII.

Diſſolvuntur ea, quæ ex auctoritate Armenorum, atque Alemannorum imaginum cultui (referente Niceta hiſtorico) obſiſtentium, objiciuntur. pag. 160.

De iis modis, quibus veneratio Sacris Imaginibns adhiberi conſuevit. pag. 165.

CAP. XXXIII.

De ea conſuetudine, quæ nobis eſt, ut Sacras Imagines proponamus ad venerandum. pag. 166.

CAP. XXXIV.

De eo ritu, quo honorifice in publicis Supplicationibus, & , uti eas appellare conſuevimus, Proceſſionibus, ſacras imagines deferimus. pag. 169.

CAP. XXXV.

Vindicamus ab objectionibus eum, de quo nuper diſputavimus, ritum. pag. 173.

CAP. XXXVI.

De more, quo Catbolici ſacris imaginibus oſcula figunt: ante eas genua flectunt, ac proſternuntur. pag. 177.

CAP. XXXVII.

De more, quem Catbolici ſervant, dum ante Sanctorum imagines cereos, & alia lumina accendunt: thus quoque, aliaque odora concremant, adolentque. pag. 181.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De Genere, ac qualitate Venerationis Sanctorum Imaginibus adhibitæ. *Exponuntur varia de genere, ac qualitate venerationis Sanctorum Imaginibus adhibitæ, opiniones. pag.* 187.

CAP. XXXIX.

Recenſentur fundamenta ſecunda, & tertia ſententiæ. pag. 191.

CAP. XL.

Referuntur fundamenta poſitiva poſtremæ ſententiæ, illius ſcilicet, quæ relativum tantummodo cultum imaginibus adhibendum ſtatuit. pag. 198.

CAP. XLI.

Afferuntur in eandem ſententiam egregii Scholaſtici. pag. 213.

CAP. XLII.

Aggredimur argumenta Capite XXXIX. allata, quibus, uti diximus, ea ſententia innititur, quæ aliquo abſoluto cultu ſacras imagines proſequitur. pag. 220.

CAP. XLIII.

Reliqua argumenta Capite XXXIX. propoſita diſſolvimus, ideoque ea, quæ ex auctoritate adverſus nos urgent. pag. 233.

CAP. XLIV.

De hactenus expoſitis opinionibus judicium ferimus. pag. 239.

CAP. XLV.

De probitate cultus Sacris Imaginibus delati. pag. 241.

DE CRUCE

APPENDIX.

pag. 251.

SECTIO I.

CAPUT UNICUM.

Recenſentur hoſtes Dominicæ Crucis. *pag.* 252.

SECTIO II.

De Cruce, in qua re ipſa pependit Chriſtus. *pag.* 257.

C A P. I.

AN REPERTA ALIQUANDO FUERIT EA CRUX, IN QUA RE IPSA PEPENDIT CHRISTUS. Probatiſſimis monumentis oſtenditur, imperante Conſtantino Magno, fuiſſe repertam. *ibid.*

C A P. II.

Aggredimur objectiones, & hoc quidem in capite diſſolvimus argumentum, quod ab Euſebii, & ceterorum Conſtantini æqualium ſilentio repetunt. *pag.* 264.

C A P. III.

Expendimus conjecturas, quibus adverſarii innituntur, ut Dominicam crucem minime repertam affirment. *pag.* 268.

CAP.

CAP. IV.

Ea afferimus, ac diſſolvimus, quæ tum a nobiliſſimo Gelaſii Decreto, tum a notis, atque indiciis quibuſdam repetunt, quibus dubia, atque adeo ſpuria, fallaceſque narrationes a certis, ſinceriſque ſecerni ſolent. pag. 272.

CAP. V.

Solutiones ab adverſariis probationibus noſtris adhibitas proferimus, & refutamus. pag. 281.

CAP. VI.

Eorum expendimus argumenta, qui confićta fuiſſe ajunt, vetuſtiſque Patribus temere, atque imprudenter adſcripta ea, quæ a nobis allata ſunt, teſtimonia. pag. 288.

CAP. VII.

Alia adduntur argumenta, quibus Dominicam Crucem inventam fuiſſe, rurſus evincitur. Horum primum (cui caput hoc aſſignamus) deſumitur tum a mentione, quam Veteres faciunt particularum Dominicæ Crucis; tum a ſummo illo ſtudio, quo priſci etiam Chriſtiani ejuſdem Dominicæ Crucis particulas ſibi compararunt. pag. 292.

CAP. VIII.

Ea afferimus, & diſſolvimus, quibus monumenta ſuperiori capite adducta eludere atque enervare ſtudent Proteſtantes. pag. 298.

CAP. IX.

Feſtos, ſolemneſque dies in inventæ Crucis memoriam jam pridem fuiſſe ab Eccleſia inſtitutos. pag. 301.

C A P. X.

Eandem Crucem a Perſis Hieroſolymis ablatam, fuiſſe deinceps, victo Choſroe Perſarum Rege, eidem urbi reſtitutam. pag. 304.

C A P. X I.

De cultu adhibito eidem Cruci. *Chriſti fideles Dominicam Crucem jam dudum veneratione proſecutos fuiße, eundemque morem deinceps ſervaſſe, monumentis valde probabilibus oſtendimus.* pag. 306.

C A P. X I I.

Iis occurrimus argumentis, quibus delatum a Pontificiis Dominicæ Cruci honorem ac cultum impetunt Proteſtantes. pag. 316.

C A P. X I I I.

Recte, prudenterque inſtitutum eſſe eum, de quo agimus, ritum, quo ſcilicet Dominicam Crucem colimus. pag. 322.

C A P. X I V.

Quale genus cultus deferendum putemus Dominicæ Cruci. pag. 326.

SE-

SECTIO III.

De Imagine conſiſtente Dominicæ Crucis. *pag.* 329.

CAP. I.

AN APUD VETERES FIDELES IN USU FUERINT ÆRE, AUT LIGNO, SIMILIVE MATERIA CONSISTENTE EFFORMATÆ CRUCES. Vetuſtiſſimos Chriſtianos retinuiſſe apud ſe Crucis Imagines, eaſdemque quoque, cum licebat, in locis publicis erexiſſe. *ibid.*

CAP. II.

Num in ſacris ipſis locis ſervatæ fuerint Crucis imagines? Affirmanti opinioni adhæremus. *pag.* 335.

CAP. III.

Iis argumentis occurrimus, quibus permotus Dallæus a ritibus ſacris exulaſſe ait Cruces qualibet ex materia formatas. *pag.* 345.

CAP. IV.

De adoratione imaginibus Crucis adhibita. *Num priores Chriſtiani Dominicæ Crucis imagines coluerint? Tertulliani teſtimonium, quo ad vindicandum cultum imagini Crucis adhibitum utitur Bellarminus, expendimus.* *pag.* 353.

CAP. V.

Expenditur aliud Bellarmini argumentum ad ſta-

tuen-

tuendam antiquitatem cultus delati imagini Crucis. pag. 360.

C A P. V I.

Idem argumentum proſequimur, aliiſque adductis monumentis, antiquiſſimis ipſis Eccleſiæ ſeculis cultam fuiſſe a Chriſtianis Dominicæ Crucis imaginem, atque hunc morem deinceps fuiſſe continuatum, evincimus. pag. 364.

C A P. V I I.

Occurrimus quibuſdam Dallæi conjecturis adverſus antiquitatem hujuſce ritus. pag. 370.

C A P. V I I I.

Celebratiſſima quædam Minucii verba objiciuntur, & illuſtrantur. pag. 373.

C A P. I X.

Laudabilem eſſe cultum imaginibus Dominicæ Crucis adhibitum. pag. 374.

C A P. X.

De genere, ac qualitate cultus imaginibus S. Crucis adhibiti. Cultum hunc relativum eſſe pronunciamus. pag. 376.

SE-

SECTIO IV.

De Cruce, quam tranſeuntem appellamus, ea ſcilicet, quam manu in fronte, vel reliquo corpore, atque aliis etiam in rebus deſignare ſoliti ſumus. pag. 379.

C A P. I.

Vetuſtiſſimam eſſe, & ad apoſtolica ipſa tempora referendam: uſitatiſſimam quoque apud Chriſtianos eam fuiſſe conſuetudinem, qua Crucem manus agitatione in fronte, ac reliquo corpore, vel aliis etiam in rebus efformamus. pag. 380.

C A P. I I.

Eodem ſigno Crucis uſos fuiſſe Fideles præſertim in Sacramentorum adminiſtratione. pag. 387.

C A P. I I I.

De Myſteriis in Crucis ſigno comprehenſis, ubi diligenter, copioſeque de iis agimus verbis, quæ comitari illud ſolent. pag. 393.

C A P. I V.

De Pietate in eo ſigno inhærente. pag. 400.

C A P. V.

De Utilitate ſigni Crucis manus motione formata. pag. 403.

C A P. V I.

Diſſolvimus paucas quaſdam Proteſtantium objectiones. pag. 406.

Vidit

Vidit D. Aurelius Caſtanea Clericorum Regularium Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. Papa, & Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 21. *Aprilis* 1741.

Ad Ad. R. P. Lectorem Publicum Alexandrum Cialli, Ordinis Cœleſtinorum, ut videat, & referat pro S. Officio.

Fr. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

Vidit D. Alexander Cialli, Lector publicus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ in Bononienſi Univerſitate, pro Sancto Officio.

Stante hac atteſtatione.

Die 20. *Januarii* 1742.

Fr. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

DISSER-

DISSERTATIO X.

DE ADHIBITA SACRIS IMAGINIBUS VENERATIONE.

Exponuntur ſumma capita præſentis Diſputationis, & exhibetur ordo, quo illa tractabitur.

P*Rimam circa ſacras imagines laboris partem exegimus, dum eas efformari, & tum apud nos, tum in templis etiam, multo cum emolumento, retineri poſſe oſtendimus. Supereſt altera, eaque gravior, & difficilior portio, quæ ſcilicet adhibitam iiſdem imaginibus venerationem, ac cultum vindicat. Illi enim ipſi inter Proteſtantes, qui Catholicis in priori diſputatione non multum obſiſtunt, nobis ſuccenſent maxime, quòd ſacras imagines cultu, ac veneratione afficiamus:* [*] *temere ſane, & imperite, ſi quid habent virium argumenta, quæ ad adſtruendum Sanctorum cultum attulimus: quippe imaginum cultus* [*ut deinceps luculenter oſtendam*] *ad Sanctos ipſos ita*

(*) Dallæus *de imagini.* lib. 3. cap. 4. ſub finem: pag. 329. editio. Genev. 1641.

ita dirigitur, ut ad eos unice feratur; non in imaginibus ipſis ſiſtat. Ita vero materiam uberrimam diſtribuam, ut in ipſo primo capite de antiquitate hujus conſuetudinis apud Hebræos diſſeram; ideoque inquiram, num Hebræi ſacras imagines venerati ſint. Tum deſcendam ad probationes eas, quibus innoteſcat, jam pridem perſtitiſſe, tum continuatum fuiſſe in Eccleſia morem, quo ſacras imagines veneramur: atque hunc quidem deinceps ab adverſariorum objectionibus copioſe vindicabimus. Tertiam hujuſce diſſertationis partem aſſignabo modis variis, quibus veneratio ſacris imaginibus defertur. Agam quarto de illius genere, ac qualitate. Agam denique de probitate in eodem cultu inhærente.

DISSERTATIO X.

CAPUT PRIMUM.

DE ANTIQUITATE HUJUS CONSUETUDINIS APUD HEBRÆOS.

Exponimus quid de cultu ſacris imaginibus ab Hebræis adhibito ſentiamus, tum poſtea difficultates diſſolvimus, quæ adverſus ſententiam noſtram afferuntur.

I. CUm multa de adhibita ab Hebræis, ſacris imaginibus veneratione quærantur, illud in primis eſt, nũ imagines aliquas ii colere potuerint. Quo conſtituto rurſus inquiritur, num aliquas coluerint. Quod ſi ita eſſe vis, quænã eæ fuerint, tertio inveſtigatur. Demum quonam cultus, atque honoris genere affectæ eæ fuerint. En ſumma capita ſuſcipiendæ diſputationis.

II. Ut a prima quæſtione exordiar, illorum ſane opinionem condemnare non audeo, qui ajunt, nullo præcepto impeditos fuiſſe Hebræos, quo minus imagines eorum colerent, quos ipſos colere ſine ulla reprehenſione poterant: eo ipſo ſcilicet cultus genere, quo earum imaginum prototypa colebant. Hinc affirmare minime vereor, extantibus in templo Cherubinorum imaginibus aliquem ſacrum honorem deferre eos potuiſſe, quo ſcilicet iidem Cherubini colerentur veluti miniſtri Dei; atque hic quidem cultus longe divino inferior, ipſi divino cultui nihil detrahebat.

III. Hæc porro ad reliquas quæſtiones mea eſt reſponſio. Aliquæ quidem ab Hebræis cultæ fuere imagines: legis ſcilicet tabulæ: arca, & Cherubin eam obvelantes. Num vero Cherubinis ipſis (ab aliquibus ſal-

tem) deferrentur obſequia, quæ procul dubio eorum imaginibus deferebantur, valde dubium arbitror, atque incompertum.

IV. Atque ut primum affirmem, cogit me auctoritas Athanaſii (ſi Athanaſius is eſt, cui debemus librum, quem *Quæſtiones*, & *Reſponſiones ad Antiochum* inſcribi mos eſt:) quippe in eo teſtimonio, quod mox exſcribam, docet, *Judæum olim legis tabulas*, & *duos Cherubin aureos*, & *ſculptiles adoraſſe*, *non lapidis*, *aurique naturam colendo*, *ſed Dominum*, *qui ut ea fierent*, *præceperat*. Conſentit huic Scriptori Leontius. (*)

V. Atque hæc quidem SS. Patrum loca ad eam etiam propoſitionis meæ partem deduci facile poſſunt, in qua dixi, dubium eſſe, atque incompertum, num Cherubinis ipſis deferrentur obſequia, imaginibus eorum delata; video ſcilicet præclaros hos Scriptores teſtantes, directa ad Deum fuiſſe obſequia Cherubinis adhibita; at minime teſtantes video, adhæſiſſe, ut ita loquar, aliqua ex parte Cherubinis ipſis ea obſequia: immo nullum e vetuſtis Patribus reperi, qui id affirmet. Porro ſilentibus vetuſtis omnibus, res valde anceps, & dubia relinquitur.

VI. Me vero ad negantem partem inclinant non modo verba illa SS. Patrum, quæ nuper attuli, ex quibus aſſequimur, ideo factos fuiſſe Cherubinos illos, ut in iis Dominus adoraretur: (de cultu vero atque honore Cherubinis ipſis in eorum imaginibus adhibito, prorſus ſilent) verum etiam apertiſſima Procopii Gazæi præclari ſane, & priſci Scriptoris (*a*) ſententia, quam hic referre valde conveniens puto. En illam. *Quidam quærunt* (*b*), *ſi Deus adeo deteſtatur imagines*, *quare Cherubin fingere voluit*. *Reſpondetur*: *non juſſit fieri Cherubin*, *ne adorarentur*, *ſed arca adoranda erat*. Et revera erant Cherubin veluti acceſſio quædam, & ornamentum arcæ, quæ interdum ſcabellum pedum dicitur Domini illius, *qui ſedet ſuper Cherubin*.

VII. Aperte id quoque tradere videntur Tertullianus, (*c*) dum docet ſimplicis ornamenti cauſa appoſitos fuiſſe Arcæ Cherubinos, (ideoque non ut colerentur.) *Sic & Cherubin*, & *Seraphin aurea in arcæ figuratum exemplum*, *certe ſimplex ornamentum accomodata ſuggeſtui*; & Severianus Gabalitanus, dum *in figuram*, & *umbram* hæc facta ait. (*)

(*) Apud Damaſce. orat. 1. *de imagi.* pag. 326. editio. le Quien. *Habebas* (o Judæe) *obumbratum a Deo tabernaculum. Quin etiam univerſa hac die, noctuque adumbrabas, dicens: Gloria tibi ſit, qui ſolus omnipotens es Deus, qui per hac omnia, res mirabiles feceris in Iſrael: Si vero per omnia hac, . . . procidens Deum adorabas, vides Deo per imagines adorationem exhiberi.*

(*a*) floruiſſe is creditur anno 530.

(*b*) ad Caput Exodi 30.

(*c*) lib. 2. *contra Marcionem* cap. 22.

(*) allegat Damaſcenus oratio. 1. *pro imagini. in teſtimoniis* pag. 327. *Et quemadmodũ tabernaculum compegi*, & *ea, qua in ipſo ſunt; Cherubin quoque inviſibilium rerum ſimilitudinem referentia, ut ſancta adumbrarent, expandi, in ſignum, figuramque futurorum.*

VIII.

VIII. Tamen pondus aliquod apud me habet illorum illuſtrium Scriptorum auctoritas, qui cenſent, ipſis Cherubinorum imaginibus convenientem aliquem cultum (ab aliquibus ſaltem) fuiſſe delatum: probabilis enī eorum ſententia ex eo etiam efficitur, quod Cherubini ipſi veneratione digni erant. Cur ergo coli non poterant: præſertim cum noverimus, ab Hebræis ipſis cultos interdum fuiſſe Angelos? (*) Porro eorum, qui coli ipſi poſſunt, imagines etiam coli poſſunt, ſeu (quod eôdem recidit) ipſi in ſuis imaginibus coli poſſunt) niſi forte præcepto aliquo prohibeamur, ne ſic colamus. Quodnam porro præceptum affers, quo prohiberentur Hebræi, ne Cherubinos in eorum imaginibus colerent? At hæc ipſa minime mihi perſuadent, certa hujuſce cultus extare monumenta; multa enim Hebræi agere poterant (nullo ſcilicet eos prohibente præcepto) quæ tamen egiſſe non probas. En cur valde dubium, atque incompertum putem, num Cherubinis ipſis (ab aliquibus ſaltem) ea deferrentur obſequia, quæ procul dubio eorum imaginibus deferebantur.

(*) Vide dicta diſſer. 4. cap. 1.

IX. At ſtatim inſurgunt, qui ſecus ſentiunt; contendūtque primo nonnulli, valde probabilia extare argumenta, quibus quidem conſtet, interdictum fuiſſe Hebræis, ne ullas imagines colerent. Nimirum nimis periculoſum futurum fuiſſe ajunt Hebræis in Idololatriam valde proclivibus, ſi permiſſum fuiſset eis aliquas Creaturarum imagines colere. Ut enim concedamus (quod multi negant) potuiſse creaturarum imagines efformare, & loco ſublimi collocare, quis fatebitur, permiſsum illis fuiſse a Deo imaginum cultum, niſi fateri etiam velimus, permiſſum fuiſſe illis *periculum proximum* idololatriæ, atque adeo incitamentum ad illam? Tum expreſſam (ut his quidem videtur) S. Thomæ auctoritatem objiciunt. Ecce illam (*d*). *Similitudines Seraphim non ponebantur ad cultum, quod prohibebatur primo legis præcepto, ſed in ſignum miniſterii* (quod deferunt Deo Cherubini, & reliqui Angeli). Cenſet itaque S. Thomas, Hebræis fuiſſe interdictum adorare Cherubinorum imagines, atque eas quidem *in ſignum tantummodo miniſterii* ſuper arcam formatas putat.

(*d*) 1. 2. quæſt. 102. ar. 4. ad 6.

X. Abſit tamen, ut hæc me terreant. Minime interdictas fuiſſe Hebræis imagines, quæ periculoſæ non ſo-

forent, alibi oſtendi, (*e*) atque ad eum quidem locum Lectorem allego.

(*e*) diſſer. 9. cap. 8.

XII. At periculum non leve fuiſſet (inquis) in permiſſione ipſa cultus, qui imaginibus deferretur. Si imagines omnes coli Deus permiſiſſet, anſam, me quidem judice, præbuiſſet Hebræis ſuperſtitioſi cultus: permiſiſſet enim coli idola, ideoque ipſam ipſiſſimam fovisset idololatriam. At ſi permiſit imagines Cherubinorum illorum coli, quorum ipſa ſpecies, & forma miniſtros Dei, & obſequium illi exhibentes, repræſentabat, ea permiſſio videbatur potius ab idololatria abducere, illumque tantum modo deferri cultum ſinebat, quem ſpiritibus valde præſtantibus *Dei miniſtris*, illique inſervientibus adhiberi nihil vetat.

XII. Atqui multo aliter ſenſit (inquis) S. Thomas. Non ego quidem in ea ſum opinione, in qua nonullos eſſe video, ut ſcilicet hujuſce S. Doctoris auctoritatem deſpiciam, quem plurimi quidem ego facio, & ſummum in modum ab omnibus æſtimari vehementer cupio. At accipe vocem *cultus rigoroſe*: quatenus ſcilicet denotat adorationem Deo debitam: difficultatem tum plane ſuſtuliſti. Accipitur vero aliquando ad hunc modum ab Auguſtino, (*) quem ſæpe imitatur S. Thomas, vox hæc *cultus*. Reſponſionem hanc amplificat Eminentiſſimus Capiſuccus, (*f*) qui tamen ſi mitius adverſus ingenioſiſſimum Vaſquem diſputaſſet, majorem fortaſse laudem obtinuiſset.

(*) in ſerm. *SS. Fructuoſi &c.* in ſerie 283. n. 9. *Veneramini Martyres, laudate : .. Deum Martyrum colite.*

(*f*) *de cultu ſacrarum imaginum* §. 6. pag. 599.

XIII. At ea etiam argumenta aggrediamur, eſt opus, quibus reliquas aſsertionis noſtræ partes impetunt. Hic porro ſtatim ea afferunt vetuſtorum Patrum teſtimonia, quibus, ſi adverſariis (*) credimus, Angelorum imaginibus cultum delatum fuiſse intelligimus. Proferunt itaque hæc Hieronymi verba. (*g*) *Venerabantur quondam ſancta Sanctorum, quia erant Cherubin, & Propitiatorium, & arca teſtamenti, manna, & virga Aaron, & altare aureum*. Cherubinis igitur ipſis adhibebatur veneratio a Judæis, qui ideo reliqua a Hieronymo commemorata, Arcam ſcilicet, manna, Virgam Aaron, & altare aureum colebant, quia propinqua Cherubinis erant, adeo ut ad Cherubinos ferretur *ex primaria intentione* (ſic enim cum Scholaſticis loqui pla-

(*) Sander. *de imagi.* li. 2. cap. 3. pag. 136. Capiſuccus &c.

(*g*) in ea epiſtola, quam Paulæ, & Euſtochii nomine *Marcella* ſcripſit; eratque olim 17. in Veronenſi editione 46. eſt n. 5.

placet ·) veneratio; ad reliqua veluti *per accidens*, *& ſecundario*. Idem Hieronymus apertius id tradit *in quæſtionibus* ad Algaſiã (*h*): teſtatur ſcilicet, Hebræos, qui primùm in tẽplo Cherubinos convenienti honore fuerant proſecuti, deinceps honore divino, ideoque idololatrico, eoſdem Cherubinos affeciſse. (*) Urgent inſuper hoc Damaſceni teſtimonium. (*i*) *Quam ob rem Moſaicus populus tabernaculum, quod cæleſtium rerum, immo univerſæ Creaturæ imaginem, & figuram gerebat, prorſus adorabat* ... *Quin Cherubin illa, quæ Propitiatorium odumbrabant*. Adorabant itaque, Damaſceno judice, Cherubinos Hebræi. Quid quod imago quædam erat ſerpens ille æneus, qui Dei juſsu a Moiſe in deſerto *exaltatus*, atque adeo cultus eſt: (*k*) ideoque materiæ erat multo deterioris auro, quo tecti Cherubim, (*l*) venerabiliores, ut ita loquar, reddebantur, & ad excipienda obſequia accomodatiores? Cur ergo demptum iiſdem Cherubinis cultum dices?

(*h*) in epiſto. olim 151. nunc 121. quæſ. x.

(*) *& quaſcumque offerunt victimas, ſed Angelis refugis & Spiritibus immundis*.

(*i*) lib. 4. *de fide Orthodoxa* cap. olim 17. in editione P. Lequien. 16.

(*k*) Num. 21. cap. 21. v. 8. &c.

(*l*) Exo. 25. 18.

XIV. Ad hæc: ſic fere argumentatur Eminentiſs. Capiſuccus (*m*). Patres Nicæni II. ut cultum Sacrarum imaginum aſseverent, adorationem Cherubinis olim adhibitam allegant. (*n*) *Noverint, qui ejuſmodi ſunt, quia Cherubin, & propitiatorium, arca, & menſa, quæ Moyſes Sacratiſſimus divino præcepto conſtruxit, manu facta erant, & adorabantur*.

(*m*) *in Controv. ſelectis, de cultu Sacra. imagi.* §. 7. pag. 601.

[*n*] act. 3.

XV. Rurſus Patriarcha Tharaſius (*o*) „ *Si vetus* (teſtamentũ) *habebat Cherubim obumbrantia propitiatorium*, „ *& nos icona Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorumque ipſius habeamus obumbrantes altare*. Et magnificentiſſimi Principes dixerunt. Veraciter Dei præceptio eſt. „ Quibus quidem conſtitutis, ſic diſseritur. Si imagines Virginis Deiparæ, & Sanctorum circum altare poſitæ venerationem peculiarem obtinere merito poſsunt, non illam tantum', quæ toti altari defertur: quis negabit, Cherubinorum imagines Arcæ adhærentes, cultũ peculiarẽ, ac ſuũ, nec communẽ Arcæ toti, aſsequi potuiſse? Hinc Eſtius (*p*): *Sicut arca* (inquit) *uti Sanctum principale, ita & Cherubin deſuper extenti in eo loco honorati fuerunt, non ut pro diis haberentur, ſed quod divinam præſentiam accedentibus velut repræſentarent: inde enim Dominus dabat reſponſa, ut Scriptura teſtatur.*

(*o*) act. 4. Omittimus porro ſecundũ Capiſucchi argumẽtum, quo ſcilicet adductis Leontii Epiſcopi Neapoleos Cypri verbis, comprobat ſacras imagines efformari poſſe: ea quippe de re nunc non agimus.

(*p*) *in difficiliora Scripturæ loca*: ad caput 25. Exodi. in verba illa: *duos quoque Cherubin aureos facies*.

XV.

XVI. Eadẽ traduntur actione V. (q) Porro nullã vi hæ rationes haberent, niſi putaſſent Patres, peculiarẽ cultũ imaginibus Cherubinorum fuiſſe delatum: nunquam enim Chriſtianum inter, & Judæum diſceptatum eſt, num Cherubinorum imagines *coadoratæ fuerint per adorationem totius propitiatorii* (cujus imagines illæ vel partes erant, vel ornamentum) ſed lis tota agebatur, & agitur, num peculiaris, ac diſtincta adoratio eorumdem Cherubinorum imaginibus deferretur a Judæis, an non: id negante Judæo, affirmante Chriſtiano.

(q) *in diſputatione Judæi, & Chriſtiani.* pag. 1007.

XVII. Denique vidimus alibi (r), Sanctorum reliquias ſacrum honorem obtinuiſſe ab Hebræis: ex qua quidem re conjicere merito poſſumus, Sanctorum etiam imagines parili honore fuiſſe affectas. An porro vis, Sanctorum veſtes, & cadavera fuiſſe ab Hebræis in honore habita, contemtas vero eas Angelorum imagines, quæ Dei juſſu a Moyſe formatæ fuerant, quæque veræ [licet typicæ, & ænigmaticæ] Angelorum imagines erant?

(r) diſſer. 8. cap. 1.

XVIII. Et hæc quidem videtur fuiſe ſententia illorum Græcorum Doctorum, quibus eum librum tribuis, qui *Confeſſio Eccleſiæ Orientalis* inſcribitur: (ſ) ſcilicet, vertente Laurentio Normaño, hæc in ea occurrunt: (*) *Patet igitur, adorationem ſacrarum imaginum, in orthodoxa Eccleſia receptam, nihil huic præcepto derogare: quippe quæ non una, eademque illa eſt, quam Deo tribuimus . . . . ſed perſonis Sanctorum illorum, quos imagines referunt. Quemadmodum enim Cherubim, qui tabernaculum fœderis inumbrarunt, genuinos ipſos Cherubim, qui in cælo Deo apparent, repræſentabant; & adumbratos tamen illos adorabant Iſraelitæ, ac venerabantur &c.* Nonne verbis iis: *Sed perſonis Sanctorum illorum: Quemadmodum enim Cherubin &c.* ad Cherubinos ipſos, honorem eorum imaginibus adhibitum, relatum fuiſſe docent, ſicut nunc honor Sanctorũ imaginibus adhibitus, ad Sanctos ipſos dirigitur, & refertur?

(ſ) editus eſt liber iſte Lipſiæ a Laurẽtio Normaño anno 1695., multiſque laudibus tum quidẽ ab aliis, tum certe a Clariſs. Le-brun extollitur (tom. 2. *Rer. Liturgi:* diſſer. 6. ar. 5. pag. 206. editio. Italicæ Veron. 1737.)

(*) quæſ. 55. pag. 328.

XIX. Quid nos ad hæc? Nimirum Hieronymus in eo, quem primùm objicis, loco, minime docet, Cherubinis ipſis adhibitum fuiſse cultum; ſed tantum docet, eum locum, *ubi Cherubini erant, & propitiatorium, & arca teſtamenti, & virga Aaron, & altare aureum*, in veneratione fuiſſe habitum ab Hebræis, quod non invi-

tus

tus fateor: erant ſcilicet hæc indices divinæ Majeſtatis eo in loco ſe manifeſtantis, & (ut Scholaſticorum phraſibus utar) *erat determinativa* loci, quem elegerat Deus, ut in eo coleretur. An manna, an virgam Aaron peculiari cultu affecta dices, quod hæc ipſa Hieronymus memoret? Minime vero. Non itaque Cherubinorum imagines peculiari cultu affectas dices, quod eas Hieronymus memorat, dum locum indicat, quem venerabilem divina electio effecerat.

XX. Nec difficilior ad ſolvendum videtur eſſe alter Hieronymi locus. Docet ſcilicet in eo Hieronymus, honorem quidem divinum delatum fuiſſe Angelis in templo ipſo a quibuſdam improbis Hebræis; ſed minime docet, ad id fuiſse permotos ab aſpectu Cherubinorum arcam obvelantium, aut a vetuſta quadam conſuetudine, qua eoſdem Cherubinos in eorum imaginibus colerent: Immo (nec fallimur) idololatricum eum cultum, de quo ſermonem habet, Angelis improbis eo tempore delatum fuiſse ait, quo ab Hebræorum conſpectu ſublata fuerat Arca. (*)

XXI. Quid vero de Damaſceno dicendum eſt? Ad eum ferme modum obiectus S. Doctoris locus eſt explicandus, quo priorem Hieronymi locum explicandum diximus. Sibi porro diſsolvendum propoſuerat Damaſcenus argumentum illud, in quo maxime confidebant Iconoclaſtæ, ex eo deſumtum, quod nullam creaturã, nullum manuum humanarum opus adoratione aut cultu proſequi poſsumus: aptiſſime vero reſpondet, Tabernaculum & Cherubinorum imagines opera humanarũ manuũ eſse, nec propterea ab his adorandis repulſos fuiſse Judæos: (*) at num ad Cherubinos ipſos ferretur aliqua, ut ita appellem, portio cultus, qui eorum imaginibus deferebatur, an totus ad Deum aſcenderet, ne diſputat quidem Damaſcenus.

XXII. Quod attinet ad ſerpentem a Moyſe in deſerto exaltatum, arbitrati ſunt, fateor, Viri præſtantiſſimi (*) æneo illi ſerpenti delatum fuiſse a populo ſanitatis cupido, cultum. Plerique id negant Scripturæ verbis innixi: tametſi enim jubebantur eum aſpicere illi, quibus morſus a ſerpentibus inflictus fuerat, minime tamen omnium jubebantur cultum illi deferre. Atque hunc quidem cultum eidem ſerpenti detuliſse, nullis Scri-

(*) *Ex quo Dominus locutus eſt ad diſcipulos*: Surgite camus hinc: *&* relinquetur vobis domus veſtra deſerta: *&* locus, in quo Dominus crucifixus eſt, ſpiritualiter Ægyptus vocatur, & Sodoma, *omnis judaicarum obſervationũ cultura deſtructa eſt &c.*

(*) Alibi de hoc argumento copioſe agemus.

(*) allegari ſolet Catharinus in opuſculo *de cultu & adoratione imaginum* non longe ab initio pag. 126. collectionis Operũ Catharini Romæ 1552. Sed re vera affirmanti ſententiæ non favet. Favet tamen Sanderus lib. 2. *de imaginibus* ca. 3. pag. 138.

cando autem dogmate verisimili opinione uti Theologo licet: Alii contra minus perſpicua verba illa eſſe ajunt; facile enim referri poſſunt ad Cherubinos ſimul cum Arca comprehenſos, & (ut Scholaſticorum phraſe utar,) *unum quid cum Arca* conſtituentes. Qua quidem de re judicet Lector.

CAP. II.

De Veneratione cultuque ſacris imaginibus a Chriſtianis adhibito.

I. PErvenimus tandem ad eam diſputationum noſtrarum partem, in qua acerrime nobiſcum conflictari volunt Proteſtantes. Ob cultum ſcilicet imaginibus delatum, nos ſuperſtitioſos, atque adeo idololatras appellare minime verentur: hancque ſæpe teſtantur potiſſimam fortaſſe eſſe cauſam, cur ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum redire recuſent. Temere id quidem dictum; tamen iis eſt indulgendum, qui in errore nati, atque educati quaslibet Catholicorum conſuetudines oderunt: contendendum vero nobis eſt, ut ſtatim oſtendamus, immerito reprehendi Catholicos, quod ſacras imagines ſummum in modum honorent.

II. Atque in primis monitum Lectorem volo, ſæpiſſime a nobis Proteſtantes expoſcere, ut antiquitatem hujuſce cultus evincamus, nam multo recentiorem eum eſſe putant, atque afferant Pontificii. Ad tria priora ſæcula nos amandant, jubentque in iis perquiri a nobis, & allegari probabilia monumenta, quibus cultus hic indicetur: Quod ſi minus fuerimus conſecuti,

plau-

plaudentes clamitant, ab ipſis ſtare victoriam, & a nobis veterem puriſſimam diſciplinam corruptam, & ſuperſtitioſis ritibus depravatam. (*)

III. Horum porro querelas duobus quidem modis Catholici reprimunt. Nonnulli, veluti Lilius Gyraldus (*a*), Caſſander (*b*), & Petavius (*) candide fatētur, prioribus tribus Eccleſiæ ſeculis caviſse Chriſtianos a colendis [publice ſaltem] imaginibus. Cum enim iis temporibus quam libet accuſandi Chriſtianos occaſionem perquirerent Gentiles, & nondum plane a ſimulacrorum amore avulſi eſsent plerique Fideles, cavit Eccleſia, ne cultum ullum imaginibus, tam etſi ſacris, deferret: non quo crimen aliquod in eo cultu ineſse cenſeret, ſed quod minus illis temporibus conveniens eſset. Etenim per id maxime tempus Chriſtianos remotos eſse oportebat ab iis omnibus, propter quæ veluti vetuſtæ ſuperſtitioni adhuc addicti accuſari a Gentilibus ii poſsent, (2) & alienos ſe oſtendere ab iis ipſis ritibus, qui tam etſi nihil in ſe periculi habebant, poterant tamen infirmis, & debilibus quibuſdam evadere perículoſi. Hæc ubi ſubmota ſunt, delatum imaginibus cultum approbavit maxime, & fovit Eccleſia, quippe quæ vidit, pietatem eo ritu ſummum in modum promoveri. (3)

(*) Dallæ. *de imagini.* li. 1. cap. 2.

(*a*) *biſtor. Deor.* Syntag. 1. pag. 14. to. 1. editio. Baſi. 1580. *Illud certe non prætermittam, nos (dico Chriſtianos) ut aliquando Romanos, fuiſſe ſine imaginibus in primitiva, quæ vocatur, Eccleſia.*

(*b*) *in Conſultatione*: ar. 21. *de imaginibus, & ſimulacris*, pag. 590., & ſubſ. to. 4. Operum Hugonis Grotii editio. Baſi. 1732.

(*) xv *de incarna.* to fere cap. 13.

IV.

---

[2] Conſueviſſe Gētiles rituū illorū, quos in ejiſdē Gentilibus Chriſtiani reprehendebant, cum iis quos Chriſtiani ſervabant, affinitatem iiſdem Chriſtianis objicere, quædam fortaſſe Juliani Apoſtatæ verba declarant: ſed apertiſſime id aſſequor ex verbis illis Joannis Theſſalonicenſis. (*) *Gentilis dixit. Nunquid & vos Chriſtiani in Eccleſiis veſtris imagines pingitis Sanctis veſtris, eaſque adoratis; neque Sanctis tantummodo, verum etiam Deo veſtro? Ita & nos quoque ſtatuas habere exiſtima; non ut eas adoremus, verum ut per cultum noſtrum incorporeæ earum Virtutes ad nos perveniant. Sanctus dixit. Verum nos imagines &c.*

[*] illius ſermo allegatur act: 5. Nicæni II. pag. 1003. & 1439. to. 8. Concilio.

(3) *Hac quidem initio Chriſtianorum odio Paganiſmi, qui potiſſimum in Simulacrorum cultu verſabatur, ſententia fuit; tandem verò, quando exoleto propemodum Paganiſmò, & Chriſtianiſmo aucto, periculum illud adorationis, & cultus imaginum minus timeretur, animis Chriſtianorum in ſyncero Dei cultu ſatis inſtitutis, & confirmatis, pictura in templis recepta ſunt, idque jam tum ætate Ambroſii, Paulini, Gregorii Nyſſeni, Prudentii, receptum fuiſſe ex eorum ſcriptis conſtat.* (*)

(*) Caſſander ibidē pag. 591.

pturæ verbis conſtat. At id quoque ſi dederim, ad id, quod agimus, parum aptum eſt ænei ſerpentis exemplum. Etenim Chriſtum (ideoque non minus hominem quàm Deum) in illo figuratum fuiſse dubitat nemo: at Cherubinorum arcam obvelantium imagines, Creaturas repræſentabant, quas proinde in eorum imaginibus veneratione fuiſse affectas, ex eo minime probas, quod æneum ſerpentem venerati fuerint Hebræi. Vide quæ tradit Vaſquez in 3. par. quæſt. 25. ar. 5. aliàs diſputatione 104. cap. 5.

XXII. Fruſtra porro (niſi plane decipimur) iis niteris argumentis, quibus viſus eſt niti Eminentiſs. Capiſuccus. Nörunt omnes, ideo Iconoclaſtas confregiſſe imagines, ne idololatriæ, ac ſuperſtitionis occaſio Catholicis eſsent: vetitum eſt quippe (ut eorum verbis utar) ſaxa, & tabulas adorare, quod faciebant (eorum quidem judicio) Catholici. Imperitas porro Iconoclaſtarum ratiocinationes variis quidem modis diſſolvebant Catholici; ſed duo in primis inculcabant: nempe relativũ eſse eum cultũ, non abſolutum, ideoque non ſiſtentem in imaginibus, ſed ad earum Prototypa aſcendentem: nec eſse interdictum, ea exterioris honoris argumenta, quæ a Catholicis adhibebantur, rei corporeæ adhibere. Cujus quidem rei varia exempla afferebant, atque illud in primis, quod deſumebatur ab Arca, & Propitiatorio iis honorificentiæ argumentis [cunctorum ſane ſententia] a Judæorum populo affectis, quæ tamen Iconoclaſtæ ſacris imaginibus deferri minime patiebantur. Profecto *Propitiatorium*, & menſam res prorſus ſenſus expertes, nec animatæ cujuſpiam rei imagines non comemoraſsent Nicæni Patres, ſi ea, quam putat Eminentiſſimus Capiſuccus, eorum animis ſententia inhæſiſset.

XXIII. Taraſii verba alibi attuli, ut oſtenderē, conſueviſse jam pridem Græcos altaribus ſacras imagines inferre; (*) Atque ad id quidem comprobandum valdè apta reor ejuſdem Taraſii verba; atque huc tantummodo is reſpexiſse videtur. Ceterum ſi a me exquirit Eminentiſſimus Capiſuccus, ut fatear deferri potuiſſe ab Hebræis cultum aliquem Cherubinorum arcæ inſidentium imaginibus, ſtatim aſsentiar: tantummodo expoſco firmiora argumenta, ut re ipſa delatum fuiſse

iis

(*) diſſ. 9. cap. 74. §. 2.

iis Cherubinorum imaginibus cultum fatear. In qua quidem opinione ſi fuit Eſtius, ab illo diſsentio. Sed minime nos cogunt allegata verba, ut in ea opinione certo fuiſſe cenſeamus.

XXIV. Lis porro, quæ agebatur inter Chriſtianũ, & Hebræum in eo dialogo diſputantes, in hoc potiſſimũ vertebatur, num in idololatriam Catholici inciderent, dũ eximiis honoris argumentis imagines venerabantur. Id quidem affirmabat Judæus, negabat vero Chriſtianus, qui potiſſimam rationem, qua utebatur Judæus (vetitum nempe eſſe materias, & corporeas res tam honorifice habere) rejicit argumento, quod merito *ad hominem*, ſeu *a pari* appellare potes. (1) Si enim Judæis licuit rem corpoream, cujus modi erat Arca, thure accenſo, aliiſque affinibus honoris argumentis proſequi; quis vertere in dubium poterit, num Chriſtianus hoc honoris genus ſacris imaginibus deferre poſſit?

XXV. Extremum argumentum a conjectura, ſeu ſi appellare ita vis, a paritate ſumptum diſſolvis, ſi dicas, nos valde probata habere argumenta, quibus certi efficiamur de cultu Sanctorum reliquiis ab Hebræis adhibito. His porro deſtituimur, quum de cultu ſacris imaginibus adhibito quæſtio inſtituitur. Nec propterea contemptas fuiſſe contendo Angelorum, Sanctorumve imagines. Contemptæ eæ non fuerunt, quæ honorifice ſunt ſervatæ, tametſi veneratio prototypis earum, ſeu Angelis minime deferretur.

XXVI. Verba porro *Confeſſionis Orientalis*, quæ objeciſti, nonnulli contemnunt: ajunt enim non dogma hic proponi, ſed explicationem dogmatis: in expli-

(1) *Ergo non ligneam imaginem, vel picturam adoramus, aut colimus, ſed omnium Dominum Chriſtum Deum glorificamus. Verum tamen, frater, oſtendam tibi, quia & Moyſes, qui hæc tibi in lege dedit, juſſus eſt, ſicut ſcriptum eſt, & ſculptiles duos ſeraphim fecit, ſupra tabernaculum teſtimonii expanſos hinc, & inde: quò non licebat cuipiam ingredi, niſi ſoli Pontifici, ſemel in anno, & incenſum offerre in Sancta Sanctorum* (*).

(*) pag. 1007. & 1437. to. 8. Conci.

cando autem dogmate verisimili opinione uti Theologo licet: Alii contra minus perſpicua verba illa eſſe ajunt: facile enim referri poſſunt ad Cherubinos ſimul cum Arca comprehenſos, & (ut Scholaſticorum phraſe utar,) *unum quid cum Arca* conſtituentes. Qua quidem de re judicet Lector.

CAP. II.

De Veneratione cultuque ſacris imaginibus a Chriſtianis adhibito.

I. PErvenimus tandem ad eam diſputationum noſtrarum partem, in qua acerrime nobiſcum confligari volunt Proteſtantes. Ob cultum ſcilicet imaginibus delatum, nos ſuperſtitioſos, atque adeo idololatras appellare minime verentur: hancque ſæpe teſtantur potiſſimam fortaſſe eſſe cauſam, cur ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum redire recuſent. Temere id quidem dictum; tamen iis eſt indulgendum, qui in errore nati, atque educati quaslibet Catholicorum conſuetudines oderunt: contendendum vero nobis eſt, ut ſtatim oſtendamus, immerito reprehendi Catholicos, quod ſacras imagines ſummum in modum honorent.

II. Atque in primis monitum Lectorem volo, ſæpiſſime a nobis Proteſtantes expoſcere, ut antiquitatem hujuſce cultus evincamus, nam multo recentiorem eum eſſe putant, atque aſſerant Pontificii. Ad tria priora ſæcula nos amandant, jubentque in iis perquiri a nobis, & allegari probabilia monumenta, quibus cultus hic indicetur: Quod ſi minus fuerimus conſecuti, plan-

plaudentes clamitant, ab ipſis ſtare victoriam, & a nobis veterem puriſſimam diſciplinam corruptam, & ſuperſtitioſis ritibus depravatam. (*)

III. Horum porro querelas duobus quidem modis Catholici reprimunt. Nonnulli, veluti Lilius Gyraldus (*a*), Caſſander (*b*), & Petavius (*) candide fatētur, prioribus tribus Eccleſiæ ſeculis caviſse Chriſtianos a colendis [publice ſaltem] imaginibus. Cum enim iis temporibus quam libet accuſandi Chriſtianos occaſionem perquirerent Gentiles, & nondum plane a ſimulacrorum amore avulſi eſsent plerique Fideles, cavit Eccleſia, ne cultum ullum imaginibus, tam etſi ſacris, deferret: non quo crimen aliquod in eo cultu ineſse cenſeret, ſed quod minus illis temporibus conveniens eſset. Etenim per id maxime tempus Chriſtianos remotos eſse oportebat ab iis omnibus, propter quæ veluti vetuſtæ ſuperſtitioni adhuc addicti accuſari a Gentilibus ii poſsent, (2) & alienos ſe oſtendere ab iis ipſis ritibus, qui tam etſi nihil in ſe periculi habebant, poterant tamen infirmis, & debilibus quibuſdam evadere periculoſi. Hæc ubi ſubmota ſunt, delatum imaginibus cultum approbavit maxime, & fovit Eccleſia, quippe quæ vidit, pietatem eo ritu ſummum in modum promoveri. (3)

IV.

(*) Dallæ. *de imagini.* li. 1. cap. 2.

(*a*) *hiſtor. Deor.* Syntag. 1. pag. 14. to. 1. editio. Baſi. 1580. *Illud certe non prætermittam, nos (dico Chriſtianos) ut aliquando Romanos, fuiſſe ſine imaginibus in primitiva, quæ vocatur, Eccleſia.*

(*b*) *in Conſultatione*: ar. 21. *de imaginibus, & ſimulacris*, pag. 590., & ſubſ. to. 4. Operum Hugonis Grotii editio. Baſi. 1732.

(*) xv *de incarna.* toto fere cap. 13.

---

[2] Conſueviſſe Gētiles rituū illorū, quos in eiſdē Gentilibus Chriſtiani reprehendebant, cum iis quos Chriſtiani ſervabant, affinitatem iiſdem Chriſtianis objicere, quædam fortaſſe Juliani Apoſtatæ verba declarant: ſed apertiſſime id aſſequor ex verbis illis Joannis Theſſalonicenſis. (*) *Gentilis dixit. Nunquid & vos Chriſtiani in Eccleſiis veſtris imagines pingitis Sanctis veſtris, eaſque adoratis; neque Sanctis tantummodo, verum etiam Deo veſtro? Ita & nos quoque ſtatuas habere exiſtima; non ut eas adoremus, verum ut per cultum noſtrum incorporea earum Virtutes ad nos perveniant. Sanctus dixit. Verum nos imagines &c.*

(3) *Hac quidem initio Chriſtianorum odio Paganiſmi, qui potiſſimum in Simulacrorum cultu verſabatur, ſententia fuit; tandem verò, quando exoleto propemodum Paganiſmò, & Chriſtianiſmo aucto, periculum illud adorationis, & cultus imaginum minus timeretur, animis Chriſtianorum in ſyncero Dei cultu ſatis inſtitutis, & confirmatis, picturæ in templis recepta ſunt, idque jam tum ætate Ambroſii, Paulini, Gregorii Nyſſeni, Prudentii, receptum fuiſſe ex eorum ſcriptis conſtat.* (*)

[*] illius ſermo allegatur act: 5. Nicæni II. pag. 1003. & 1439. to. 8. Concilio.

(*) Caſſander ibidē pag. 591.

IV. Id vero mirum non eſt: etenim *ad diſciplinam* ritus iſte pertinet, quæ pro temporum, hominumque conditione facile mutatur; adeo ut ea quæ ſancte, ac prudenter inſtituta fuerant, cum laude interdum ſubmoveantur, & ea, quæ ſancta per ſe ſunt, interdum propagari, & diffundi minime conveniat: fortaſſe enim obeſsent infirmis adhuc, & imbecillis. Atque id ipſum Petavius diſerte, & copioſiſſime tradit, cujus quidem verbis facile uterer, niſi plurima eſsent. Ea Lector per ſe ipſe conſulat. (*c*)

V. Alii contra contendunt, valde probabilia extare monumenta, quibus facile oſtendas, antiquiſſimis ipſis Eccleſiæ ſeculis conſueviſse Chriſtianos cultum ſacris imaginibus adhibere. Primam vero, eamque (horum quidem ſententiâ) firmiſſimam probationem deſumunt ex cultu, qui Edeſsenæ imagini, de qua alibi multa diximus (*d*), primo ipſo ſeculo publice delatus eſt. Proferunt porro opinionis ſuæ vadem Conſtantinum illum Porphyrogenitum, cujus de Edeſsena imagine Orationem latinitate donatam edidit Lippomanus, (*e*) & nos alibi ſæpe allegavimus. Atque ad hunc quidem modum ſe habet oratio illa: *A veteribus Edeſſæ habitatoribus imago cujuſdam Dei inſignis ex Diis Gentilium poſita erat ante portam publicam Civitatis, quam neceſſe erat adorare omnem, qui volebat ingredi Civitatem, & quaſdam preces reddere conſtitutas, & ſic intrare urbis vias, & vicos. Hanc ergo cum tunc diruiſſet Abagarus, & omnino deleviſſet, in eo loco, ubi erat poſita, hanc non manu-factam Domini noſtri Jeſu-Chriſti imaginem, cum in tabula conglutinaſſet, & hoc, quod nunc videtur, auro ornaſſet, poſuit . . . Et ſtatuit, ut quicunque per illam portam erat tranſiturus, pro illa veteri inutili columna, eum, quem par erat, cultum, & honorem, qui debetur, & adorationem tribueret longe admibili, & miraculorum effectrici Chriſti imagini, & ſic ingrederetur Civitatem Edeſſæ.*

VI. Hec tamen oratio, cum in Criticorum reprehenſionem inciderit: (ajunt quippe, multa in eam irrepſiſſe, quæ populari tantum fama vulgata erant, atque in horum quidem numero eam ipſam narrationem collocant, quam nuper allegavimus) non contemnendum (me quidem judice) argumentum ad ve-

(*c*) XV *de incarnatio.* toto fere cap. 13. Affer etiam huc, ſi libet, ea quæ collegit Catharinus *de cultu, & adoratione imaginum* [in ipſo fere pag. 122.]

(*d*) diſſer. 9. cap. 30. & ſeq.

(*e*) 16. Auguſti to. 6. *Vitar.* pag. 191. b. Sed hæc, quæ allegamus, extant pag. 193.

vetuſtatem illius, de quo agimus, moris comprobandã affert: at indubitatum fortaſse non præbet. Alia itaque quærenda ſunt.

VII. Non defuit qui probationem alteram ex vetuſta pictura repeteret, quæ in ſacra æde SS. Sylveſtri, & Martini nunc etiam Romæ ſervatur. Etenim duas imagines ea habet, quarum una Virginem Deiparam erectam & ſtantem, Sylveſtrum Papam ante eam genibus flexis ſupplicem refert altera. Porro ipſa Sylveſtri ætate eas elaboratas fuiſſe, plerique putant: ideoque etiã putant, conſueviſse Fideles ante imagines proſterni, flexiſque genibus ad eas ſupplicare. Refert enim *hiſtorica* hæc tabula id quod Sylveſter agere conſueverat (f).

VIII. At hoc ipſum argumentũ Criticorum genio minime arridet. Sic porro diſputant. Tria exſequatur eſt opus, qui in eâ picturâ innititur. Ut ipſâ Sylveſtri ætate eam factam evincat: (vetuſtiſſima eſt quippe adhuc imago illa, tam etſi quinto, aut ſexto ſæculo facta ſit, tamen ad id, quod agimus, minus tum apta eſt.) Secundum ut nullam illius partem corruptam aliquando, nec deinceps reſtauratam fuiſſe oſtendat: potuit enim artifex, dum eam reſtauraret, aliqua de ſuo addere. Tertium, ut probet referri in ea Sylveſtrum ante imaginem Virginis orantem, & ſupplicem. Si enim dixero, referri in ea Sylveſtrum ante Virginem ipſam (quam pictura illa viventem referat, item ut referunt pleræque picturæ, quæ præſepi aut Cruci adſtantem Virginẽ repræſentant,) orantem, & ſupplicẽ: tum invocationem, & preces ad Virginem fuſas, &, ſi vis, cultum eidem Virgini delatum, ex illa pictura haud inepte deducam; tamen cultum imagini ejuſdẽ Virginis adhibitum, ſi ſapio, minime eruam. Hæc tria tamen ægre oſtendes, atque adeo non oſtendes.

IX. At probationem ex ea imagine deſumptam quis, niſi forte contradicendi libidine actus, deſpiciat? Atque ad eam ſane reſpicere videtur Hadrianus, cum hæc ait: (g) *Sanctus Sylveſter Papa, & Conſtantinus Chriſtianiſſimus Imperator venerati ſunt ſacras imagines . . . & a tunc uſque hactenus Sanctorum Pontificum, videlicet Sylveſtri, Marci, & Julii, miræ magnitudinis ſanctæ eorum*

(f) *Obſervatione digna ſunt illius crypta pictura ex muſivo antiquiſſima: quas inter viſitur beatiſſima Virginis imago, ad quam Sylveſter genibus flexis depingitur.* Mabillon *iter italica.* pag. 56.

(g) in epiſt. ad Carol. Mag. *pro defenſione* Nicæ. 2. ſect. 3. cap. 19. pag. 1591. to. 8. Conci.

rum Eccleſiæ apud nos ſunt depicta, tam in muſivo, quàmque in ceteris hiſtoriis, cum ſacris imaginibus ornatis. Tametſi ergo faterer, non integram perſtitiſſe imaginem eam, de qua agimus, non propterea ineptã faterer probationem, quam illa præbet. Satis eſt mihi Hadriani Sanctiſſimi Pontificis teſtimonium, ut mihi perſuadeam, a Sylveſtro ipſo imaginem illam eſſe factam, nec im̃utatam deinceps uſque adeo, ut vetuſtam ſpeciem amitteret. Conjicere vero merito poſſumus, in ea Sylveſtrum expreſſũ eſſe coram Virginis imagine ſupplicantem: quod ſatis mihi eſt; relativum ſcilicet imaginum cultum tantummodo approbo.

X. Deſumitur tertia probatio ex Heraclide: antiquus quippe ſcriptor is eſt; & tamen referente Photio (*b*) *venerabilium imaginum* vetuſtiſſimam conſuetudinem innuit (*i*), *ſeu* (ut Dallæus (*) vertit) *pro venerabilium imaginum* vetuſtate ſententiam, vel, ſi vis, teſtimonium præbet, aut aliud his affine, quod reſpondeat græcæ voci χρῆσιν. (*) Porro ſi ſæculi quarti ſcriptor propterea laudatur a Photio, quod *pro venerabilium imaginum* vetuſtate teſtimonium præbet, quid aliud id eſt (quantum conjiciendo aſſequi poſſumus) niſi teſtatum fuiſſe, antiquiſſimas eſſe imagines venerabiles, ſeu (niſi nos veriſimillima explicatio decipit) fuiſſe teſtatum, jam pridem venerationem ſacris imaginibus fuiſſe delatam?

XI. At hæc ipſa probatio (Criticorum quidem ſententia) plane deficit, propterea quia vocem σεπτῶν reddit *venerabilium*, cum com̃ode verti poſſit *ſacrarum*. Sacræ porro dicentur imagines, quod Sacras perſonas referant, Chriſtum ſcilicet, Deiparam, & Sanctos reliquos. (4) At redde *venerabilium*. An continuo qui-

[*b*] Bibli. pag. 42. Codice 52. ſub hoc titulo: *Synodus Sydetana, aliaque contra Meſſalianos*: Porro Meſſalianorũ hæreſis *Valente*, *&* *Valentiano imperantibus*: aut certe non admodum multo poſt exorta eſt. Vide quæ tradit Theodor. li. 4. hiſto. cap. 11. edi. Valeſii: 10. antiquæ.

[*i*] *de imagini.* li. 3. cap. 4. pag. 316. editio. Genev. 1641. lingua gallica.

(*) Verti tamen com̃odius fortaſſe poſſet, & græcæ linguæ convenientius *uſus*, ſeu *utilitas*; quam interpretationem ſi ſequimur, non modo de cultus antiquitate, ſed etiam de utilitate, atque uſu teſtimonium habemus.

(*) Nicæn. 2. act. 6. to. 4. pag. 1103., & 1481. tom. 8. Concil.

(*) act. 6. to. 6. pag. 1174. & 1511. defin. 13.

(4) (*) *Multa, quæ in nobis ſacrata ſunt, orationem ſacram non recipiunt, cum inde & ex ipſo nomine plena ſint ſanctitudine ſimul, & gratia. Et propterea, ut revera veneranda, honoramus & ſalutamus: ipſe enim typus vivificæ Crucis abſque oratione ſacra effectus penes nos colitur. &c.* Et deinceps [*]. *Imaginem autem nihil aliud eſſe cognoſcimus, quàm imaginem, ſignificantem ſcilicet primi exemplaris imitationem, unde & nomen accepit . . . & eam ob cauſam quoque pia, & veneranda. Quod ſi autem ſit hominis improbi, aut dæmonis, profana, & exſecrabilis exiſtit, quoniam & ipſum primum exemplar, ad quod facta eſt* [profanum & exſecrabile.]

venerationi imaginibus adhibitæ favit Heraclides? Nihil minus. Nonne ſancti Patres *ſacros*, *ſacratos*, atque adeo *ſacratiſſimos*; (k) *venerabiles* quoque, dies illos appellant, qui ſolemniores a Fidelibus agi ſolent. An propterea eoſdem dies venerantur, & colunt? Minime vero. Cur ergo cultas fuiſſe dices, Heraclide teſte, imagines, quod eas *venerabiles*, *ſeu ſacras* appellet? In eo etiam eadem probatio deficit, quod Photii teſtimonio novimus quidem teſtatum fuiſſe Heraclidem, *ſacras*, ſeu (ſi vertere ita volumus) *venerabiles* imagines pridem fuiſſe in more apud Fideles; at minime cogimur, ut antiquitatē illam, quam teſtatam facit Heraclides, deſumamus a temporibus Heraclidem ipſum præcedentibus: adhuc enim vetuſtus jure meritoque dicetur mos ille, tam etſi ab Heraclide ipſo incipiat.

(k) Leo I. ſerm. 2. Epiphan. *ſacratiſſimum diē. Sacratiſſimum* quoque Quadrageſimæ jejunium appellat ſerm. 4. *in quadra.* Eccleſia ipſa *ſacrum dierū circulū* quadrageſimale tēpus nuncupat &c. *venerabiles* etiam Martyrū triumphos interdum dicit.

XII. Heraclidis tamen teſtimonium ſi nihili facis, temere id agis. Fateor vero ſtatim, vocem σεπτῶν poſſe æque reddi *ſacrarum*, ac reddatur *venerabilium*. At cum imaginibus jungitur, paſſim a viris etiam præclariſſimis accipi ſolet ad denotandum cultum iiſdem imaginibus adhibitum. At fac, pro *ſacro* debere accipi, adeo ut vertendum ſit *ſacrarum imaginum*: Quid facilius accidere poteſt, quàm ut is, qui ſacrum aliquid eſſe putat, veneratione etiam dignum exiſtimet? & ea ſane repræſentatio, cujus cauſa ſacræ dicuntur imagines (omnium quidē ſententia) eaſdem imagines veneratione efficit dignas. Probabilem porro eſſe eam, quā tradidi, de *venerabilium*, ſeu, ſi vis, *ſacrarum* imaginum antiquitate conjecturam, is fatebitur, qui advertet, ante hunc Heraclidem Fideles retinuiſſe, &, niſi plane fallimur, ſacro etiam honore affeciſſe imagines. Id itaque perperam in Heraclide notaſſet Photius, qui ſi antiquitatem earundem *venerabilium* imaginum Heraclidis teſtimonio comprobari aſſeverat, innuere videtur, a temporibus Heraclidem præcedentibus, eundē Heraclidem eam deſumpſiſſe: etenim vulgato familiarique ſermone antiquitatem alicujus moris teſtatam fieri ab eo dicimus, qui eundem morem a vetuſtioribus temporibus derivat.

XIII. Abſit tamen, ut fatear, hiſce tantum argumentis inniti nos, quum antiquiſſimam eſſe contendimus conſuetudinem, quæ Fidelibus eſt, ut ſacras imagi-

nes honore, cultuque proſequantur. Si quid virium habet regula ab Auguſtino tradita, cujus ſæpe meminimus (l), nempe ad Apoſtolica tempora referendum id eſse, quod ubique ſervatur, nec illius tamen inſtitutio Eccleſiaſticâ ſanctione ſtabilita reperitur; ad Apoſtolica tempora facile referes delatũ imaginibus cultum. Si quidẽ hæc totam Eccleſiam, nemine, quem noverimus, procurante, occupavit. Et hæc quidem procul dubio Damaſceni fuit perſuaſio, quum de delata imaginibus veneratione loquens hæc ait: (*) *Eſt autem hæc traditio ex illis, quæ in Scripturis minime expreſſæ ſunt &c.* Cui quidem monito affine illud eſt, quod habent Baſilius capite 3., & Hadrianus Pontifex capite 5. (*) allegandi.

(l) diſſ. 7. cap. 7. §. 1. & alibi etiam.

(*) 4. *de fide*: cap. olim 17. in editione Le-Quien 16.

(*) §. v.

XIV. Merito itaque Theodorus Studites ſanctitate, & doctrina clariſſimus, ſic Leonem Imperatorem ſacris imaginibus adverſantem eſt allocutus. (m) „ Nec „ locus ullus eſt, non regio, non domus, in qua di- „ vinæ imagines affixæ non ſint: quippe omnibus ve- „ neranda res eſt, cui temporis lapſus, & auctoritas „ honorem conciliarunt. Annis igitur octingentis, „ & eo amplius promulgatam, & ab omnibus re- „ ceptam, atque confirmatam imaginum veneratio- „ nem, jamque una cum Chriſtianiſmo auctam, & „ propagatam (uno ſiquidem, parique greſsu inceſ- „ ſerunt Chriſtianiſmus; & imaginum efformatio) tu „ nunc temporis momento, ſolaque pro animi tui li- „ bidine tollendam e medio cenſuiſti, & cum dede- „ core explodenda, quæ laudem, honoremque mere- „ bantur?

(m) pag. 34. tomi V. Operũ Sirmondi: n. 69. Vitæ Theodori Studitæ.

XV. Eandem rem fortaſse innuit Synodus Nicæna II. in fine actionis ſeptimæ (n): Innuere quoque videtur Adrianus Papa in ea epiſtola, quam ad Carolũ Magnum in defenſionem Nicenæ II. Synodi ſcripſit, (o) hæc elocutus: *Nos quidem infra ſcientes facimus, ſicut jam fecimus, quia & in veteri, & in novo teſtamento, ſive in ſex Synodalibus Conciliis ſemper venerandæ fuerunt ſacræ imagines, & factæ inter Sancta Sanctorum titulabantur.* Alia doctiſſimi hujuſce Pontificis verba, huc pariter pertinentia, alibi attulimus. (p) Hic ea recolat, ſi vult, Lector.

XVI. Gravia ſunt quoque, quæ hanc in rem Gregorius II. (q) docet his verbis. „ Qui [religioſi ho- „ mines, & Chriſti amatores) Dominum cum vidiſ- „ ſent,

(n) pag. 1206.

(o) ſecti. 3. cap. 19. pag. 1553. to. 8. Conci. ſed teſtimonium, quod hic algamus, extat pag. 1501.

(p) diſſ. 9. cap. 68. §. 16.

(q) in priore ad Leonem Iſaurum epiſtola pag. 651. tom. 8. Concili. ſed teſtimonium, quod hic adducitur, extat pag. 655. tom. 8. Concili.

„ ſent, pro ut viderant, ſpectandum ipſum proponen-
„ tes depinxerunt. Cum Jacobum fratrem Domini
„ vidiſsent, pro ut viderant, ſpectandum ipſum propo-
„ nentes depinxerunt: cum Stephanum proto-marty-
„ rem vidiſsent, pro ut viderant, ſpectandum ipſum
„ proponentes depinxerunt: & , ut uno verbo dicam,
„ cum facies Martyrum, qui ſanguinem pro Chriſto
„ fuderant, vidiſsent, depinxerunt: & his conſpectis,
„ deinceps in toto terrarum Orbe homines, Diaboli
„ adorationibus derelictis, has exhibuerunt non latria,
„ ſed habitudine. „

XVII. Quod ſi miſſis his, alia afferri vis argumenta, quibus jam pridem adhibitum oſtendas ſacris imaginibus cultum, obſequar libens, & ea adducam teſtimonia, ex quibus prudentiſſimus quiſque intelligat, multum falli eos, qui vetuſtis Eccleſiæ temporibus veneratione nulla ſacras imagines honoratas ajunt. Si ab Athanaſio compoſitum putas librum eum, quem *Quæſtiones, & Reſponſiones ad Antiochum* inſcribunt, luculentam non minus, quàm vetuſtam hujuſce conſuetudinis probationem habes. Scilicet cap. 38. [*] hæc ait. *Abſit, ut quem ad modum Græci faciunt, nos Chriſtiani, tanquam Deos, imagines adoremus. Affectionis dumtaxat, & caritatis noſtræ ſtudium erga figuram perſonæ per imaginem expreſſæ declaramus. Itaque lignum ſæpe, quod jam erat imago, ſi figura deleta ſit, tamquam inutile, comburimus. Quem ad modum igitur Jacob cum eſſet e vita diſceſſurus, faſtigium virgæ Joſeph adoravit, non virgam ipſam honorans, ſed eum, qui virgam tenebat: ita nos Chriſtiani non alia ratione imagines colimus, niſi quemadmodum etiam cum filios noſtros, & patres oſculamur, animi noſtri deſiderium indicamus. Sicut & Judæus olim legis tabulas, & duo Cherubin aurea, & ſculptilia quondam adorabat, non lapidis, aurive naturam colens, ſed Dominum, qui ea ut fierent, præceperat.* Tametſi porro Athanaſio librum eum minime adſcribas, antiquum tamen fatearis oportet, & a præclaro ſcriptore exaratum.

[*] in editio. Patr. S. Mauri eſt 39.

C A P. III.

Baſilii teſtimonium ab Adriano Pontifice, & Concilio Nicæno II. jam pridem allegatum adducimus, & a Dallæi, aliorumque adverſariorum objectionibus vindicamus.

I. **A**Thanaſio (ſi Athanaſium ea ſcripſiſſe, quæ allegavimus, vis) jungatur Baſilius ita ſanctitatis, doctrinæ, rerumque geſtarum laude, uti ætate, illi proximus. Hadrianus ſcilicet, (*a*) & Nicænum II. (*b*) hæc ex epiſtola ejuſdem Baſilii *ad Julianum tranſgreſſorem* (*) allegant. *Suſcipio vero & Sanctos Apoſtolos, prophetas, & Martyres, qui ad Deum deprecationem faciunt. . . . . pro quo & figuras imaginum eorum honoro, & adoro, & veneror ſpecialiter: hoc enim traditum eſt a Sanctis Apoſtolis; nec eſt prohibendum, & ideo in omnibus Eccleſiis noſtris, eorum deſignamus hiſtoriam.*

(*a*) in epiſtola Conſtantino, & Irenæ Auguſtis miſſa, & allegata actione 2. Nicæni II. pag. 746. ſed quæ hic afferuntur verba, habes pag. 755., & 758.
(*b*) actio. 4. pag. 914.
(*) Apoſtatam.

II. At iſtud Baſilii teſtimonium ne nauci quidem habet Dalleus [*c*], quem Proteſtantes reliqui ſequuntur. Atque his quidem conjecturis is innititur. Verba ipſa græca, quibus id a Baſilio traditum fertur, a puriſſimo illius ſtylo & eleganti elocutione abhorrent maxime. Quis enim ferat, illud plane rude atque indiſertum διὸ καὶ τὰς ἱστορίας τῶν εἰκόνων, Baſilio ſupponi? Secundo: nemo unus, ſi Pontificem Hadrianum latinum hominem, & tuendi imaginum cultus ſtudioſiſſimum (ideoque lectoris fidem minime promeritum) excipias, nemo, inquam, unus verba hæc Baſilio tribuit. An ea, ſi Baſilii eſſe perſpexiſſent, omiſiſſent Damaſcenus, Germanus, aliique Græci ejuſdem cultus acerrimi, pertinaceſque, ingenioſiſſimi tamen atque eruditione præſtantiſſimi, defenſores? Contemnenda itaque ea ſunt, & ad apocrypha ableganda: immerito enim inter ſincera Baſilii Opera locum obtinent (*d*), atque illa immerito Patres Nicæni, apocryphis ceteroqui haud raro innixi, attulerunt.

[*c*] *de imagi.* lib. 3. cap. 5. pag. 334. & ſeq.

(*d*) Ea de re dolet Dallæus pag. 336. At PP. S. Mauri in tertia epiſtolarum claſſe hanc collocāt: in quam quidem claſſem, veluti in unum faſcem Epiſtolas rejiciunt *nulla temporis nota ſignatas*; itidem *dubias*; & quas *ſpurias* cenſent. (pag. 69. & 431. to. 3.)

III. At non continuo contemnendū arbitror teſtimoniū iſtud. Hoc enim ſaltem conſequor, Nicænos Patres (quos omnes imperitos minime dices), & Hadrianum, haud

indo-

indoctum Pontificem, verba illa Baſilio haud indigna reputaſſe. Neque vero acutulis tuis ratiocinationibus illud indubitate Baſilio eripis. Pauca ſiquidem illa verba, quæ tu veluti rudia atque indiſerta allegas, temere in græcum Hadriani epiſtolæ adhærentem textum (*) irrepſiſſe, ex eo palam ſit, quod Nicæni Patres locum illum citantes τὺς χαρακτῆρας ſubſtituunt (*).

IV. At nemo, inquis, præter Hadrianum, & Nicænos Patres epiſtolam eam allegavit. Tibi ne ita levis eſſe videtur Hadriani, & Nicænorum Patrum auctoritas, ut eam nihili facias, & teſtimonium ab iis allegatum propterea contemnas, quod ſoli produxerint? At in memoriam ſubeat, epiſtolas illius generis lucubrationes eſse, quæ ad paucos ſæpe perveniunt, & facillime deperduntur. Quot veterum Patrum epiſtolas amiſimus, quas quidem ſi haberemus, non leve hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lumen accederet? Delituit itaque apud privatum quempiam epiſtola illa, antequam ab Hadriano, & deinceps a Nicænis Patribus allegaretur. Fortaſſe etiam ab iis allegata eſt, quorum ſcriptis nunc caremus. Nicæni vero Patres, ſi interdum ea protulerunt opera, quæ deinceps in Criticorum reprehenſionem inciderunt, nunquam ſane illa protulerunt, quæ temere, & inconſulto proferrentur. Sic haud inepte grandibus tuis, ac minacibus conjecturis, Dallæe, obviam imus. Jam vero cœptum opus proſequamur.

(*) In malum Baſilii interpretem id rejici fortaſſe poteſt: is vero, qui latinam Hadriani epiſtolam in græcum vertit, non ad græca ipſa Baſilii verba, ſed ad latina Hadriani reſpiciens, vertit διὰ καὶ τὰς ἱςτορίας.

(*) Hanc lectionem ſequuntur Patres S. Mauri loco nuper allegato.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP. IV.

Quid judicemus de iis Chryſoſtomi teſtimoniis, quæ allegari hoc ſuper argumento conſueverunt. Tum verba quædam ex Collatione Maximi Martyris cum Anaſtaſio allegamus.

I. DUo hoc ſuper argumento Chryſoſtomi teſtimonia allegata vidi. Horum primum ab Hadriano Papa, alterum a Bellarmino profertur. Hæc porro profert Hadrianus. (*a*) ,, Item S. Joannis Chryſoſto-
,, mi *in amputatione capitis S. Joannis Baptiſtæ* inter cete-
,, ra: *Oportebat enim eum non vetare venerationem ſacra-*
,, *rum imaginum*.,, Hæc temere non pronunciaſſe Hadrianum facile perſuadeor: novi enim illius ſtudium, & accuratam in ſcribendo diligentiam. Sed tam et ſi ſermonem ab eo allegatum ſedule perquiſierim, minime tamen invenire eum potui. Deperditus itaque eſt ſermo ille, item ut homiliæ in Lucam, & Marcum, & potior pars earum, quas ſuper *Pſalmis* compoſuerat, aliæque permultæ. Fides tamen Hadriano habenda eſt, quippe qui cavebat maxime, ne redargueretur quaſi inconſiderate, aut minus candide diſputans. Decipi tamen potuiſſe Hadrianum fateor, adeo ut Chryſoſtomo tribueret ſermonem, qui fortaſſe Chryſoſtomum non haberet auctorem [*b*].

II. Aliud ejuſdem Chryſoſtomi teſtimonium allegat Bellarminus, ex liturgia S. Doctoris illud deſumens: jubetur quippe in ea *Sacerdos ad imaginem Chriſti caput inclinare*. Verum ne quid diſſimulem, teſtimonium hoc Dallæus (*c*), aliique Calvini aſſeclæ flocci faciunt: ajunt ſcilicet, liturgias ex eo ſcriptorum genere eſſe, quod in dies mutationes recipit: hinc (quod Catholici ipſi fatentur (*d*)) non unica eſt forma Miſſarum illarum, quæ Chryſoſtomo tribuuntur. Atque additiones aliquas in eam irrepſiſſe, quæ primùm a Chryſo-
ſto-

(*a*) in epiſtola ad Carol. M. *in defenſione ſanctarum imaginũ*, & Synodi Nicænæ II. ſectio. ſeu par. 2. cap. 14. pag. 1585. to. 8. Concili.

(*b*) in eam ſuſpicionem me adduxit Photius, quippe qui Chryſoſtomo demit ſermones tres *de Joañis Baptiſtæ decolla.* inſcriptos; quos tamen vulgus Chryſoſtomo tribuebat (Codice 274. pag. 2522.) Tamen minime conſtat, inter eos, quos rejicit Photius, recenſendum eſſe eum, quẽ Hadrianus citat.

[*c*] *de imagini.* libro 3. cap. 5. pag. 333. editio. Genev. ann. 1641.

(*d*) Hac ſuper quæſtione recolat Lector, quæ tradit Tillemõt in vita Chryſoſtomi ar. 47. pag. 230. edit. Venetæ to. XI. hiſto. Eccleſ.

ſtomo, ſi vis, edita eſt, ex eo innoteſcit, quod Chryſoſtomi nomen inter Sanctos, quorum memoria in Canone fit, habetur. An Chryſoſtomus, ſi totam liturgiam, quam nunc habemus, exaraſſet, ſemet tam præclaro in loco poſuiſſet? Cyrilli quoque nomen inter Sanctos, quorum ibi mentio fit, recenſetur. Cyrillus tamen multis poſt Chryſoſtomum annis, Alexandrinam rexit Eccleſiam. Quod ſi liturgiæ illi addita multa ſunt, quis nos vetat, ne dicamus, eum, qui in allegatis a Bellarmino verbis præſcribitur, ritũ, diu poſt Chryſoſtomum, adjunctum eſſe: eo ſcilicet tempore, quo in imaginum cultum magis effuſi Fideles ſunt?

III. At num ideo Chryſoſtomi auctoritate prorſus deſtituemur? Id minime viſum eſt nonnullis, qui ſtatim proferunt narrationem illam, quam ex vita Chryſoſtomi recitat Damaſcenus: (e) etenim ab ea edocemur, conſueviſſe Chryſoſtomũ, cũ epiſtolas Pauli legeret, in ejuſdem Pauli imaginem oculos figere: quo ex conſpectu beatum eundem Paulum prædicabat &c. Scilicet (horum quidem ſententiâ) in imaginem illam obtutus, quoddam honorificentiæ genus erat: intuebatur enim, ut vividiores pietatis ſenſus, novoſque ad colendum, imitandumque Paulum ſtimulos inde ſumeret. Num hi recte ratiocinentur, an non, Lectoris judicium eſto.

(e) oratio. 1. (*in te-ſtimo.*) pag. 328. to. 1. edit. Le-quion.

IV. Ceterum cordato viro fortaſſe ſufficiet, quod Chryſoſtomus morem eum (qui, procul dubio, illi ignotus eſse non potuit) minime improbaverit: ſilentio enim ſuo eidem conſuetudini faviſse putandus eſt. Recole quæ capite 21., & 22. diſsertationis III. tradidimus. Sed & id in præſenti quoque argumento attigit Damaſcenus, cum hæc ait: (f) „ Cum itaque multi ante hac Sacerdotes, Regeſque fuerint a „ Deo Chriſtianis conceſſi, qui ſapientiæ, religionis, „ doctrinæ, ſanctitatis laude claruerunt; plura item „ Concilia a Sanctis, divinoque ſpiritu afflatis Patribus celebrata ſint, quidnam cauſæ eſt, ut eorum „ nemo tale quid agere auſus eſt? Novam doceri „ fidem neutiquam patiemur. *Ex Sion* enim *exibit lex*, „ *& verbum Domini de Hieruſalem*, (g) quem ad modum per prophetam ait Spiritus Sanctus. Non committemus, ut aliud alias ſentiendo, pro temporum „ ra-

(f) oratio. 1. *in. Sacra. imagi.* in. epilogo pag. 329. to. 1. edit. le-Quien.

(g) Iſa. 2. 3.

„ ratione mutemur, neque ut fides noſtra apud illos, „ qui ab ea alieni ſunt, ludibrio fiat, ac deriſioni. „ Et de Chryſoſtomo diximus ſatis.

V. Collatio porro S. Maximi Martyris cum Anaſtaſio Cæſareæ Epiſcopo (b) apud omnes ſummo in pretio habita eſt. Atqui ex ea conſuetudinem, quæ Fidelibus erat, ut ſacras imagines venerarentur, plane aſſequimur: hæc enim in ea (Sirmondo interprete) enarrantur. *Et in his ſurrexerunt omnes cum gaudio, & lacrymis, poſitiſque in terra genibus oratio facta eſt, & unuſquiſque ipſorum ſancta Evangelia, precioſamque Crucem, & imaginem Dei, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, atque Dominæ noſtræ, quæ illum peperit, Sanctiſſimæ Dei Genitricis ſalutaverunt &c.* Videntur autem ad id, quod agimus, hæc pariter ſpectare (*): *Diem judicii expectamus omnes. Noſti quæ ordinata ſunt, & diffinita ſupra ſancta Evangelia, & vivificam Crucem, atque imaginem, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Sanctiſſimæ, quæ illum genuit, ſemper Virginis Matris.*

(b) inter *collectanea* Anaſtaſii Bibliotheca. pag. 355. t. 3. Ope. Sirmondi; ſed hæc, quæ allegamus, invenies pag. 365. Adducitur pariter hoc teſtimoniū in Concilio Nicæno II. actio. 4. pag. 879.

[*] Ibidē (ideſt to. 3. Sirm.) pag. 369.

C A P. V.

Alia afferimus eundem ritum comprobantia argumenta, quibus quidem probationes noſtras concludimus.

I. ANtiquæ igitur traditioni, & ſapientiſſimorū Eccleſiæ Patrum veſtigiis inhæſit Leontius Neapolis Cypri Epiſcopus, dum (a) copioſiſſime cultum ſacris imaginibus delatum ſuffragio & auctoritate comprobavit ſua, & a Judæorum vindicavit calumniis. Allegat librum eum Nicæna ſecunda Synodus actione IV., (*) ad quam vos amando.

II. Inhæſit quoque Germanus Patriarcha Conſtanti-

(a) ſerm. 5. *contra Judæos, & Apologia pro Chriſtianis.*

(*) pag. 883. &c.

tinopolitanus tum in epiſtola ad Joannem Synadenſem (*b*), tū rurſus in epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos ab eodem Germano ſcripta, [*c*] his præſertim verbis: *Nam & Jacob adoraſſe dicitur ſuper ſummitatem virgæ Joſeph, non ligno cultum impertiens, ſed honorem ei, qui hanc poſſidebat, oſtendens. Sic itaque, & Sanctæ Domini, & ſemper glorioſæ Matris effigies intelligitur a Chriſti populo, & honoratur. Sic a priſcis Sanctiſſimarum Eccleſiarum prælatis talia recepta ſunt, & nulla prohibitione vetita ſunt.*

(*b*) citatur actione quarta ejuſdē Concilii Nicæni ſecundi pag. 939.

(*c*) Hæc pariter allegatur in actione quarta ejuſdem Concilii pag. 955.

II. Joannis Damaſceni eſt hoc de ritu præclarus locus (*d*), quem referre operæ pretium reor. *Sæpe ſane contingit* (inquit ille) *ut cum de paſſione Domini minime cogitamus, conſpecta Crucifixionis Chriſti imagine, in ſalutiferæ paſſionis memoriam revocemur, & cernui non materiam, ſed eum, cujus eſt imago, adoremus. Quemadmodum ſcilicet nec Evangelici codicis, nec Crucis materiam adoramus, verum id, quod per hæc exprimitur. Quid enim alioqui diſcriminis eſt, inter illam Crucem, quæ Dominum non exprimit, & illam, quæ eum repræſentat? . . . . . Quin & imagini delatus bonor ad exemplar transfertur. Eſt autem hæc traditio ex illis, quæ in Scripturis minime expreſſæ ſunt: ut ea, qua ad Orientem verſi adoramus; nec non illa, qua Crucem veneramur, aliæque complures harum ſimiles.*

(*d*) de fide Orthod. cap. 16. in editio. Le-Quien. 17.

III. Id ipſum ex ſubſequentium Patrum monimentis accepimus. Gregorius II. in priore ad Leonem Iſaurum epiſtola ſic eum alloquitur. „ Itaque ad illam „ non manufactam imaginem mitte, ac vide: congre„ gantur illic Orientis turbæ populorum, & orant: „ & aliæ multæ ſunt tales manufactæ, quas Chriſti aman„ tes peregrinantium cœtus conſervant, qui ad ſpecta„ cula ejus modi confluunt, quæ quotidie venerabaris, & contemnis?„ Et mox. „ Et dicis nos la„ pides, & parietes, ac tabellas adorare? Non ita eſt, „ ut dicis, imperator. Sed ut memoria noſtra excite„ tur, & ut ſtolida, & imperita, craſſaque mens no„ ſtra erigatur, & in altum provehatur per eos, quo„ rum hæc nomina, & quorum appellationes, & quo„ rum hæ ſunt imagines; & non tanquam Deos, ut „ tu inquis, abſit: non enim ſpem in illis habemus. „ Ac ſi quidem imago ſit Domini, dicimus: Domine

(*) pag. 651. to. 8. Conci. Sed hoc teſtimonium extat in fine pag. 655. & ſubſequenti.

„ Jeſu-Chriſte fili Dei, ſuccurre, & ſalva nos: ſin
„ autem Sanctæ Matris ejus, dicimus: Sancta Dei ge-
„ nitrix Domini Mater, intercede apud filium tuum ve-
„ rum Deum noſtrum, ut ſalvas faciat animas noſtras.
„ Sin vero Martyris: Sancte Stephane, qui pro Chri-
„ ſto ſanguinem tuum fudiſti, qui ut proto-Martyr lo-
„ quendi confidentiam habes, intercede pro nobis. Et
„ de quovis Martyre, qui paſſus eſt martyrium, ita
„ dicimus; tales per illos preces offerimus; nec ita
„ eſt, uti dicis, imperator, quaſi Deos Martyres appel-
„ lemus.

IV. Simile quodpiam licet animadvertere in eâ epiſtolâ, quam Hadrianus I. ad Conſtantinum, & Irenem Auguſtos ſcripſit, lectaque eſt actione II. Concilii VII. (e) „ Nam ipſe princeps Apoſtolorum (inquit ille) beatus Petrus, qui Apoſtolicæ ſedi primitus præſedit, ſui Apoſtolatus principatum, ac paſtoralis curæ ſucceſſoribus ſuis, qui in ejus ſacratiſſima ſede perenniter ſeſſuri ſunt, dereliquit; quibus & auctoritatis poteſtatem, quem ad modum a Salvatore noſtro Domino Deo ei conceſſa eſt, & ipſe quoque ſuis contulit, ac tradidit divino juſſu ſucceſſoribus pontificibus, quorum traditione Chriſti ſacram effigiem, ſanctæque ejus genetricis, apoſtolorumque, vel omnium Sanctorum veneramur imagines.

(e) reſpondet hoc teſtimonium pag. 747. tom. 8. Conci.

V. Sed cur Patrum teſtimonia colligere pergo, cum certum ſit, octavo, & ſubſequentibus Eccleſiæ ſæculis Fideles omnes, (ſi quoſdam excipias, quibus Italia tota, atque in primis Romanus Pontifex, Hiſpaniæ quoque, & fortaſſe non modica Germaniæ pars, & Græci ipſi omnes deinceps obſtitere) imaginum cultum, venerationemque (*quam longis temporibus confirmatam, & cui deiferorum Patrum conſtantem conſenſum, & conſpirantē faviſſe ſententiam*, Theodorus Studites ait,) (f) approbaſſe?

(f) in ejus vita: (pag. 33. to. 5. Ope. Sirmondi) n. 66.

VI. Prodeſit etiam ad antiquitatem, & continuationem hujus conſuetudinis rurſus comprobandam, ea hic referre, quæ de Sanctorum Reliquiis alibi diximus, quæque de Cruce dicturi ſumus. Scilicet a primis, (id eſt a Reliquiis) argumentum, quod a pari vocare facile poteris, commode dedu-

de ducitur. Si enim quaslibet Sanctorũ reliquias veneratione, ac cultu proſequeris, cur Sanctorum imaginibus eũ adhibere recuſas, præſertim quum hæ interdum Reliquiis ipſis aptiores eſſe videantur ad renovandam in nobis Sanctorum memoriã, & excitandos nos ad pietatẽ? Attigit argumentũ hoc Damaſcenus (g), dum hæc ait. „ Quod ſi dicas, ſola mente nos Deo conjungi oportere; res igitur omnes corporeas tolle, luminaria, „ ſuave fragrans ſuffimentum, precationes vocales, „ ipſamet Sacramenta, quæ ex materia perficiuntur, „ panem, vinum, unctionis oleum, Crucis ſignum: hæc „ quippe omnia materia conſtant, quem ad modum „ Crux, & ſpongia, quæ Chriſto, dum Cruci affixus „ erat, porrecta fuit, arundo quoque, & lancea, „ quæ latus, ex quo vita profecta eſt, proforavit. „ Aut horum omnium venerationem aufer, quod fieri nequaquam poteſt, aut ne imaginum quidem honorem reſpue.

(g) oratione I. *de imaginibus*, illuſtrãs coñentariis quadã Baſilii verba deſumpta ex libro *de Spiritu Sancto ad Amphilochium*. (In teſtimon. pag. 321. to. 1. Le-Quien.)

VII. Cruci etiam, uti dixi, delatus cultus valde aptum ad rem noſtram præbet argumentum. Si enim ideo Crucem colimus, quia per eam exhibetur Chriſtus, illiuſque erga nos pietas coñendatur, propterea que ad obſequia, & grati animi teſtificationem accendimur, cur Sanctorum imagines colere recuſabimus, cum per eas repræſententur Sancti, illorumque erga nos merita commendentur, ideoque ad virtutes, & obſequia exſtimulemur? Id ſane ingenioſe attigit Theodorus Studites, ſic Leonem Imperatorem compellans: (b) *Sed quoniam vobis, Imperator, imaginis quidem honor odio eſt, Crux vero veneratione digna cenſetur, primum illud capere non poſſum, cum jam utriſque honor conjunctus ſit (ſimul enim imago, & ſimul Crux; quando quidem Domini adventus utrique gloriam attulit) nunc a vobis alterum ab altero ſecernitur, ita ut alteri ſors melior obtigerit, alterum repudietur, & contemnatur.*

(b) In vita pag. 35. tom. V. Oper. Sirmondi: n.71.

VIII. Uberius autẽ, & acutius Nicephorus ille Patriarcha, qui a Leone Armeno in exilium pulſus eſt, his verbis: „ Imago Chriſti ſimilitudo ejus eſt, & corpori ejus ſimilis eſt, figuramque corporis ejus nobis deſcribit „ & delineat, ac ſpeciem denunciat, & modum actionis, vel doctrinæ, vel paſſionis, ut plurimum imitando ſignificat. Figura vero nulla parte ſimilis eſt „ corpori ejus, nihilque eorum, quæ dixi, oſtendit.

[*] in eo libello, quem inſcriptum reperi ad hunc modũ: *De differentia imaginis, & Crucis decem ſyllogiſtica Demõſtrationes*, extatque pag. 1125. partis ſecundæ tomi quarti Bibliothecæ Patrũ edi. Pariſ. an. 1644.

„ Quod autem ſimile eſt alicui, magis propinquum, & „ cognatum eſt ei, quam quod non eſt ſimile, notiuſque „ illud propter ſimilitudinem efficit, ac proinde ho„ noratior eſt imago Chriſti, ut pote magis illi fini„ tima, & notior. Cum igitur figura Crucis apud „ nos ſit in honore, & veneratione, erit honoratior, „ ac venerabilior imago Chriſti. Præterea imago Chri„ ſti primum, & ſine medio, ſtatim, & primo con„ greſſu ſpeciem ejus nobis indicat, & memoriam af„ fert; ſi quidem eum, qui effigiatus eſt, in ipſa ef„ figie tamquam in ſpeculo ſpectamus. Crux autem „ non hoc facit; cum enim Crucem videmus, pri„ mum quidem mentem ad id, quod apparet, inten„ dimus, deinde cogitamus quid eſt, & quo modo ſan„ ctificata eſt, & a quo, contemplamur, atque ita „ ſecundo loco ad Crucifixum, & ad eum, qui Cru„ cem ſanctificavit, tranſimus. Quo circa quod pri„ mum tranſit ad aliquid, & illud in primis manife„ ſtum efficit, honoratius eo eſt, quod hæc ſecundo „ loco facit: imago igitur Chriſti honoratior eſt Cru„ ce Chriſti, quæ alioquin honorata eſt. „

IX. Sed & huc apprime faciunt, quæ de cultu Sanctis adhibito pridem diximus; cum enim (quod crebro tradidi, & copioſiſſime alibi ſum probaturus) delatus imaginibus cultus, ſit Sanctis ipſis unice delatus, (adeo ut *reſpective* tantummodo, & *relative* imagines veneremur) ea ſane quæ probant, cultum Sanctis adhibitum vetuſtum eſſe, & laudabilem, facile etiam nobis perſuadebunt, vetuſtum eſſe & laudabilem cultum imaginibus eorum delatum: quid enim accidere facilius poteſt, quàm ut Sanctorum præſentiâ deſtituti, ea obſequia, quæ eorum perſonis deferre nequeunt, eorum imaginibus deferant: id enim ſtudioſi, & amantes noſtri ſolent. (*)

(*) Recole, quæ capite 76. ideſt poſtremo diſſertationis IX. tradita ſunt, §. præſertim XIII. ea quoque quæ §. 17. capitis 2. hujuſce diſſertationis tradidimus.

CAP.

CAP. VI.

Adverſariorum objectiones aggredimur, atque hoc quidem in capite iis ſatis fit, qui argumenta noſtra diſſolvere ſtudent.

I. ATque hæc quidem argumenta in hoc genere attuliſse ſufficiat. Is, qui plura cupit, Theologos noſtros conſulat, multaque adinveniet, quibus conſuetudini iſti comendatio non levis accedat. Nunc adverſariis ſatis faciamus, oportet, eorumque argumenta expendamus. Porro quoniam plurima ſunt, ea non conjuncte, nec ſimul, ſed diſtincte, & ſeorſim proferemus, ab iis exorſi, quibus oblique perſuaſionem noſtram oppugnant. Infirmas itaque & imbecillas, ad hunc ferme modum diſputantes, probationes noſtras eſſe contendunt. Quis non irrideat bonos Pontificios, qui deſtituti monumentis, quæ a tribus prioribus Eccleſiæ ſeculis deducantur, ad ea confugiunt, quæ ex ſeptimo, atque adeo ex octavo ſeculo depromuntur. Age, age, expendamus diligentius, quinā Scriptores ab iis producantur. Anaſtaſius Bibliothecarius incertæ ætatis, & fidei auctor, & quem ſæpiſſime fallacem, mendacemque eſſe novimus; Gregorius II., & Adrianus, a prioribus ſæculis valde remoti, [ideoque minus apti ad veritatem eorum, quæ animoſe pronunciant, teſtificandam] imaginum autē venerationi addicti adeo, ut ad eam ſtabiliendam ab apocryphis ipſis hiſtoriis ſuſidium petere non recuſarint. Egregios ſane hujuſce conſuetudinis, teſtes, in quibus partium ſtudium manifeſto comperies: quique, dum a primis Eccleſiæ ſeculis eandem conſuetudinem repetunt, ne unum quidem proferunt dictorum vadem, nullum allegant antiquum Patrem: quum tamen ad antiquam Eccleſiæ diſciplinam comprobandam ex tribus, aut, ſi vis, ex quatuor tantum prioribus Eccleſiæ ſæculis proferri debeant Scriptores.

II. Quo uſque tandẽ his, aliiſque ſimilibus reprehenſionibus & querelis nos ludificare, ac diſtringere pergent adverſarii: quaſi his nulla adhiberi poſſet apta ſolutio? An ex ſeptimo, & octavo Eccleſiæ ſæculo tantummodo teſtimonia protulimus? An Anaſtaſium, Gregorium II., & Adrianum tantum adduximus? An non potius monumenta alia valde probabilia allegavimus? Quamquam temere ſane, atque immerito horum auctoritas contemnitur ab adverſariis. Anaſtaſius (quẽ in hac tamẽ diſputatione minime allegavi (*)) erravit, fateor, in iis, quæ Chronologiã ſpectant, in eo etiã erraſſe rigidiores Critici volunt, quod ſuſpectis quibuſdam monumentis interdum fidem habuerit; quæ tamen monumẽta alii probabilia eſſe contendunt [in quo quidem diſſidio utra ſententia præſtet, nunc non attinet diſputare.] At in iis, quibus vel interfuit ipſe, vel quæ tametſi vetuſta, vidit tamen adhuc in Eccleſiis recenta, diligenterque ſervata, cum vel ex litteris, aliiſque argumentis id indicantibus, noſſe potuerit, quonam tempore ea facta fuerint, fidem merito obtinet: eſt enim ſcriptor, quiſquis is eſt, diligens, & probus, neque Lectori fucum facere ſtudet.

(*) diſputa. ix. haud raro is eſt allegatus.

III. At multo vehementius in Gregorium II., & Hadrianum II. inſurgunt, eoſque (uti nuper diximus) deſpiciunt, quod nimis remoti fuerint ab iis temporibus, quorum monumenta allegant, uſque adeo vero uni parti addicti, ut apocrypha ipſa ad illudendum Lectorem, producere non vereantur. Horum tamen impetus ſic retundite. Non tam remoti a prioribus Eccleſiæ ſeculis fuere Sanctiſſimi ii Pontifices (quos doctiſſimos pariter fuiſſe conſtat) ut temporis edacitas, atque oblivio eâ, qua illi vivebant ætate, vetuſta monumenta abolere potuerit, & prorſus ab hominum memoria tollere. Quid quod ea ſæpiſſime allegant, quæ in omnium oculis, atque aſpectu erant? Temere vero eorum auctoritatem rejicis, quod a Catholicorum partibus ſtabant. Rejicienda, ſi ita res ſe habet, Ambroſii, Auguſtini, & reliquorum veterum Patrũ auctoritas eſt, quod adverſus hæreticos diſputantes multa teſtentur, quæ ex aliis Scriptoribus aſſequi minime poſſumus. Quis tamen (ut reliquos prætermittã) Optati Milevitani, & Victoris Vitenſis teſtimonia recuſet, quum neſaria geſta eorum, quibus adverſaban-

ſabantur, deſcribunt? In Scriptore probitas & ſcientia eorum, quæ poſteris tradit, expoſcitur: quas ſi reperias, Scriptori illi fidem habeas, neceſse eſt. An vero imperitos, an improbos, mendaceſque fuiſse dices Gregorium, & Hadrianũ, quos, ut nuper dixi, probos pariter, & doctiſſimos fuiſse conſtat? Quod ſi aliter fuiſſet, eorum dicta adverſarii, præſertim Galli facile retudiſsent; quod tamen minime factum novimus.

IV. Cur porro (inquis) apocrypha ſæpe allegant? Apocrypha fortaſse ea non ſunt, quæ tu apocrypha appellas. At age ſint: vide quàm comis ſim. Ideo porro ea (quæ tamen numero pauca ſunt) apocrypha allegarunt, quia omnium (atque adeo adverſariorum ipſorum) conſenſione, valde probabilia putabantur. Id porro ſatis eſt, ut, ſi allegantur, temere non allegentur. Pulchre Auguſtinus (*): *Quod in hominum doctorum litteris invenitur, famâque vulgatum eſt, nec ſtulte dici putandum eſt, etiam ſi verum non eſt.*

(*) *de geſtis Pelagi.* n. 18. aliàs cap. 6.

V. Vindicatis ab adverſariorum reprehenſionibus Gregorio II., & Hadriano, conſilium noſtrum pariter vindicemus, eſt opus. Redarguunt ſcilicet nos, quod trium priorum ſæculorum monumenta non produxerimus, quibus unice fidendum ajunt. At dicant, obſecro, cur ſeveram hanc legem, quam nobis præſcribunt, non ſervant ipſi, quum ſua dogmata adverſus Catholicam fidem ſtabilire ſtudent? Rara enim, interdum nulla triũ priorũ ſeculorũ monumenta in rem ſuam allegant. Hanc tamen legem nos non edicimus; quippe perſuaſum eſt nobis, id temere poſci a Theologis. (*a*) Quod ſi in reliquis Eccleſiæ conſuetudinibus verum eſſe volumus, id præſertim in eo, de quo agimus, more eſt aſſerendũ: novimus enĩ, periiſſe pleraque Veterum ſcripta, & Sanctorum Acta, in quibus id facile perſpiceretur. An neſcis, Prudentium, vetuſtum ſane Scriptorem, doluiſſe maxime, quod ea monumenta, in quibus Martyrum victoriæ, & res geſtæ, ſæpe etiam Eccleſiaſtici ritus deſcribebantur, majori ex parte eripuerint impia Tyrannorum juſſa, & adverſus Chriſtianos acerbiſſimum odium? (*b*) Audi quid hoc in argumento diſertiſſimus auctor dixerit.

[*a*] diſſer. 3. cap. 21., & 22.

(*b*) peri ſtephanon ſeu *de coronis*: hymno 1. v. 144.

Oh vetuſtatis ſilentis
Obſoleta oblivio!
Invidentur iſta nobis,
Fama & ipſa extinguitur.

Char-

Chartulas blaſphemus olim
Nam ſatelles abſtulit,
Ne tenacibus libellis
Erudita ſecula
Ordinem, tempus, modumque
Paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent.

VI. Hujus tamen ſolutionis non indigemus, quī comendationem illius, de quo agimus, ritus, neceſſe non habemus ab Apoſtolicis uſque temporibus repetere. (*) Si quis vero eum a tam vetuſta ætate deducere cuperet, id fortaſſe poſſet, iis probationibus fidens, quæ §. 5. & ſequentibus capitis 2. attuli.

(*) Vide dicta capite 2. §. 1. 2. 3., & 4.

C A P. V I I.

Ea aggredimur argumenta, quibus directe perſuaſionem noſtram impetunt, atque hoc quidem in capite ſatisfacimus iis, quæ ex Juſtino, & Tertulliano adverſus nos intorquent.

I. NUnc præſtat illa explicare, ac diluere, quæ directe adverſus nos urgent Proteſtantes, ſic primum quidem diſſerentes. Admitti hæc tua quidem reſponſio fortaſſe poſſet, niſi expreſſiſſima veterum Patrum teſtimonia obſiſterent, atque illa in primis, quæ pluris fiunt a Catholicis ipſis. Id enim procul dubio de iis Patribus eſt pronunciandum, qui propiores Apoſtolis extitere, e quorum numero minime arcebis Juſtinum, & Tertullianum. Tamen uterque adhibitam imaginibus quibuslibet venerationem averſatur. Vin' verba ipſa proferam? Statim pareo, & præter Irenæum,

næum, Juſtini apologiam, & Dialogum cum Tryphone allego, in quibus quidem apertiſſime imagines quaſcunque *ad cultum propoſitas ſimpliciter damnari dicit* (*a*): allego quoque Tertulliani locum: quippe capite 30. Apologetici hæc inquit: *Nos adoramus oculis ad cælum ſublatis, non ad imagines, ſeu picturas*. Quid clarius ad refutandum cultum imaginibus quibuſque adhibitum?

II. Hæc ſane objectio magnas vires habere creditur, ad incutiendum Catholicis metum: ſed leviſſimas profecto habet. Kempium virum non indiſertum, a quo iſta deſumpſi, ſi ſolutionem objectionis ex Irenæo deſumptæ expoſcit, ad ea delego, quæ hoc ſuper argumento alibi dixi. (*b*) At ego contra ab eo, illiuſque aſſeclis haud immerito expoſco, ut loca Juſtini, quibus ille innititur, indicet: cogit enim Lectorem, ut vel immanem laborem ſubeat, & non modo totam legat Juſtini Apologiam, quæ *ad Imperatores* directa eſt, prolixam ſane, & ſæpe difficilem, verum etiam, ut habitum a Juſtino cum Tryphone dialogum percurrat, ideoque non levis molis librum; vel ut ſtatim illius auctoritati annuat, eaque in Juſtini libris monita eſſe dicat, quæ num revera in iis inſint, dubitare merito poſſumus. Malui tamen improbum laborem ſumere, legique non modo totam objectam Juſtini Apologiam, verum etiam habitum a Sancto Doctore dialogum cum Tryphone Judæo. Subſequentia (atque ad ea quidem fortaſſe reſpexit Kempius) mihi viſa ſunt digna, quæ adnotarem. (*c*) *Sed neque victimis multis, & florum coronis colimus, quos homines effingentes, & in templis collocantes, deos cognominarunt; quandoquidem hæc anima carentia, & mortua eſſe novimus, & Dei formam non habere. Minime namque gentium talem Deum obtinere ſpeciem, qualem quidam dicunt honoris gratia per imitationem eſſe expreſſam; verum ſigna iſta illorum, qui apparuerunt, malorum Dæmonum & nomina, & formas referre ducimus. Quid enim opus eſt apud vos, qui ſcitis, commemorare, quomodo artifices materiam tractent, polientes eam, & incidentes, & conflantes, & tundentes, & ex inhoneſtis ſæpe numero vaſis, figuram tantum arte ſua mutantes, & conformantes, atque exinde deos cognominantes? Quam rem non modo præter rationem omnem eſſe, verum etiam cum contumelia Dei fieri ſtatuimus &c.*

(a) iiſdem verbis utor, quibus objectionem hanc inſtruit Kempius *de oſculis* diſſert. 6. *de oſculis imaginum & reliquiarum Sacrarum*. §. 2. pag. 134.

(b) diſſer. 9. cap. 45. §. præſertim 6.

(c) pag. 13. editio. Londi.

III. Alterum Juſtini teſtimonium deſumitur ex pag. 31. quæ mihi hæc præbet: *Opera autem manuum hominum adoranda non eſſe cenſentes, Menandro Comico, iiſque, qui eadem dixerunt, ſuffragamur.* In tertium denique incidi pag. 95: atque locum ipſum exſcribo: *Quod item Dæmones deæ ejus, quæ dicitur Libera, ſimulacrum, ad aquarum fontes, excitari curarunt, filiam eam Jovis eſſe affirmantes &c.* Atque hæc quidem ex Apologia ad Principes deſumuntur. Quæ deinceps afferam, ex Dialogo cum Tryphone excepi. (*d*) *Cernimus autem, perſuaſumque habemus per nomen ipſius Crucifixi Jeſu Chriſti, ab idolis, atque omnis generis iniquitate homines ad Deum accedere, & ad mortem uſque in profeſſione, & pietate perſeverare.* Et rurſus: (*e*) *Et quod propter peccata populi veſtri, & ſimulacrorum cultus, minime gentium autem quod iſtius modi oblationibus ei ſit opus.* Alia non refero, quod affinia his ſint. Poterit autem, ſi volet, ea per ſe conſulere Lector, cujus commodo in marginem ea rejeci. (*) Mihi vero perſuadeo, nullum locum ſuperioribus affinem, ad quem propterea reſpicere potuerit Kempius, prætermiſſum a me fuiſſe. Sed quorſum hæc? Nonne nos ipſi hæc ultro excipimus, fatemurque nullum prorſus cultum adhiberi poſſe ſive falſis diis, ſive eorum ſimulacris, & imaginibus, de quibus, procul dubio, plerumque etiam expreſſiſſime, & nominatim, loquitur Juſtinus? Neque enim alio reſpicit ille ipſe, qui nonnullis videtur ambiguus paginæ 31. locus: *Opera autem manuum &c.* An forte putas, Menandrum Comicum Sanctorum imagines connotare: aut Juſtinum, dum *idola* nominat, Sanctorum imagines indicare? Hæc quidem non paucorum Proteſtantium manifeſta eſt opinio. Sed palam falluntur, nemoque ex iis, qui recte de rebus judicare noverunt, iis aſſentietur: adeo manifeſto de falſorum Deorum ſimulacris, cultuque iis adhibito Juſtinus diſſerit. Et de Juſtino quidem ſatis diximus.

(*d*) 1. Dialo. par. pag. 158.

(*e*) Ibidem pag. 178.

(*) pag. 207. 230. 247. 340.

IV. Tibine vero videtur Tertullianus delatum a Catholicis Sanctorum imaginibus cultum averſatus, quod dixerit: *Nos adoramus oculis ad cælum ſublatis, non ad imagines, ſeu picturas?* At minime averſaretur, ſi hæc ipſa diceret: etenim cum adverſus deorum ſimulacra

diſpu-

diſputaret; *imaginum, ac picturarum* nominibus imagines, ac picturas deorum innueret. Tamen non ita loquitur: neque imaginum, aut picturarum *indefinitè* meminit. Audi ſtatim ipſa Tertulliani verba, ex quibus quidem illius ſententiam, ab ea, quam ais, longe diverſam, habe. *Illuc* (Cælum) *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo quia non erubeſcimus . . . . oramus pro omnibus Imperatoribus.* Sed de his nolo plura.

CAP. VIII.

Iis occurrimus, quæ ex Origene, ex Athanaſio, ex iis in Pauli Epiſtolas commentariis, quæ aliquando Ambroſio tributa ſunt, iis denique, quæ ex Philoſtorgio, deſumuntur.

I. At animo non concidunt adverſarii, & diſputare ſic pergunt. An Origene antiquiorem proferre poterunt Pontificii? Origeni tamen ſummum in modum diſplicuiſſe delatum imaginibus quibuslibet honorem, hæc ejuſdem Origenis verba declarant (*a*): *Nos vero ideo quoque non honoramus ſimulacra, quia quantum poſſumus, cavemus, ne quando incidamus in eam credulitatem, ut & iis tribuamus divinitatis aliquid.* An quempiam habet Eccleſia, quem magno Athanaſio præferat? Hic tamen imagines coli prorſus vetat, hæc elocutus (*b*): *Quomodo non miſereamur eorum, qui Creaturas colunt? quoniam hi, qui vident, eos qui non audiunt, orant. Creatura enim a creatura nunquam ſalvabitur.*

II. Ut autem plane noſcant adverſarii, ea argumen-

(*a*) lib. 7. adverſus Celſum.

(*b*) in ipſo fere initio orationis *contra Gentes*.

ta, quibus perſuaſio hæc noſtra impeti a quopiam poſſet, a nobis minime diſſimulari, ea hoc in capite monumenta afferre placet, quæ nec Dallæus, nec alii, quos ego legerim, adverſus nos urgent. Quia tamen ſpeciem aliquã veritatis habent, ea hic ſtatim refero. Ambroſius vetuſtiſſimus, & Sanctiſſimus ſcriptor imagines adorari non ſinit, cum hæc ait (c): *Qua ratione, quave auctoritate imagines Angelorum, vel aliorum Sanctorum adorandæ ſunt, cum ipſi ſancti Angeli, vel ſancti homines, vivos ſe adorari noluerunt?* Quid quod nullum imaginibus cultum Conſtantino, & Conſtantio imperantibus, ideoque iis ipſis temporibus, quibus aucta propagataque Eccleſia multũ a priſca ſimplicitate deſciverat, nullum etiam Juliano Apoſtata imperante, delatum fuiſſe imaginibus cultũ, ex eo conſtat, quod nullũ Chriſtiani adhibere conſueverint illi ipſi Salvatoris imagini, qua nullã fortaſſe antiquiorem eſſe putabant? Audi porro, quid Philoſtorgius vetuſtiſſimus hiſtoricus hac de re tradit: (d) *Statuam vero in Diaconico Eccleſiæ collocarunt, competentem ei curam atque obſervantiam deferentes: nequaquam tamen eam colentes, aut adorantes: neque enim fas erat æneam, aut aliam quamlibet materiam adorare. Sed hoc uno, quod eam honoratiore in loco collocaverant, & quod ſpectandi cauſa ad eum locum cupide adventarent, amorem ipſius Archetypi declarantes.*

II. Jacta ſunt quidẽ in ſuperioribus hujuſce diſputationis capitibus ſemina quædã explicationũ, quibus objecta argumenta diſſolvere, atque enodare poſſimus. At peculiares deinceps ſolutiones afferam, quibus unicuique teſtimonio ſatisfaciam. In objecto Origenis teſtimonio tam validas vires ineſſe putavit Caſſander (e), ut illius reſpectu veritus non ſit pronunciare, *veteres initio Eccleſiæ ab omni veneratione imaginum abhorruiſſe*. At eum plane deceptum fuiſſe arbitror: quippe eò procul dubio ſpectant Origenis verba, ut doceamur, Judæos pariter, & Chriſtianos adeo Idololatriam exoſam habuiſſe, ut mori non vererentur, ne ſupremum cultum ſoli Deo adhibendum iis deferrent rebus, quibus Gentiles, ob ſummam imprudentiam, deferebant. An hæc monita imagines Sanctorũ in veneratione haberi vetant? Præſtat autem ipſa Origenis verba, prout in editione P. de la

Rue

(c) Objectionem hãc deſumpſi ex eo libro, qui *Synodus Pariſienſis de imaginibus* inſcribitur pag. 116. *Ecce enim Beatus Ambroſius antiquus Eccleſiæ Dei probabilis doctor ita in epiſtola Pauli ad Romanos tractans ait*: Qua ratione &c.

(d) in excerptis lib. 7. n. 3. Valeſio interprete.

(e) in conſulta. ar. 21. *de imaginibus, & ſimulacris* pag. 591. tom. 4. Oper. Theolo. Hugo. Grotii edit. Baſile. 1732.

-Rue latina interpretatione donata vidi, hic referre. (*f*) „ Nemo enim illorum odio habet aras & ſimulacra, „ quod cultum divinitatis deprimere & in materiam „ illo modo elaboratam transferre vereatur; neque „ quod putet Dæmones inſidere in quibuſdam ſimula- „ cris & locis, ubi magicis carminibus retineantur, „ aut poſſe aliis modis quædam loca occupare, in qui- „ bus victimarum nidore paſti illicitam illicite volu- „ ptatem venentur. Sed Judæi & Chriſtiani propter „ iſtud: (*) *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſer-* „ *vies;* item propter iſtud: (*) *Non erunt tibi dii alii præ-* „ *ter me;* &, *Non facies tibi idolum, neque omnem ſi-* „ *militudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra* „ *deorſum, & quæ in aquis ſub terra deorſum: non ado-* „ *rabis ea, neque coles;* & propter hoc: (*) *Dominum* „ *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies,* & propter „ alia plura ſimilia, non ſolum templa, aras, & ſi- „ mulacra abominantur, ſed etiam parati ſunt mori, „ ubi ſe dederit occaſio, ut ſuam Dei ſummi notio- „ nem ab aliqua ejuſmodi impietate intaminatam ſer- „ vent. „

(*f*) li. 7. contra Celſum n. 64. pag. 739., & 740. to. 1.

(*) Deuter. 6. 13.

[*] Exod. 20. 3. 4.

[*] Matth. 4. 10.

III. Nicæna ſecunda Synodus (*g*) paulo fuſius perſequitur ſolutionem, quam adhibeas teſtimonio Magni Athanaſii. En paucis illam. Loquitur Athanaſius de iis, qui idola colunt, Deos ſcilicet aureos, æneos, ligneoſque, & lapideos, qui neque audiunt, neque vident. At qui ſacras imagines colit, cultu reſpectivo eas colit, ideoque illo cultus genere, quod ad eos, quorum imagines ſunt, refertur. Porro ii, quorum imagines nos honoramus, procul dubio audiunt, & vident. Utiliſſimum vero eſſe cultum delatum Sanctis, cum alibi fuſe oſtenderim, hic ab eo argumento rurſus pertractando ſuperſedeo.

(*g*) act. 6. tom. V. ejuſdē actionis pag. 2134. tomi 8. Concilio.

IV. Sed ne ſubſequentes quidem argumentationes movere nos debent. Perquiſivi diligentiſſime in comentariis iis, quæ, tam etſi aliquando præpoſito Ambroſii nomine allegentur, Ambroſio tamen demunt Patres S. Mauri, aliique probatiſſimi viri, qui de illorum commentariorum auctore diſsentientes, multo tamen deteriorem Ambroſio, eum eſſe conſentiunt. Sed diligentiam meam fefellit eventus: neque enim verba illa, ſummo ſtudio perquiſita, reperi. Quænam

nam ego fuerit illorum verborum veriſimilior ſignificatio, aſſequi nondum potui. Sed is (me quidem judice) non errabit, qui doceat, Scriptorem hunc (ſi antiquum, probatumque eſſe volumus: facile quippe Iconoclaſta aliquis ſub eo nomine deliteſcere potuit, ut incautis illuderet.) vetuiſſe iis verbis, cultum adorationemque rigoroſe acceptam Creaturæ, præſertim vero rationis experti, deferri. Planiſſima ſane, nec coacta explicatio iſta eſt: idque habet commodi, ut tum argumentum *a fortiori*, quo auctor ille utitur, ſuſſas habeat vires.

V. Sed venio ad Philoſtorgium. Quid ſi reponam, mendaciſſimum eſſe Scriptorem hunc, cui propterea ſidem habendam eſſe, negat Photius? Erat quippe apertiſſime Philoſtorgius Arianæ factionis fautor, ideoque Catholicas conſuetudines averſabatur, & damnabat? Verum audiatur Photius ipſe, interprete Andrea Schotto (b). „ Lecta eſt Philoſtorgii Ariani veluti *Hiſtoria Eccleſiaſtica*. Narrat fere contraria omnibus „ Eccleſiaſticis hiſtoricis, laudibus extollens, quos novit Arianiſmo infectos, & conviciis Orthodoxos perfundens: ut eſſe hoc ejus opus non tam hiſtoria videatur, quàm hæreticorum laudatio, cum nuda, & mera vituperatione Catholicorum. . . . Ipſe vero ſcriptor mendax eſt, & fabulis minime abſtinens. „ Cur ergo in ea, quam hic habet, narratione, veracem eum eſſe dicemus, ideoque promeritum fidem noſtram?

(b) Cod. 40. pag. 26. editionis Rothomagenſis.

VI. At non eo hæc dixerim, quaſi aliter objectæ Philoſtorgii auctoritati occurrere minime poſſem. Solvitur ſcilicet plane difficultas ſuper eo teſtimonio conſtructa, ſi dixeris, cultum imaginibus ipſis, ſeu, ut apertius loquar, earum materiæ delatum, jam pridem improbatum fuiſſe ab Eccleſia. Sed nec deſunt, qui cenſeant, Chriſtianos veritos, ne a Gentilibus in malam partem acciperentur eorum obſequia ſtatuæ illi delata, neve putarentur ſtatuæ ipſi, non Chriſto, cultum ab iis adhiberi, caviſſe prorſus ab iiſdem obſequiis deferendis. Quo periculo ſubmoto, Fidelium pietas coercita non eſt amplius, ideoque Chriſto in primis, tum Deiparæ, & Sanctis, in eorum etiam imaginibus delata ſunt obſequia: item fere ut Im-

pe-

peratoribus; non in eorum tantum, ut ita loquar, perſonis, ſed in eorum etiam imaginibus, & ſtatuis delatus fuit a ſubditis honor. Id innuit, niſi fallimur, Philoſtorgius ipſe, dum ait, olim abſtinuiſſe Chriſtianos a veneratione ſtatuæ illius, ſilet vero prorſus de conſuetudine ætatis illius, qua ipſe vivebat, ideoque tacite indicat, Eccleſiam id deinceps, remotis ſcilicet periculis, permiſiſſe Fidelibus. Et hæc quidem ad objecta Ambroſii, & Philoſtorgii teſtimonia dicta ſint ſatis.

C A P. I X.

Quædam Hieronymi verba objiciuntur, & illuſtrantur.

I. ETſi non pauca fuerint, quæ diſſolvimus, non continuo difficultates omnes nos ſuperaſſe dicendum eſt. Ad novum certamen adverſarii nos provocant, atque a principio Hieronymi auctoritatem adverſus nos urgent, & ita diſſerunt. Quis vetuſtum eum ritum eſſe contendet, quem nonnullorum imprudenti, ſeu potius veſano ſtudio in Eccleſiam inductum, ſtatim condemnarunt præcipui Patres? An inter præcipuos, Hieronymum non recenſebis? Audi tamen, quam vehementer adorationem imaginibus delatam redarguat, & deteſtetur. (a) *Sive* ſtatuam, . . . *ſive* imaginem auream . . . *voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo Judices, & Principes ſæculi, qui Imperatorum ſtatuas adorant, & imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo.* Quibus quidem verbis eorum reſponſio refellitur, qui ajunt, illos tantũ hic reprehendi, qui divinum cultũ Imperatorum Imaginibus deferebant: etenim ii redarguun-

(a) in Daniel. cap. 3. v. 18.

guuntur, qui aliter agunt, atque egerunt tres illi pueri: hi porro non modo ſtatuā a Nabuchodonoſore erectam, verum etiam ejuſdē Nabuchodonoſoris deos colere recuſarunt. (*b*) Eos itaque omnes, qui puerorum iſtorum exemplum non ſequuntur, reprehendit Hieronymus, qui duo imaginum genera, quibus cultus adhibebatur, diſtinguens (nempe ſtatuas Imperatorum, & imagines *ſine ullo addito*) plane innuit, non modo eos eſſe condemnandos, qui Imperatorum ſtatuas colunt, verum etiam eos omnes, qui quaslibet colunt: etenim hi *deos* adorant, ſeu potius faciunt, adorando: priores vero illi ſtatuas aureas, Principum vultus repræſentantes, adorant. Et ſane quis adeo deſipiet, ut putet, eos tantum fuiſſe a Hieronymo reprehenſos, qui Gentilibus imperantibus, divinos honores Principum ſtatuis adhibebant? Nonne multo priùs quàm Hieronymus hæc ſcriberet, Gentiles regnare deſierant? Ad eos itaque reſpexit Hieronymus, qui Chriſtianis etiam Principibus regnantibus, ante eorundem Imperatorum, aut alias quaslibet Imagines ſe proſternebant: (*c*) hanc enim ipſam proſtrationem, cuicumque tandem imagini, atque adeo etiam ſacræ delatam, ut pote ſuperſtitioſam, improbamque reprehendit. Hæc fere Dallæus, aliique Dallæi opinionibus adhærentes.

II. Et hæc præ aliis Dallæus objicit? ille, inquam, Dallæus, qui alibi (*d*) vehementer inculcat, Hieronymi commentaria in *Scripturam* nihil aliud eſſe, niſi quemdam ex veteribus, ſed præſertim ex Origene, Didymo, Apollinare, Theodoro Heracleota, Euſebio Emiſſeno, & Alexandro hæretico, aggeſtis ſine ullo delectu ſententiis, undique ſuffarcinatum centonem? Quam quidem opinionem ſi amplecteremur, præſentem difficultatem facillime diſſolveremus: ea enim, quæ hic traduntur, ſi ex Origene, aut alio vetuſtiore, Tyrannis in Eccleſiam adhuc ſævientibus, vivente Doctore ſumpta ſunt, nihil nobis negotii imponunt. Quis enim enim neſcit, Gentilibus imperantibus, innumeras Numinum ſtatuas, atque adeo ipſius Romæ, & Imperatorum imagines fuiſſe propoſitas ad adorandum? (*) Sed nolo hac in reſponſione hæreamus. Hæc ex propria ſententia locutus ſit Hieronymus. An propterea vetat, imaginibus quibuslibet deferri tale honorificentiæ ar-

(*b*) *deos meos non colitis, & ſtatuam auream, quam erexi, non adoratis.*

(*c*) *de imagini.* li. 3. cap. 3. pag. 306. editio. Genev. 1641.

(*d*) Vide quæ tradit Dallæus *de uſu Patrum* lib. 1. cap. 6. pag. 150. &c.

(*) Vide quæ mox ex Naziāzeno, aliiſque vetuſtis Scriptoribus allegabimus. Vide etiam, obſecro, quæ Clariſ. Boſſuet annotat. in caput 3. aliaque Apocalypſis loca.

gumentum, quod *adorationis* late ſumpto vocabulo deſignari poſſit? Id tu quidem affirmas, contendiſque. Nego vero ego, quin & pernego, qui tuum hoc argumentum vitio illo laborare aio, quod *a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* Logici appellant. Hieronymus nempe eos tantum reprehendit, qui Principum ſtatuas & imagines adorant, tu vero reprehenſos ab eo dicis illos omnes, qui quaslibet, ideoque etiam ſacras imagines, *reſpective & relative* colunt. At quanam ratione id probas? quia ſcilicet duo Idololatriæ genera, a Nabuchodonoſore commemorata, refellere volens, duo imaginum genera recenſet. *Imperatorum ſtatuas*, & imagines, quas cum non determinet, *indefinite*, ideoque *univerſaliter* eum locutum fuiſse, proindeque cultum quibuslibet imaginibus delatum damnaviſſe putas. At falleris. Cur enim *Judices* tantum *&* *Principes ſæculi* memorat ille? An arbitraris, hos tantum imagines coluiſse, adeo ut *Judices* tantum, *& Principes ſæculi* inter ſuperſtitioſos, tuâ quidem ſententiâ, Chriſtianos ſint recenſendi? Si mulierculas & imperitum vulgus comemoraſſet Hieronymus, probabilis fortaſse argumentatio hæc tua redderetur. Sed cum *Judicum*, *& Principum ſæculi* tantummodo meminerit, eos tantum innuiſse dicendus eſt, qui ſive adulatione permoti, ſive ſpe aliqua impii lucri, Imperatorum *ſtatuas & imagines* (e), ante alios quoslibet, & impenſius colebant. (*) Sic itaque accipienda eſt illa Hieronymi ſententia: *Ergo Judices, & Principes ſæculi, qui Imperatorum ſtatuas & imagines colunt, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo*. Quam ob rem, ſive duo illa a Nabuchodonoſore commemorata (f) reſpexerit Hieronymus, ſive unum tantum (quod probabilius videtur eſſe), non imaginibus quibuslibet, ideoque etiam ſacris, adhibitum cultum ille condemnat, ſed eum tantum, quo Imperatorum imagines, numinum inſtar, colebebantur: hi enim, qui id præſtabant, *Deos* veluti faciebant, dum tamquam Deos colebant Imperatores in iis imaginibus repræſentatos, & certe eorum ſtatuas adorabant. Ideo vero ſtatuas, & imagines, (duo repræſentationum genera) recenſet, quia vel *pleonaſmo* utitur, Scriptoribus non infrequenti, vel *exegetice* imagines ſumit; has nempe eſse declarans, quas nuper dixerat, *ſtatuas*, (*) vel quia

(e) *ſacros vultus*.

[*] *Præſertim gentium præfectis* propoſuiſse Julianum imagines ſuas *ad adorandum*, diſcimus ex Nazianzeno.

[f] *Deos meos non colitis, & ſtatuam auream, quam erexi, non adoratis*.

(*) *ære fuſa Principum &c. capita &c.* Ambro.

 duo

duo revera erant imaginum Imperatorum genera; quorum unum extans & ſive ære, ſive marmore, aut, in vis, anaghytico opere in ſcutulis efformatum, pictum fuiſſe videtur alterum; & militaribus ſignis aliquando illatum. (*) Utrumque porro imaginum genus colebatur, atque adeo etiam colebatur purpura ipſa veluti ſupremæ dignitatis index (*g*), ſeu potius in eâ colebantur Imperatores. (5)

III. At neminem fuiſse aïs, qui Chriſtianis Principibus imperantibus, divinum honorem eorundem Principum ſtatuis detulerit. Id ſi fatebor, nihil erit quidem, quod me deterreat: etenim vel reſpicere potuit ad proxima Juliani tempora, (nam eo etiam imperante Hieronymus vixerat) (*) vel frequentem Scriptoribus omnibus loquendi rationem adhibuit, (*h*) præſenti ſcilicet tempore uſus, ut præterita deſcriberet. Tamen nihil eſt, quod me cogat, ut id fatear. Chriſtianos ſcilicet atque adeo pios, & ab idololatria alieniſſimos Principes per ea tempora regnaſſe, novi; at etiam novi, adulationi, vetuſtiſque ritibus addictiſſimos eſse ſubditos, eos præſertim qui ex honore Principibus adhibito aliquid emolumenti percipere ſe poſse ſperant. Quam ob rem ſuſpicari merito poſsumus, non defuiſse aliquos, qui, recuſantibus etiam ſuperſtitioſos honores Principibus, ut veterum morum retinentes, ac vindices ſe ſe oſtenderent, eorundem Principum ſtatuis immoderatos, & cum Chriſtiana pietate minime convenientes honores deferrent. An non docet Euſebius (*i*) *lege-da-*

[*] Nazianzenus, & Sozomenus deinceps allegandi &c. Conſule etiam quæ tradit Juſtinus apolog. *ad Imperato*. pag. 91. aliàs 83. editio. Londi. 1722. Joſeph. Heb. anti. li. 18. cap. olim 4. in editio. Havercampi 3. n. 1. Veget. *de re milita*. 2. cap. 7. Calmet in Diction. ad verbum *Abominatio*. Svetonius quoque (in Tiber. 48.) de Sejani imaginibus loquens, hoc quod agimus argumentum juvat.

(*g*) Salmaſ. in caput 29. Trebellii Pollionis pag. 331.

(*) Anno Chriſti 342., aut certe ſub illud tempus, Hieronymus natus creditur. (Vide Tillemont *in Hieronymi vita* ar. 2. tom. XII. *Hiſtor. Eccleſ.*) Julianus porro Imperium obtinuit anno 361. (Vide Tillemont *de Imperat.* to. 4. ar. 10. *Vita Juliani* pag. 507. edit. Vene.)

(*h*) Adeo frequens eſt apud Scriptores hujus modi figura, ut pene pudeat exēpla illius indicare. Si quis tamen aliqua cupiat, Tullium conſulat 3. Officio. 59. *contendit .. impetrat, emit .. nomina facit &c.* nec aliò ſpectat Evangelicū illud Joan. IX. 13. *Ad-*

(5) Conſueviſſe Veteres, Principū ſtatuas adorare, præter teſtimoniū libri *Sapientiæ* cap. 14. v. 15. & 16. apertiſſime tradit Joſephus, (1) Plinius II: (*) *Negant ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, cum præeunte me, deos appellarent, & imagini tuæ . . . thure, ac vino ſupplicarent . . . Omnes & imaginem tuam, deorumque ſimulacra venerati ſunt.* Salmaſius quoque [2]. Indicat etiam id Vopiſcus verbis illis: [3] *Dignitatem Probo derogent, quam Imperatores noſtri prudenter, & conſecrandam vultibus, & ornandam templis, & celebrandam ludis circenſibus judicarunt:* (ſeu ut legi Salmaſius, & Caſaubonus jubent: *quem* (Probum) *Imperatores noſtri conſecrandum vultibus &c.*) Similiter Capitolinus (4): *Gratulatus ſum legionibus ipſis, & auxiliis, quæ ubique terrarum jam vultus ve-*

data vetuiſſe Conſtantinum imagines ſuas in idolorum templis dedicari, ne forte errore vetitæ ſuperſtitionis, vel inani ſpecie tenus, inquinaretur: quam quidem legem non tuliſset Imperator, niſi vidiſset inclinatiſſimos Populos, ut Principum ſtatuas vetuſtis ritibus dedicarent, ideoque etiam colerent. An non etiam aſsequimur ex Philoſtorgio (*) (ſi quam habes illi fidem) Chriſtianos ipſos Conſtantini imaginem, *in porphyretica columna ſtantem ſacrificiis placaſſe . . . vota etiam illi feciſſe ut Deo, & ſupplicationes ad depellendas calamitates peregiſſe?* Denique (niſi nos multorum opinio decipit) eodem ſpectat Ambroſius, dum hæc ait: (*) *Ære fuſa Principum capita, & ducti vultus de ære, vel de marmore ab hominibus adorantur.* Et hæc quidem celebratiſſimi teſtimonii, non illaudabilis (me quidem judice) poteſt eſse explicatio.

Adducunt eum: & 17. *dicunt ergo ecce &c.*

(*i*) cap. 16. lib. 4. Vitæ Coſtantini.

[*] ſub finem lib. 2. excerptorum n. 17. Valeſ. interpre.

(*) li. 6. Hexam. ca. 9. n. 57.

F 2 CAP.

---

veſtros adorant. Sed ceteris omnibus uberius. id proſequitur Gregorius Nazianzenus (5), cujus verba hic libentiſſime referrem, niſi plurima eſſent. Lector locum in margine indicatum per ſe ipſe conſulat. Proderit etiam ea legiſſe, quæ docet Sozomenus (6).

(1) lib. 18. *antiqui.* cap. 15. editio. Rufini. Haverc. cap. 8. n. 1.

[*] li. 10. epiſt. 97. aliàs 103. *de Chriſtianis*.

(2) in ca. 29. Trebellii Pollionis: in quo quidem capite de Zenobia agit: ad verba illa: *Adorata eſt more Regum Perſarum &c.* pag. 331. tom. 2. Hiſto. Auguſtæ Lugdu. Batavo. 1671.

[3] in Probo. cap. 23. ideſt poſtremo.

(4) *in Maximo, & Balbino* n. 17.

(5) oratio. 3. primâ in *Julian.* invectivâ pag. 83. tom. 1. editio. Colon. 1650.

(6) lib. 5. cap. 17. editio. Valeſii.

CAP. X.

Aſſertur Auguſtini non minus celebre teſtimonium, ad quod quidem illuſtrandum alio Lectorem rejicimus. Multa tamen addimus, quibus explicatio alibi allata confirmetur, ac roboretur.

I. ACcingo me nunc ad eos ſcrupulos evellendos, qui in aliquorum animis propter celebre quoddam Auguſtini teſtimonium inhæſerunt. Quamvis porro alibi illud attulerim, atque illuſtrarim, hic etiam illud recoli oportet, ut iis ſcilicet ſatisfaciamus, qui rurſus hic illud urgent. Sic porro loquitur Auguſtinus: [a] *Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt .... Novi, multos eſſe ſepulcrorum, & picturarum adoratores &c.* En celeberrimus ille, & (Proteſtantiū quidem ſententiâ) invictus Auguſtini locus, quo uno non modo adhibitum tū reliquiis, tū imaginibus cultū repellere, verum etiam omnes Pontificiorum conatus, laboreſque ſe eludere poſſe iidem Proteſtantes confidunt.

(a) cap. 34. alias nu. 75. libri., quem *de moribus Eccleſiæ Catholicæ* inſcripſit.

II. Atque hunc quidem locum obſcurum fateor, & difficiles habentem explicatus. Neſcitur enim, de quibus ſepulcris, & imaginibus, dum horum adoratores reprehendit, loquatur Auguſtinus. Tamen ea, quæ ad eundem locum pridem objectum alibi diximus (*b*), repeti hic etiam facile poſſunt; atque iis quidem objecto huic Auguſtini teſtimonio cōmode occurritur. Ceterū noſcant, oportet, quicunque hoc argumento innituntur, duo manifeſto probanda illis eſſe; nempe de imaginibus ſacris loqui Auguſtinum; quod quidem minime evincunt: probandum quoque eſse illis, de eodem cultu, quem jam pridem approbavit, & nunc etiam approbat Eccleſia, eundem Auguſtinum loqui, quum *imaginum* ado-

(b) diſſer. 8. cap. 9.

adoratores reprehendit. At quanā ratione id oſtendunt? Nullâ plane; quam ob rem nihil habet in hoc argumento Dallæus, in quo triumphet, & ſibi plaudat. An cultū quem libet imaginibus delatum ab eadē Eccleſia approbari putas? Minime vero. Quid itaque, ſi palam dixero, in ipſum, quem non modo antiquum, verum & laudabilem eſse contendimus, delatum imaginibus cultum, irrepſiſſe aliquando incom̃oda quædam (ſic enim appellare ea libet), quæ eadem Eccleſia vehementer reprehendit? Hic recole, ſi tu vis, quæ ſuperſtitioſo cultu ab antiquis hæreticis, Chriſti imaginibus delato alibi dixi (*c*). Recole pariter, quæ ex Philoſtorgio (*d*) (ſi quam illi habes fidem) alibi tradidi (*e*).

III. Sed & alia afferre libet hujus generis exempla. An Eccleſiæ dogmata, & conſuetudines ſecutos putas illos, quos *Chriſtiano-Cathegoros*, veteres Theologi appellavere? (*f*) An laudavit Gregorius Magnus Maſſilienſes illos, qui imagines ipſas venerabantur? Reprehendit quidē Serenum eorum Epiſcopum, quod eaſdem imagines fregerit, at non propterea approbavit illos, qui cultu immodico, ſuperſtitioſoque eaſdem imagines venerabantur, im̃o eos reprehenſione digniſſimos judicavit. (*g*) Reprehenſione quoque digniſſimos cenſuit Innocentius III. (*h*) Græcos, qui in celebratiſſima Deiparæ imagine, de qua alibi diſputavimus, (*i*) *requieſcere* dicentes *Mariæ ſpiritum*, im̃oderatos eidē imagini, inuſitatoſque honores deferebant? Multum etiam ſermonem de erroribus in cultum hunc illapſis habet Caſſander (*k*), apud quem alios etiam Theologos in eundem ſenſum allegatos videbis.

IV. Quin etiam non veretur Mabillon hæc ipſa tradere: (*l*) *Procedente tempore tanto cum fervore Galli in cultum imaginum effuſi ſunt, ut magis retinaculo, quàm incitamento jam opus habeat vulgi religio &c.* Adeo verum eſt, tantum Eccleſiæ diſplicuiſſe ſuperſtitioſe delatum ſacris imaginibus cultum, quantum recto proboque favit.

CAP.

[*e*] differ. 9. cap. 45. §. 6. 7. & 8.

(*d*) lib. 2. excerptorum §. 17.

(*c*) differ. 9. cap. 2. §. 22. & cap. 9. hujus differta. §. 3.

(*f*) Sequor hic editiones veteres illius *de hæreſibus* libri, quē Damaſceno plerique tribuere: etenī in fine libri illius (Joachim Perionio interprete) nonnulla de his *Cathegoris*, eorumque im̃oderato, & ſuperſtitioſo erga imagines cultu traduntur. Multo aliter habet editio P. le-Quien, adeo ut diverſos codices a duobus his interpretibus fuiſſe conſultos, certa res ſit.

(*g*) *Tua ergo fraternitas, & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus .... populus in pictura adoratione minime peccaret*. li. 7. *indictione* 2. epiſto. 111.

(*h*) epiſto. 241. lib. 9. Sic porro eam allego, quia ſic eā allegat Raynaldus, ex cujus to. 1. pag. 171. & 172. ad annum 1207. hęc deſumpſi.

[*i*] diſputa. 9. cap. 54. §. 4.

(*k*) *in conſultatione* arti. XXI. *de imaginibus, & ſimulacris* pag. 592. &c. to. 4. Oper. Theologi. Hugonis Grotii editio. Baſileæ an. 1732. (*l*) præfati. 1. in ſæcul. IV., Ordi. S. Benedicti n. 45.

CAP. XI.

Exponimus quid ſentiamus de duobus valde nobilibus Gregorii Magni teſtimoniis.

I. SEd ecce tibi novam, eamque, ſi adverſariis credimus, multo aſperiorem difficultatem, qua quidem vetuſtatem cultus ſacris imaginibus delati impetere conantur, ſic differentes. An vetuſtam dicere audebimus conſuetudinem eam, quam Gregorius M. ipſo ſæculi ſexti initio Romanā Eccleſiam regens, apertiſſime reprobavit? Minime vero. At ab eo conſuetudinem, de qua agimus, fuiſſe reprobatam, his ejuſdē Gregorii Magni verbis apertiſſime collige: (a) *Præterea indico dudum ad nos perveniſſe, quod fraternitas veſtra quoſdam imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem Eccleſiæ imagines confregit, atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari poſſit, habuiſſe laudamus; ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus: idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent. Tua ergo fraternitas, & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & litterarum neſcii haberent unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret.* Eadem fuſius proſequitur epiſtola nona libri noni: (*) In qua quidem epiſtola apertius, & efficacius id inculcat, quod in ſuperiore nuper allegata tradiderat: nempe in Eccleſia poni imagines, ut rudes doceant, minime vero, ut colantur, & veneratione afficiantur. Quid manifeſtius, aut clarius his verbis? *Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum, addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus . . . . Frangi ergo non debuit quod non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas SOLUMMODO mentes fuit neſcientium collocatum.* An non verbis his

(a) in epiſtola 111. libri 7. indictio. 2. in editione Pat. S. Mauri li. 9. Epiſ. 105.

(*) in editione S. Mauri epiſt. 13. libri 11.

his: *Ad inſtruendas SOLUMMODO mentes*, negat prorſus, ad adorandam proponi conſueviſſe in templis imagines?

II. Difficile eſt, fateor, quod objeciſti. Conabor tamen, ſperoque fore, ut dubitatio omnis, ac ſcrupulus e Lectorum animis evellatur. Arbitror porro, Gregorium Magnum merito commendaſse Serenum, quod Maſſilienſes ab imaginum adoratione amoverit: quippe ſumpſit *adorationis* vocabulum *rigoroſè*; id eſt pro vero perfectoque cultu, eoque ſiſtente in imaginibus ipſis. Tam etſi autem Chriſtianos in vera Religione exercitatos tam abſona perſuaſio occupare non poſſit, ut adorent imagines ipſas, eos tamen facile occupabit, qui imperiti ſunt adhuc, & propter commercia, familiaritatemque cum Ethnicis, non prorſus ab Idololatriæ periculo remoti: cujus modi illi erant, quibus præerat Serenus Epiſcopus. Id ſcilicet intelligimus ex iis Gregorii verbis: (*) *Quod magnopere a te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat: ne dum recto zelo incaute ſuccenderis, ferocibus animis ſcandalum generares.*

(*) epiſto. 9. libri IX.

III. Et ſane conſueviſſe Ethnicos aliquod, neſcio quod numen, ac præſtantiam in ſimulacris ipſis & imaginibus revereri, multa quidem declarant, ſed pauca ſeligere operæ pretium reor. Hic itaque primum allego Athanaſium, ſeu alium (quiſquis is eſt) auctorem quæſtionum ad Antiochum: cujus quidem teſtimonium, cum nuper adduxerimus, hic repetere non eſt opus. (*) Allego quoque Arnobium libro 6. adverſus Gentes hæc elocutum. (b) *Non improba, neque aſpernabilis ratio, qua poſſit quivis tardus, nec non & prudentiſſimus credere, deos relictis ſedibus propriis, (ideſt cælo) non recuſare, nec fugere habitacula inire terrena: quin immo jure dedicationis impulſos ſimulacrorum coaleſcere junctioni. In gypſo ergo manſitant, atque in teſtulis dii veſtri? Quin immo teſtularum, & gypſi mentes, ſpiritus, atque animæ dii ſunt? Atque, ut fieri auguſtiores viliſſimæ res poſſint, concludi ſe patiuntur, & in ſedis obſcuræ coercitione latitare?*

(*) cap. 2. ſi 27. *abſit, ut quem ad modum Græci faciunt, nos Chriſtiani tanquam Deos, imagines adoremus.*

(b) tom. XV. Biblio. Pa. Par. pag. 50.

IV. Præveniſſe videntur Arnobium Minucius Felix, Tertullianus, & Cyprianus, quorum primus, id eſt Minucius, ſtultiſſimam Ethnicorum perſuaſionem, qua putabant, per conſecrationem neſcio quid divi-

num a ſimulacris recipi, ſic deſcribit: (c) *Ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur: nondum Deus eſt. Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur, tum poſtremo Deus eſt; cum homo illum voluit, & dedicavit.*

(c) in *Octavio* pag. 210. editionis Jacobi Ouzeli Lugduni Batavo. 1672.

V. Tertullianus autem id ipſum his verbis complectitur: (d) *Quantum autem de ſimulacris ipſis nihil aliud deprehendo, quàm materias ſorores eſſe vaſculorum, inſtrumentorumque communium, vel ex iiſdem vaſculis, & inſtrumentis quaſi fatum conſecratione mutantes, licentia artis transfigurante, & quidem contumelioſiſſime, & in ipſo opere ſacrilegè.*

(d) cap. 12. Apologetici.

VI. Cyprianus denique hæc eloquitur: [e] *Hi ergo Spiritus ſub ſtatuis, atque imaginibus conſecrati deliteſcunt.*

[e] in libro quem inſcribi mos eſt *de idolorum vanitate* pag. 451. editio. Venetæ an. 1728.

VII. Ad quem ſane dedicationis iniquiſſimæ morẽ, perſuaſionemque, qua putaretur, per eam fieri, ut divinum neſcio quid (inhabitationem ſcilicet ipſorum numinum) reciperet ſimulacrum, reſpicere videtur Auguſtinus: dum (f) hæc ait: *Ne quiſquam dicat, cum irriſa fuerint ſimulacra; non hoc viſibile colo, ſed numen, quod illic inviſibiliter habitat &c.* Et rurſus (g) ex Hermetis Ægyptii, quem Triſmegiſtum vocant, ſententiâ. *Ille autem Ægyptius alios Deos eſſe dicit a ſummo Deo factos, alios ab hominibus. Hoc qui audit, ſicut a me poſitum eſt, putat dici de ſimulacris, quia opera ſunt manuum hominum: at ille viſibilia, & contrectabilia ſimulacra, velut corpora deorum eſſe aſſerit; ineſſe autem his quoſdam ſpiritus invitatos, qui valeant aliquid ſive ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores, & cultus obſequia deferuntur. Hos ergo Spiritus inviſibiles per artem quamdam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora, illis ſpiritibus dicata, & ſubdita ſimulacra, hoc eſſe dicit deos facere, eamque magnam, & mirabilem deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem.* His affinia tradere videntur Clemens Alexandrinus, (*) & Origenes (*).

(f) numero 3. enar. 2. in Pſalmum 113.

(g) cap. 23. libri octavi *de Civitate*.

(*) lib. 7. Stromat. n. 9. pag. 862. tomi 2. editio. Potteri: Anno 1715. Oxonii.

(*) lib. 7. contra Celſum n. 64. & 69. & libro 8. n. 17. editio. Patris de la Ruë. Proderit etiam ea legere, quæ ad hæc loca adnotat idem Clariſs. P. de la Ruë.

VIII. Novi equidem, quoſdam e Gentilibus, qui ſe ſapientiores ceteris eſſe putabant, nihil in ſimulacris ipſis ſanctum, aut veneratione dignum agnoviſſe, ſed ea propterea coluiſſe, quod imagines quaſdam, & ſpecies

cies arbitrarentur eorum, quæ veluti numina colebant. Hic recole, quæ ex Joañē Theſſalonicenſi alibi diximus (*). Hanc Celſi illius, adverſus quē Origenes ſcripſit, fuiſſe ſententiam conjicimus ex verbis illis Origenis, libro contra Celſum ſexto: (*) *Celſus certe ait ſe credere, non deos hæc eſſe, ſed deorum anathemata, non declarans, quo modo hæc non hominum anathemata ſint, ſed deorum, ut ipſe vocat: liquet enim hæc dedicari ab hominibus falſam opinionē de Deo habentibus.* Apertiſſime quoque id intelligimus ex Auguſtino hæc elocuto: (b) *Videntur autem ſibi purgatioris eſſe religionis, qui dicunt, Nec ſimulacrum, nec Dæmonium colo; ſed effigiem corporalem ejus rei ſignum intueor, quam colere debeo. Itaque ita interpretantur ſimulacra, ut alio dicant ſignificari terram, unde templum ſolent appellare Telluris; alio mare, ſicut Neptuni ſimulacro; alio aerem, ſicut Junonis; alio ignem, ſicut Vulcani &c.* At hi nec multi (ut opinor) erant, nec eam fortaſſe perſuaſionem fovebant animo, quam ſe habere jactabant; ſed revera vel numen aliquod eſſe putabant ſimulacrum illud, ad quod ſe orandi causâ vertebant, aut certe numen aliquod in eo degere. Id ſane mihi videtur edocere Auguſtinus, dum numero ſubſequenti, id eſt quinto, hæc eloquitur. *Quis autem adorat, vel orat intuens ſimulacrum, qui non ſic afficiatur, ut ab eo ſe exaudiri putet, ab eo ſibi præſtari, quod deſiderat, ſperet? Itaque homines talibus ſuperſtitionibus obligati plerumque ad ipſum Solem dorſum ponunt, preces fundunt ſtatuæ, quam* Solem *vocant, & cum ſonitu maris a tergo feriantur, Neptuni ſtatuam, quam pro ipſo mari colunt, quaſi ſentientem, gemitibus feriunt.*

[*] capi. 1. §. 2. anno. 1.

(*) §. 14. editio. P. de la Ruē: Sed ego vetuſta editione uſus ſum. Ceterum P. de la Ruē interpretatione ſua addit verbis his claritatem fortaſſe nonnullam.

(b) numero 4. ſermonis 2. in pſalm. 113.

IX. Quid mirum itaque, ſi (i) doluerint maxime Ambracienſes, quod Marcus Fulvius, eorum ſuſtuliſſet deos, propterea quia deorum ſimulacra ſuſtulerat, & conqueſti ſint, quod non haberent amplius deos, quos orarent? *Simulacra Deûm, deos demum ipſos convulſos ex ſedibus ſuis ablatos eſſe, parietes, poſteſque nudatos; quos adorent, ad quos precentur, & ſupplicent, Ambracienſibus non ſupereſſe.*

(i) referente Tito Livio lib. 38. cap. 43.

X. Quid mirum, ſi Stilpo Philoſophus (*) in exilium miſſus fuerit, quod Minervam (opus manuum Phidiæ) numen aliquod eſſe negaverit?

(*) id ex Laertio diſcimus titu. ſeu cap. 13. libri 2.

Adeo ſcilicet excœcaverat *cor eorum ſtultitia eorum*, ut frigida ipſa, & inanima ſaxa divinum aliquod eſſe cenſerent, & colerent. Quod quidem malum promovebant Dæmones, ſive motibus ſimulacrorum ipſorum, ſive vocibus, & oraculis ab eorum ore prolatis, ſive ſomniis (ut miſeri illi, & creduli homines arbitrabantur) fatidicis, ſive aliis hujus generis dolis, & malis artibus, quibus *Dii gentium dæmonia* concurrentibus ad muta ſimulacra gentibus illudebant. De quo argumento cum alii egerint, tum ſane omittendus non eſt Hugo Grotius, qui præclara multa de eo ſcripſit, ad Caput Exodi XX. Ea etiam conſulat Lector, quæ in locis in margine indicatis Severus Sulpitius tradit (*).

XI. Potuere itaque Maſſilienſes Cives eo animo colere imagines, ut vel Sanctos in iis degere, vel divinum neſcio quid eas eſse putarent: nam certe aut harum altêra, aut ſaltem affini perſuaſione deceptos fuiſſe nonnullos e Chriſtianis ipſis, capite ſuperiori vidimus.

XII. Quod mirum non eſt: ſi enim ab ipſis uſque initiis ad Chriſti fidem converſos judaizantes ſæpe vidit Eccleſia, & ſum̃um in modum doluit, ita etiam ſuperſtitione adhuc aliqua delibutos nonnullos eorum, qui nuper ab Idolorum cultu ad fidem convertebantur, videre, & conqueri compulſa eſt. (*)

XIII. At quamvis (inquis) reſponſio iſta accom̃odari fortaſſe poſſit illis Gregorii verbis, quibus Sereno indulget, ne imagines a Maſſilienſibus nuper a Gentilium errore ad fidem converſis adorari ſinat, accom̃odari tamen minime poteſt iis verbis, in quibus nulla facta mentione cultus imaginibus adhibendi, hoc tantum memorat: *idcirco* poſitas fuiſſe in templis imagines, ut per eas erudiantur indocti: multoque minus accom̃odari iis poteſt, in quibus apertiſſime tradens, hunc tantum finem ſibi propoſuiſſe Eccleſiam, dum imagines in templis formari indulſit, alium quemlibet finem excludit. *Ad inſtruendas ſolummodo mentes*.

XIV. Ingenioſa ſunt iſta ſane, ſed non propterea inenodabilia. Ac primũ Gregorii monitum, cum non ſit *excluſivum* alterius finis, id non impetit quod nos tuemur. Quis enim dicet, eũ, qui finẽ aliquem ſibi pro-

po-

(*) *de vita Beati Martini* cap. XIII. aliàs 10. pag. 19. editionis Veronenſis, quam debemus Clariſs. Hieronymo *de Prato*. Rurſus cap. XXII. alias 24. pag. 29. & Dialogo II. capi. XIII. aliàs 14. pag. 120. & Dialogo III. cap. VI. pag. 133.

[*] Vide quæ diximus diſſ. 8. cap. 9.

poſitum fuiſſe declarat, alium quem libet excludere? Profecto Samuel, cum Domini juſſu in Bethleem profectus eſt, ut Davidem Regia unctione ſacraret, id ſiluit, (cum tamen id ſibi potiſſimum in ea profectione fuiſſet propoſitum) & profectionis cauſam ſciſcitantibus ait, ſe ad ſacrificium Deo offerendum in Bethleem veniſſe, cum id ſane minus præcipua, immo *occaſionalis* tantummodo, uti appellant, profectionis illius cauſa eſſet [*k*].

XV. Venio ad monitum alterum, in quo (nec immerito) majorem vim ineſse putas. Porro ſi ad eam adorationem, quæ imaginibus ipſis deferretur, reſpexiſse Gregorium vis, dicere merito poteris excluſam fuiſse; quippe excluſit quamlibet, quæ *relativa* non foret: (ideſt quæ prototypis ipſis minime adhiberetur:) hanc enim [quam tantummodo admitto ego] admiſiſse viſus eſt Gregorius, dum imagines ipſas *objectum* cultus eſse negat, ſed tantum motivum eſse vult, & occaſionem nos incitantem ad colendos Sanctos, quos eædē imagines repræſentant. Id porro mihi detegere videor in illis Gregorii verbis (*l*): *Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum, addiſcere.* Ii itaque, qui hoc ipſum genus cultus imaginibus demptum volunt iis Gregorii verbis: *Quod ad inſtruendas ſolummodo mentes fuit neſcientium collocatum*, plane decipi videntur: diximus enim, (nec temere diximus) non duo eſse cultuum genera, quorum unum Sanctis, alterum eorum imaginibus deferatur; ſed unicum, quod Sanctis in eorum imaginibus defertur. Tam etſi porro facile ſim conceſsurus ideo fuiſse ex *primaria Eccleſiæ intentione* (liceat, ut me clarius explicem, Scholaſticorum locutionibus uti) fuiſse, inquam, ex *primaria Eccleſiæ intentione* introductas in tēpla picturas, ut eſsent rudibus atque imperitis erudimento; atque adeo licet ſim facile conceſsurus, hunc primarium fuiſse hujuſce conſuetudinis finē, ac metā illi ab initio propoſitam; non propterea fatebor, venerationē, iiſdem imagibus adhibitā, ab Eccleſia fuiſse rejectā. Quin immo nihil facilius accidere potuiſſe puto, quàm ut Fideles, per picturas, de eorum qui iiſdem picturis repræſentabātur, pietate, ac præſtantia inſtructi, eos in eorum imaginibus ſtatim venerarentur, ac colerent: ideoque (quod

(*k*) 1. Reg. cap. 16. v. 2. 3. &c.

(*l*) epiſtola 9. libri IX.

eòdem prorſus recidit) eorum imagines *relative* venerarentur, ac colerent.

XVI. Quamquam vox illa *tantummodo*, quam tu *excluſivam* eſſe ais, haud raro excluſiva non eſt, ſed tantum denotans *præcipuum* aliquid *&* *potiſſimum*. (Norunt porro omnes, duos, atque adeo plures eſſe poſſe unius rei præcipuos, & potiſſimos fines; quod quidē aperte oſtendit Samuel eo in loco, de quo modo mentionem feci.) Qua de re ſi ambigis, ecce tibi indubitatum exemplum. Profecto teſtatus eſt Salomon, ideo *tantummodo* fuiſse a ſe magnificentiſſime extructum templum, *ut adoleretur in eo Domino Deo incenſum*. (*m*) Tamen haud ita multo poſt, idē Salomon profitetur, ſe ideo tantummodo templum illud ædificaſſe, ut Deus in eo preces, quæ ab eodem Salomone, & a populo funderentur, exaudiret (*n*). Atque hoc quidem exemplo conſtat, quod nuper dixi, particulam *tantummodo* interdum non eſſe excluſivam, ſed ſignificativam finis potiſſimi, ac præcipui. Sicut itaque duos fines præcipuos, potiſſimoſque ſibi propoſuit Salomon, cum templum illud erexit, honorem nempe Dei, (cui adoleretur in ea ſacra æde incenſum & ſacrificia offerrentur) & utilitatem ſuimet, & populi Iſrael, (qui ſcilicet preces fuſas Deo acceptas vidiſſet, & exauditas:) ſic vocem illam *tantummodo* ad fines illos indicandos rectiſſime adhibuit.

XVII. Quod de voce hac *tantummodo* (cui ſynonimæ ſunt voces *ſolum*, *ſolummodo*, *tantum*, & aliæ ſimillimæ) dixi, ad affines alias transferri commode poteſt: veluti *unus*: *unicus*, & reliquas hujus generis. Hinc Sulpicius Severus (*) S. Martinum *ſolam ſpem*, *poſtremam ſpem* appellare rectiſſime potuit: indicans, ſe, ſuoſque aſſeclas, peccatorum metu territos, plurimum in ejus precibus, & apud Deum interceſſione confidere: quod infinitis propemodum exemplis confirmare, ſi vellem, poſsem. Sed modus eſt aliquis adhibendus, præſertim cum neget nemo, Patres (in quorum certe numero, præſtantem locum Gregorius obtinet) Sacræ Scripturæ locutiones ac phraſim ſequi, ac plane imitari (6), ideoque neget nemo, potuiſſe Gregorium vo-

(m) *Quātus ego ſum, ut poſſim ædificare ei domum? Sed ad hoc tantum, ut adoleatur incenſum coram illo* 2. Parali. 2. 6.

(n) *Sed ad hoc tantum facta eſt* (domus Dei) *ut reſpicias orationem ſervi tui, & obſecrationē ejus, Domine Deus meus, & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te . . . & exaudias preces famuli tui, & populi tui Iſrael* 2. Parali. 6. 19. &c.

(*) epiſto. 2. (ad Aurelium) de B. Martino: *Spes ſuperat illa ſola, illa poſtrema, ut quod per nos obtinere non poſſumus, ſaltem pro nobis orante Martino, mereamur.*

[6] Id non modo Catholici, verum & Proteſtantes ipſi fatentur.

vocem *ſolummmodo* in ea ipſa ſignificatione adhibere, qua vocem *tantummodo* libri Paralipomenon nuper adducti adhibent.

XVIII. Sed quæcunque veriſimilior ſit verborum Gregorii explicatio, procul dubio conſtat, Gregoriũ a venerandis ea, qua Catholici conſueverunt ratione, imaginibus, minime abhorruiſſe. Quis porro ea de re dubitet, poſtquam noverit, eundem Gregorium *Secundino ſervo Dei incluſo* ſcribentem [o] ſic ſe explicaſſe, ut cultum imagini Chriſti adhiberi permiſerit, dumodo in imagine non ſiſteret cultus, ſed ad exemplar, (ideoque ad Dominum Jeſum, cujus mittebat imaginẽ) ea adoratio tranſiret: tũ addidiſſe, hunc eſſe totius Eccleſiæ ſenſum? ,, Scio quidem (inquit ille) quod ,, imaginẽ Salvatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi ,, Deum colas, ſed ob recordationem filii Dei in ejus ,, amore recaleſcas, cujus te imaginem videre deſi- ,, deras. Et nos quidem, non quaſi ante divinitatem, ,, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem ,, per imaginem, aut natum aut paſſum, ſed & in thro- ,, no ſedentem recordamur: ,, quod eſt, niſi equidẽ fallor, id ipsũ quod tradiderat ſive Athanaſius, ſive alius, quiſquis is eſt, auctor *quæſtionum ad Antiochum*, cujus alibi (*p*) verba retulimus, & hic recolere Lector poterit. Id ipſum docet Gregorius II., cujus pariter cum alibi verba retulerim (*q*), ab iis hic referendis ſuperſedeo. (*)

XIX. Sed hic expreſſe referre præſtat ſimillima præſtantiſſimi Scriptoris verba, quæ tamen adeo abeſt, ut Nicæna II. ſibi adverſantia putarit, ut potius ea allegaverit, & ad id, quod agebat, confirmandũ, attulerit. Ecce illa (*r*): *Nos imagines Sanctorum, qui revera in carne fuerunt ſervi Chriſti, fingimus, idque in memo-* *riam*

(*o*) eſt ea epiſtola 54. libri 7. indicti. II. in edition. Patrũ S. Mauri lib. 9. epiſto. 52. ſub finem.

(*p*) cap. 2. §. 17.

(*q*) cap. 5. §. 3.

(*) Vide quæ tradit Hadrianus in epiſto. ad Caro. M. pro imagini. ſect. 2. cap. 12. pag. 1584.

(*r*) Joan. Theſſa. in ſermone cujus initiũ eſt: *uſque nunc Dominum noſtrũ*: affertur autẽ in ipſo fere initio Actionis V. pag. 1003. & 1439.

---

tur. Allego hic tantummodo Joannem Clericum, qui (*) inter cetera hæc ait: *Olim inter Chriſtianorum familias, etiam in iis, in quibus diſſentiebant, & collidebantur acerrime inter ſe, conveniebat tamen in eo, quod utraque contendentium pars libenter loquutionibus Scripturæ uteretur, quaſi iis ſua egregie exprimeretur ſententia &c.*

(*) *in arte Critica* tom. 1. parte 2. ſect. 1. cap. 15. n. 7. pag. 306. editio. amſtelæ. an. 1730.

riam eorum . . . . Neque ipſi imagines, ut tu dicebas, adoramus, ſed eum, qui per picturam indicatur, glorificamus &c.

XX. Alia multa his affinia tum veterum, tum recentiorum Theologorum hic non recenſeo, quod ea copioſiſſime referam, quum *de genere, ac qualitate cultus* ſacris imaginibus adhibiti diſputabo. Ad eum itaque locum Lectorem delego. Me tamen continere nequeo, quin nobiliſſimum Nicæni II. locum hic deſcribam. (*ſ*) *Veri autem adoratores, qui in ſpiritu, & veritate Deum colunt, non ceſſabunt imaginum picturas, quas in hiſtoriam, & recordationem tantummodo habent, erigere: has venerantes, amplectenteſque juxta Deo gratam ſententiam &c.* Quibus quidem conſtitutis, non eſt cur dicamus, Gregorium M. illi imaginũ cultui, quẽ Eccleſia receperat (relativo ſcilicet, ut alibi explicabimus) obſtitiſse, cum procul dubio non obſtiterit is, qui hæc docuit ſimillima Gregorii dictis.

(*ſ*) actio. 6. to. ſeu parte 4. pag. 1110. & 1484.

XXI. Tanto vero lubentius in hanc interpretationem feror, quanto certius habeo, eam propoſitam fuiſſe ab Hadriano Pontifice in eâ epiſtolâ, quam ad Carolum Magnum in defenſionem Synodi ſecundæ Nicænæ ſcripſit. (*t*) „ Sicut vero (inquit Hadrianus (*)) „ innuit Sereno Epiſcopo aſpicientem ſacras imagines „ in adorationem humiliter ſe proſterni ſolius Omnipotentis Sanctæ Trinitatis, ſic & Secundino incluſo ſervo Dei docuit, non quaſi Deum colere, ſed „ ante eaſdem ſacras imagines ſe proſternens, non quaſi ante divinitatẽ, ante ipſas proſterni, ſed proſternentem illum adorare, quem per imaginem aut natum „ aut paſſum, aut in throno ſedentem recordamur. „ Ita vero & nos eumdem ipſum irreprehenſibilem, „ & orthodoxum ſenſum S. Gregorii Papæ ſequentes „ & amplectentes dudum, Irene, & Conſtantino Imperatoribus pro ſacris imaginibus prædicandis erectione, emiſimus dicentes &c.

(*t*) Conſule, quæ nuper allegavimus (id eſt caput 12. ſectionis II. pag. 1584.) Ea quoque, quæ docet ſect. 3. cap. 25. To. VIII. Concilio pag. 1597.
(*) ſect. 3. cap. 25.

XXII. Quod ſi alias adhuc quæris probationes, quibus invictiſſime perſuadearis, eam, quam propoſui, fuiſse Gregorii ſententiam, proferam libens, oſtendamque ejuſdem Hadriani teſtimonio, & pridem ante Gregorium, & eo ipſo, quo Gregorius Romanã Eccleſiam regebat tempore, Romæ palam adoratas fuiſ-

fuiſse ſacras imagines [quod Gregorius procul dubio minime toleraſſet, ſi cultum hunc improbaſſet] & quod gravius eſt etiam, & ad rem præſentem aptiſſimū, ipſum etiam Gregorium ſacras imagines ad colendum propoſuiſse: ipſum quoque coluiſſe, & ad eaſdem ſupplicaſse. En ea, quæ dixi, Hadriani Pontificis verba (u): huic enim interrogationi, ſeu objectioni *Ut ſcientes non faciant, ubi in veteri, vel novo teſtamento, aut in ſex Synodalibus Conciliis jubeamur imagines facere, vel factas adorare*: hæc reponit Hadrianus. „ Nos quidem infra ſcientes facimus, „ ſicut jam fecimus, quia & in veteri, & in novo te„ ſtamento, ſive in ſex Synodalibus Conciliis ſemper ve„ nerandæ fuerunt imagines, & factæ inter Sancta San„ ctorum titulabantur. „ Poſtquam vero picturas a Sylveſtro, & reliquis Pontificibus in templis factas recenſuit, eiſque venerationem adhibitam fuiſſe dixit: (x) ad Gregorium Magnum denique venit, & hæc de eo pronunciat. „ Sed & Sanctus Gregorius Papa in mo„ naſterio ſuo pulcrum fecit Oratorium, & ipſum di„ verſis hiſtoriis pingi fecit, atque ſacras ibidem ere„ xit imagines, ubi & cum beato Eleuthero pro ægri„ tudine ſtomachi ſui ingreſſus, in oratione pariter ex„ auditi ſunt. Et ille vir Sanctus Eleutherius [quem „ dicunt, & mortuum ſuſcitaſſe] ante ipſas ima„ gines ſe proſternens, divinam exorare clemen„ tiam cum Sancto Gregorio non dubitavit. Sed fi„ dem ferentes perfectam, pariter exauditi ſunt, & „ uſque hactenus apud nos venerantur. . . . Et poſt „ miraculum, quod in eadem Eccleſia (*S. Agathæ*) „ factum eſt, diverſis hiſtoriis ipſe beatus Gregorius „ pingi fecit eam, tam in muſivo, quàm in colori„ bus, *& venerandas imagines* ibidem erexit, & a „ tunc uſque hactenus venerantur. „ Antea hæc dixerat: (*) „ Nequaquam ſacras contempſit (S. Gre„ gorius) imagines aliquando, ſed magis conſtan„ tiſſime obſervavit, *& eorum veneratus eſt figuras*. „ Fortaſſe *venerationem* ſacris imaginibus adhibendam eſſe alibi (*) innuit, dū eas *cum veneratione* deferri jubet. Proderit porro & rurſus Adrianum, (*) & Scholaſticos ipſos hoc ſuper argumento diſſerentes conſulere. Nonnulla ſane, ut ceteros prætermittam, hac de re habet S. Antoninus [y], quem Lector ſi conſulet, operæ pretium faciet. CAP.

(u) ſect. 3. cap. 19. in eadem ad Carolum Magnum epiſtola pag. 1591.

[x] *& a tunc uſque hactenus apud nos ab omnibus fidelibus venerantur . . . . Et a tunc uſque hactenus fideliter a nobis venerantur . . . . & a tunc uſque hactenus a nobis venerantur.*

(*) ſect. 1. cap. 50. pag. 1574.

(*) *ſublata cum ea, qua dignum eſt, veneratione, imagine, atque Cruce.* (li. 7. indict. 2. epiſto. 5. In editio. S. Mauri li. 9. epiſt. 6.)

(*) ſect. 1. cap. 12. & capite 25., ſeu poſtremo ſectionis III.

(y) tom. 3. titul. 12. cap. 9. §. 1. & 4. pag. 543. & 544. elegantiſſi. editionis Veron. cui præfuerunt Doctiſſimi Fratres Ballerinii.

CAP. XII.

Aſſerimus, & diſſolvimus ea, quæ a Synodo, Conſtantinopoli, imperantibus Leone, & Conſtantino Copronymo, coactâ, ea inſuper, quæ ex Concilio Gentiliacenſi & Francofordienſi adverſus imaginum cultum deſumunt.

I. A Patribus ad Concilia nos provocant adverſarii, & quoniam probe noverunt, afferri a nobis celeberrimã Nicænam II. Synodum, illi ſtatim objiciunt Synodum Conſtantinopoli Leone, & Conſtantino Copronymo imperantibus, coactam: copioſam illam pariter, & Epiſcopis refertiſſimam; objiciunt quoque Gentiliacenſem, & Francofordienſem, ideoque tres Synodos, e quibus duæ (Conſtantinopolitana ſcilicet, & Francofordienſis) *Oecumenicarum* nomen ſunt aſſecutæ: quarum auctoritas (ſi adverſariis credimus) Nicænæ II. Synodo oppoſita, illius auctoritatem iminuere atque elevare facile poterit.

II. Sed, ut a prima exordiar (ab ea ſcilicet Synodo, quæ imperante Copronymo Conſtantinopoli coacta eſt) quis ab illius Concilii auctoritate ſe flecti ſinat, quod impiorum Imperatorum juſſu coactum, & ab obſequentibus Epiſcopis timidiſſimis ad exitum deductũ eſt? Cui neque Eccleſiæ conſenſus acceſſit, neque diu ſine emendatione perſtitit? (a) paucos enĩ poſt annos, a Concilio Nicæno II. actione ſexta repulſa ſunt omnia, quæ in priore illo Conſtantinopolitano perperam decreta erant, & vetuſtæ traditiones, & conſuetudines reſtitutæ.

III. Objectæ porro a Proteſtantibus Latinorum Synodi, ideoque Gentiliacenſis, Francofordienſis, & ſi quæ ſunt aliæ, tanto juſtius noſtram hic operam expoſcunt, quanto certius eſt in his plurimum confidere ſacra-

(a) *quia tantummodo ipſa ſola ſedes Cõſtantinopolitana reſiſtebat olitana Orthodoxa fidei: Nam ſedes Alexandrina, ſeu Antiochena, & Hieroſolymitana ſemper nobiſcum tenuerunt priſcam traditionem, ſcilicet orthodoxam fidem, ut apud nos Synodica earum pro ſacrarum imaginum ſtabilitate habere monſtratur*. Adrian. in ſæpe allegata epiſtola ad Carol. M. ſect. 1. cap. 29.

ſacrarum imaginũ hoſtes, & difficilior eſt quæſtionis hujus enodatio. Quoniã autem in primis Gentiliacenſis Synodi auctoritatem in nos intorſerunt, de hac ſtatim agemus.

IV. De eadem Synodo ita ſcriptum legitur in Annalibus Francorum (*b*): *Tunc habuit Domnus Rex* (Pipinus) *in ſupradicta villa* (Gentiliaco, haud procul Lutetia) *Synodum Magnum inter Romanos, & Græcos de Sancta Trinitate, vel* (id eſt &) *de Sanctorum imaginibus*. Similiter de ea Synodo, (quam magnam, ſeu magnum, haud multum curans Grammaticorum edictiones, allegatus Annalium ſcriptor, ut vidimus, appellat) Ado Viennenſis (*c*) hæc ait. *Facta eſt Synodus anno Incarnationis Domini 767., & quæſtio ventilata inter Græcos, & Romanos de Trinitate, & utrum Spiritus Sanctus, ſicut procedit a Patre, ita procedat a Filio: & de Sanctorum imaginibus, utrumne fingendę, aut pingendæ eſſent in Eccleſiis*.

(*b*) alias Bertinianis, ad annum 767. Prima parte Tom. II. Rerum Italicarum pag. 497.

(*c*) ad eumdem annum: pag. 805. tomi 16. Biblioth. Pat. Lugd.

V. Scriptores reliquos de hac Synodo agentes prætermitto, quos, ſi vis, conſule pag. 463. & ſubſequentibus tribus Tomi VIII. Conciliorum. Lubentiſſime vero eos prætermitto, quod neque definitionem, neque canones illius habeamus: quin etiam ſuſpicari merito poſſumus, nihil horum fuiſſe ab ea Synodo conditum. Tamen jure, meritoque cenſent Viri doctiſſimi, ſemina ſimultatis neſcio cujus erga venerationem Sanctarum Imaginum per id tempus a Græcis Legatis fuiſſe in Gallos ſparſa, quæ fructus haud multum laudabiles deinceps retulerunt.

VI. Itaque in Synodum Francofordienſem quæſtionis hujus tota vis incumbit: quam Proteſtantes Nicænæ ſecundæ ut opponunt, ſic anteponunt reliquis, quæ de Sacris Imaginibus in Latinorum Provinciis celebratæ ſunt. Cum enim ad eam convenerint ex omnibus fortaſſe Occidentis Regionibus Epiſcopi, nempe ex Italia, Germania, & Gallia, numero fere trecenti, plenaria quodam modo effecta eſt: ideoque totius fere Latinæ Eccleſiæ ſenſa expreſſit. Illius ergo definitionibus in hac, & ſimilibus, quæ tum inſtitutæ ſunt controverſiis, ſtandum eſſe vehementiſſime prædicant, præſertim cum & illi

adfuerint Legati Pontificis Hadriani *Theophilactus*, *& Stephanus Epiſcopi* (*d*), Paulinus doctiſſimus, & ſanctiſſimus Aquilejenſis Archiepiſcopus, item Petrus Mediolanenſis Archiepiſcopus, aliique Viri pietate, doctrina, & eccleſiaſticis muneribus ſpectatiſſimi. Porro Synodus hæc apertiſſime Sacrarum Imaginum venerationem odit, dum Canonem hunc, qui numero ſecundus eſt, tulit. (*): *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem, & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.* Scilicet his verbis reſpicere manifeſto videtur ad definitionem Concilii Nicæni ſecundi, qua jubebatur Imagines impensè coli.

(*d*) Tomo. IX. Concili. pag. 57. Vide quæ de Synodo hac tradit Petavius capite XIII. libri XV. de *Incarnati*:

(*) tom. IX. pag. 101.

VII. Ut nodum hunc, vere perdifficilem, diſſolverent Theologi noſtri, varia excogitarunt. Ad tria, niſi fallimur, capita enodationes omnes revocari facile poterunt. Contemnunt ſcilicet nonnulli Francofordienſis Synodi hac in re auctoritatem, ajuntque tametſi non modicus ad Synodum hanc Epiſcoporum numerus convenerit, in dubium tamen revocari non poſſe, quin pleraque pars eorum aut Gallicanarum Eccleſiarum Antiſtites eſſent, aut certe Gallicanorum Epiſcoporum conſectarii, & veluti pediſequi. Quis autem neſcit, Sacrarum Imaginum venerationi obſtitiſse per id tempus Gallos, univerſaliſque Eccleſiæ conſuetudini fuiſſe refragatos? Scilicet de Gallis verecunde quidem, & modeſte, tamen hæc pronunciat Anaſtaſius Bibliothecarius: (*e*) *Quæ enim ſuper venerabilium Imaginum adoratione præſens Synodus* (Nicæna Secunda) *docet, hæc & Apoſtolica ſedes veſtra, ſicut nonnulla conſcripta innuunt, antiquitus tenuit, & univerſalis Eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur: quibuſdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum eſt harum utilitas revelata. Ajunt namque quod non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum &c.*

(*e*) in præfatione præpoſita interpretationi, quã ille edidit, Nicænæ II. Synodi: tom. 8. pag. 676.

VIII. Ægre tamen ferunt alii, deſpici Francofordien-

dienſis Synodi auctoritatem: Ad eam ſcilicet Viri docti, ſanctiſſimique convenerunt, & magna ſemper in veneratione apud Eccleſias eadem Synodus habita eſt, illique utiliſſimos Canones, atque inter cetera etiam debemus, quod Elipandi, & Fælicis Urgelitani hæreſis damnata ſit, & proſcripta. Sed ii ipſi, qui hæc proponunt, non prorſus conveniunt. Jubent ſcilicet alii, allegatum Francofordienſis Canonem ad Conſtantinopolitanum, haud ita pridem ſub Leone, & Conſtantino Copronymo coactum Concilium referri. Alii de Nicæna ipſa nuper celebrata intelligi volunt. Qui ad Conſtantinopolitanum Concilium referunt, ſic diſputant. Apertiſſime *Conſtantinopolitana* appellatur Synodus hæc; cur ergo Nicænam iis verbis indicatam dicemus, perinde quaſi in trecentorum Epiſcoporum, qui Francofordienſi intererant, numero, nemo unus foret, qui Nicæam a Conſtantinopoli diſtare noſſet? Ea quoque, quæ Conſtantinopoli, Leone, & Conſtantino Imperatoribus coacta eſt, *nova Græcorum Synodus* dici merito poteſt; etenim haud ita pridem celebrata erat. Quod autem Concilii illius ſententia nitide, vereque non exprimatur, haud multum intereſt: Id enim dicas etiam, oportet, ſi putas, ad Nicæni II. damnationem eum Canonem pertinere. Neque enim ſtatutum in hac Synodo eſt, ut qui *Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impendebant, anathema judicarentur*. Immo palam, & expreſſiſſime in definitione contrarium ſtatuitur his verbis: (f) *Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, & deſiderium, & his oſculum, & honorariam adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolā Naturam Divinam decet, impertiendam.* Erraviſſe itaque fateamur, eſt opus, Francofordienſis Synodi Patres in exponenda ſententia ea, ſive ad Conſtantinopolitanum ſub Leone, & Conſtantino coactum Conciliabulum, ſive ad Nicænū II. reſpexerint; quam ob rem, quoniam hac in re erraviſſe fatemur, conſultius videtur, atque opportunius dicere, in uno erraſſe (nempe in eo quod Concilii mentem non fuerint probe aſſecuti)

(f) tom. VIII. pag. 1206. & 1207.

ti) quàm in duobus: addentes ſcilicet priori errori, alterum in eo poſitum, quod Nicænam Synodum cum Conſtantinopolitana confunderent miſcerentque.

IX. At enim qui ad Nicænam ſecundam Francofordienſes Patres reſpexiſſe arbitrantur, alieniſſimum a veriſimilitudine eſſe ajunt, adeo imperitos fuiſſe Epiſcopos eos, ut neſcirent, Conſtantinopolitanum Leone, & Conſtantino imperantibus coactum Concilium Imaginum cultui adverſatum fuiſſe maxime, & propterea deinceps fuiſſe celebratam Synodum Nicænam, ut Sacras Imagines, earumque cultum (nam utrumque ſubmoverat Conſtantinopolitana illa Pſeudo-Synodus) reſtitueret. Ut vero putemus ad Nicænam Synodum reſpexiſse, nos movet in primis quod poſtrema omnium tum eſſet Synodus Nicæna, paulo ante celebrata, ideoque aptiſſime de ea diceretur: *Nova Græcorum Synodus*: (*Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo.*) Movet etiam, quod Nicæna ad colendas Imagines celebrata eſt, ideoque de ea convenientiſſime intelliguntur ſubſequentia verba: *Quam de adorandis Imaginibus fecerunt*. At Conſtantinopolitana illa Pſeudo-Synodus extirpare Sacras Imagines, earumque cultum abolere in animo habuit.

X. At inquies, adeone deſipuiſſe arbitrabimur Patres eos, ut Nicæam a Conſtantinopoli non ſecernerent, & definitionem Nicænam ſic perverterent, ut oppoſitam ſignificationem illi tribuerent? Nam Synodus Nicæna Latriam Imaginibus demit, tantumque adhiberi ſinit honorariã adorationẽ; (g) at Francofordienſis Canon teſtatur, parilẽ Trinitati, & Imaginibus adorationẽ, nempe utriſque latriam, fuiſſe tributam.

(g) ut cetera omittamus, hic ea recole. cuæ nuper ex definitione prolata ſunt.

XI. Merito id objicitur: At animadvertere operæ pretiũ eſt, facile potuiſſe Francofordienſes Patres Nicænam Synodum *Conſtantinopoli* celebratam dicere, quod integris actis deſtituti, & poſt Romanæ Sedis Legatos omnino primas, & potiſſimas partes habuiſſe ſcientes Taraſium Conſtantinopolitanum Patriarcham (qui ſæpe omnium primus loquens inducitur) ad eum potius, quàm ad ſitum Urbis, in quo ea Synodus celebrata eſt, reſpexerint.

XII. Alii (ſed minus veriſimile id eſt, quod pro-

proponunt.) propterea *Conſtantinopoli celebratam* dici ajunt, quod præſentibus Conſtantinopolitanis Principibus, Irene Matre, & Conſtantino Filio Imperatore ea Synodus acta eſt: quamquam ſi quid virium horum ratio habet, etiam Nicæna prima *Romana* aut *Conſtantinopolitana* appellari poteſt, quod illi adfuit Conſtantinus Romanorum Imperator, qui Conſtantinopoli imperii ſedem fixit. Utcumque ſit; alii etiam Scriptores in eumdem errorem inciderunt, dixeruntque, Conſtantinopoli fuiſſe actam eam Synodum, quæ Niceæ procul dubio celebrata eſt. Audite, ne cunctos recenſeam, quæ ſcribit Eginhartus in Chronico. (*) *Synodus etiam, quæ ante paucos annos id Conſtantinopoli ſub Irene, & Conſtantino filio ejus, congregata, & ab ipſis non ſolum ſeptima, verum etiam univerſalis erat appellata, ... ab omnibus abdicata eſt.*

XIII. Quod vero definitionis ſignificationem inverterint, atque in ſenſum plane contrarium immutarint, id non inſcitiæ, aut negligentiæ Patrum Francofordienſium tribuas volo, ſed interpreti aut ſocordi, aut pravo, quique, uti de libris Carolinis agentes dicemus, peſſime vertit ſicut quorumdã Epiſcoporum verba, ita definitionem ipſam Nicæni Concilii, adeo ut, quum Concilii ſtatuiſſet, Imagines honorario tantũ cultu eſſe colendas, non latria, quæ Deo unice ſervatur: (*) *Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, & deſiderium, & his oſculum, & honorariam adorationem tribuendam, non tamen veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam Divinam Naturam decet, impertiendam &c:* interpres verterit colendas eſſe Imagines *latria*, uti Sanctiſſimam Trinitatem: quam lectionem innuit (procul dubio) Francofordienſis Synodus, dum hæc ait: (*) *In qua* (nova Græcorum Synodo) *ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, ſervitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur.* Errore itaque (uti Juridici appellant) *facti* Patres Francofordienſes decepti, (item ut deceptus etiam fuit auctor librorum Carolinorum) putantes ſcilicet, vere in Nicæna Synodo ſtatutum fuiſſe,

ut

[*] Hæc, Eginharti libris carens, deſumpſi ex Petavio 15. *de incarn.* ca. 12. §. 1. Etiã Conſtantinopoli celebratam dixit hanc Synodum Scriptor Saxonicus a Petavio allegatus 15. *de incarna.* cap. 12.

(*) pag. 1206., & 1207. to. 8.

(*) can. 2. pag. 101. to. 12. Concil.

ut latria perinde Sanctorum Imaginibus deferretur, ac deferebatur Sanctiſſimæ Trinitati, damnarunt Nicænos Patres: quam damnationem ii merito ſubiiſſent, ſi revera id tradidiſſent; cum certum ſit (quod nuper monuimus) oppoſitum tradidiſse, & in interpretem rejiciendam eſſe erroris occaſionem.

XIV. Poſtrema hæc ſane fuit Jacobi Sirmondi ſententia; atque ex eo quidem diſcimus (*b*) *multos ejus ſæculi Scriptores, dum ſeptimam ſynodum a Francofordienſi rejectam tradunt, ſecundum hunc canonem, de quo agimus, tacite ſignificaſſe.* *Nec difficile porro* (ſic proſequitur Sirmondus) *iſta ſibi de Gallorum Epiſcopis perſuadebit, qui meminerit, illos Ludovici Pii temporibus non diſſimilia in Synodo Pariſienſi ſenſiſſe, & Anaſtaſii Bibliothecarii apud Joannem VIII. cenſurâ perſtrictos fuiſſe, quod adverſus Synodi Nicænæ decretum in approbanda Imaginum adoratione cunctarentur.*

(*b*) in admonitione ad *Lectorē*, præpoſita Canonibus Concilii Francofordienſis pag. 98. to. ix.

XV. Novi equidem, non defuiſſe qui diceret, non potuiſſe id arbitrari Francordienſes Patres, qui ſi ita ſenſiſſent, Generale Concilium, cui Pontificis Legati interfuerant, damnationi temere ſubdidiſſent. At difficultatem hanc, quæcumque ea ſit, diſsolvemus, cum de libris Carolinis diſserentes animadvertemus, in ea perſuaſione fuiſse Gallos, ut minime crederent, Oecumenicam fuiſſe Nicænam Secundam Synodum, ad quam, ſi Legatos Romani Pontificis excipias, ſoli Græci convenerant: neque vero aut peculiari Pontificis decreto, aut Occidentalis Eccleſiæ ſuffragio approbata, primis illis temporibus, fuerat; & quæ indubitate erraſſet, ſi ea vere propoſuiſſet, quæ peſſimus ille Anaſtaſio prior interpres, ut propoſuiſse crederetur, effecit. Et de Francofordienſi Synodo dicta ſint ſatis.

CAP.

C A P. XIII.

De Carolinis libris agere incipimus, atque hoc quidem in capite ea argumenta recenſemus, quibus præclariſſimi viri inducti ſunt, ut putarent, ab hæretico aliquo eos fuiſſe confictos.

I. SEd rurſus adverſarii inſiſtunt, nobiſque Carolinorum librorum auctoritatem objicientes, delatum imaginibus cultum haud ita firmas in Catholicorum animis radices egiſſe negant, ut multos habuerit aſſeclas. Galliarum ſcilicet Epiſcopi, atque adeo populi omnes Carolo Magno, eundem cultum doctiſſimis libris refutanti obſecuti, Nicænæ II. Decretis obſtitere, eo potiſſimum permoti, quod ſuperſtitioſi plane eſſent ritus illi, quos eadem Nicæna II. Synodus, in imaginum cultum nimio plus effuſa, temere in Eccleſiam inducere nitebatur. Pergamus ergo, & diſputationem ſane non levem animoſe ſuſcipiamus. Libri ſcilicet illi, quos *Carolinos* appellari mos eſt, uberem differendi materiam nobis præſtant, quam nos quidem, ut perſpicue procedat oratio, in plura capita, inquiſitioneſque diſtribuemus. Quæremus itaque ſtatim, quiſnam eos ediderit; tum perquiremus, num adeo adverſentur Sacrarum imaginum cultui, ut non modo inconvenientem, verum etiam quemlibet rejiciant, & damnent: quantæ demum exiſtimationis, atque auctoritatis ii ſint. Hæc ſumma, ut equidem reor, capita ſunt illius, quæ de Carolinis libris inſtituitur, controverſiæ.

II. Ut a prima quæſtione exordiamur, noſſe vos volo, Sanderum (*a*), Alanum Copum (*b*), Bellarminum (*c*), Surium (*), alioſque viros præclaros putaſſe, hos libros ab hæretico quopiam fuiſſe confictos, & Carolo Magno impudenter ſuppoſitos. At quum ab iis expo-

(*a*) lib. 2. *de imagi.* cap. 5. pag. 169., & 174.

(*b*) Dialo. 4. cap. 19.

(*c*) *de Eccleſ. triumphante* lib. 2. qui eſt *de imaginibus Sancto.* cap. 15.

(*) in præfatione ad Epiſto. Adriani ad Carol. M. Rurſus in præfa. ad Synodum Francofordienſem.

poſcis, quiſnam ex tot hæreticis, qui Eccleſiam infeſtarunt, hos libros ediderit, haud leviter diffidunt. Sixtus Senenſis (*d*) a Carloſtadio fictos ait: *Impii* (inquiens) *noſtrorum temporum hæretici, qui ut hæreſibus ſuis fidem ex authoritate inſignium authorum conciliarent .... invulgarunt .... Caroloſtadii opus contra cultores imaginum cum inſcriptione Caroli Magni de cultu imaginũ ad ſextam Synodum in Oriente congregatam*. At Copus (*), & Bellarminus propterea Carolo Magno ſuppoſitos eos libros cenſent, quod cum Carolus eoſdẽ libros ab hæretico quodam compoſitos ad Hadrianum miſerit, ut refutarentur, putatum ſit ab incautis, eos libros a Carolo ipſo fuiſse conſcriptos. Bellarmino adhæſerunt plerique illorum, qui nolunt, Carolo Magno eos eſſe adſcribendos.

[*d*] in præfatione Bibiliothecæ Sanctæ numero III.

(*) pag. 568.

III. At ſtant alii fortiter, negantque audacter, hæretico cuipiam eos libros tribui poſſe, quos manifeſto conſtat a Viro Catholico, jubente fortaſse ipſo Carolo Magno, fuiſſe exaratos, ſic ut ab ipſo nomen jure meritoque deſumpſerint, & *Carolini* ſint appellati. Dixi *jubente fortaſſe Carolo Magno*: ii enim ipſi, qui eidem Carolo adſcribunt, nondum conſenſere, num ab ipſo compoſiti fuerint, & poſtea approbati a viris doctis, ac præſertim Epiſcopis; an ab his compoſiti & a Carolo Magno deinceps approbati, editique, demum ad Hadrianum Pontificem miſſi. Diffident quoque, num unus, an plures ſcripſerint eos libros, pluribus præfationibus veluti colligatos, ut unum volumen ex iis coaleſceret. Horum opiniones poſtea paucis expendemus. Vos interea ſcitote, tam etſi in nonnullis diſcrepent, concordare tamen pleroſque & ſuperioris, & præſentis ſæculi Scriptores in eo, ut auctorem horũ librorũ eſse Carolum Magnum putent. Sic Sirmondus hoc de iis libris judicium fert: (*e*) *Quæſitum eſt a multis noſtra, & patrum ætate doctiſſimis viris... de libris Carolinis, verine eſſent, an falſi, & ſubdititii... Nunc vero libros Caroli pro legitimis omnes fere agnoſcunt*. Eidem opinioni favent Petavius (*f*), Pagius (*g*), & manifeſtius Natalis Alexander (*h*), Dupin (*i*), Ivenin (*k*), Boucat etiam (*l*), Tournelly (*m*), aliique recentiores, adeo ut paucos nunc ſis inventurus, qui eos libros ab hæreticis compoſitos pronuncient; quos omnes præivit præclariſſimus noſter Steucus (*).

(*e*) in admonit. ad Concil. Francofordienſe pag. 98. to. 9. Concil.

(*f*) To. VI. Theologi. lib. 15. cap. 11. n. 8. & cap. 12. n. 2. &c.

(*g*) in Criti. Baro. ad annum 825.

(*h*) hiſtori. Eccl. ſæculi 8. diſſ. 6. §. 6. pag. 782. in fol. Peri.

[*i*] tomo ſexto Biblio. Eccl. pag. 120.

(*k*) tomo 4. Theolo. diſſer. 6. quæſ. 14. ar. 6. pag. 684.; & ſubſequen. editio. Pariſ.

(*l*) Tomo I. diſſertatione quinta ar. 4. puncto 3. arg. 9. pag. 462. editio. Venetæ.

(*m*) de Incarnatione quæſ. ultima concluſ. ſecunda pag. 426. editio. Venetæ.

(*) conſule §. 7. capitis XIV.

IV. Sed prioris ſententiæ argumenta referamus, oportet; ideoque illius, quæ vult, ab hæretico quopiam eos fuiſse confictos. Ad quatuor ſumma capita ea revoco; quorum primum a pietate, alterum a conſuetudine Caroli Magni deſumitur. Tertium nobis præbet ingenium illius, ac doctrina; quartum denique petitur ab extrinſecis quibuſdam conjecturis. Primo itaque loco monemur, adeo eximia pietate fuiſse Carolum, ut mortuus Sanctorum faſtis adſcriberetur, colereturque veluti ſanctus; (*) At ab homine improbo fuiſse cōpoſitos eos libros, oſtendunt crebra maledicta, & acerbiſſimæ contumeliæ, quibus Græcos Imperatores, atque Epiſcopos diſtringit. Vecordiæ, ignorantiæ, ſuperbiæ, contemptus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, hæreſeos etiam, & fortaſſis idololatriæ eos accuſat, nullaque eſt pagina, quæ injuriis, & offenſionibus non ſit refertiſſima. An hæc pii hominis ſunt argumenta? In ſenſum nequiſſimum quædam verba, quæ probum facile habere poſsunt, quæque vetuſta conſuetudo commendat, detorquet; veluti *dum divales* Imperatorum epiſtolas vehementer redarguit; dum peſſimo uſus interprete, eos errores imputat Nicænis Patribus, a quibus ii remotiſſimi fuerunt: veluti quod latriam ſacris quibuslibet imaginibus adhibendam eſse docuerint; quando quidem id manifeſto a Nicænis Patribus rejicitur. Vide fidei definitionem in fine actionis ſeptimæ. (n)

V. Plurimum etiam ad id demonſtrandum virium habet conſuetudo, ac mos exagitandorum Iconomachorum, quem perpetuo ſervavit Carolus, ut pote qui exoſos eos maxime habebat. Enimvero Claudius Taurinenſis Iconomachorum fautor, & in Occidentalibus provinciis anteſignanus, acerbiſſime habitus eſt ab eo Principe. Quis porro dicet, errori illi, quem in aliis proſcripſit, damnavitque, editis etiam libris faviſſe? Idem etiam Carolus ad Concilium Romanum Stephano Papa III. ſeu ſi vis IV. ob reſtituendas, colendaſque imagines coactum, duodecim Galliæ Epiſcopos miſit. Id diſcimus ex Anaſtaſio. (o) Porro ex actione quarta ejuſdem Concilii novimus, præceptum fuiſse non modo ut in honore haberentur, verum etiam, ut colerentur imagines (p) *Sanctorū imagines & vultus eorū in quolibet loco depictos celeberrimo honore venerari debemus.*

(*) Vide quæ tradit Bollandus ad diem 28. Janua. pag. 874. & 888. tomi II. Janu.

(n) *Illis* (imaginibus) *ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non ſecundum fidem noſtram, veram latriam, quæ ſolum Divina Natura competit, ſed quem ad modum typo venerandæ, & vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis &c.* pag. 1526. to. 8. Conci.

(o) in vita Stephani Papæ III. alias IV. ſectio. 276.

(p) actio. 4. to. VIII. Conci. 4. pag. 485.

mus . . . . . Si quis ſanctas imagines D. N. J. Chriſti, & ejus genitricis, atque omnium Sanctorum, ſecundum Sanctorum Patrum ſtatuta, venerari noluerit, anathema ſit. Unde ergo hæc Caroli inconſtantia provenit, ut qui nuper ad ſacras imagines tuendas ardentiſſimo flagrabat zelo, repente acerrimus earum hoſtis effectus ſit? Novimus quoque, conſuevisse Carolum laudabilia anteceſsorum, ac Patris præſertim exempla approbare, imitarique; decreta vero, legeſque confirmare. At procul dubio in Concilio Gentiliacenſi, quod regnante Pippino Caroli Magni patre celebratum eſt, Iconomachi, præſentibus Græci Imperatoris legatis, refutati, condemnatique ſunt.

VI. Quod ſi ad ingenium, doctrinamque Caroli Magni animum advertemus, liquidius patebit, immerito hos illi libros adſcribi. Hominem minime indoctum fuiſse novimus Carolum, immo in veterum, præſertim vero in Auguſtini libris detritum. Eginhartus enimvero (q) teſtatum reliquit, *eloquentia copioſum, & exuberantem fuiſſe Carolum, & latina lingua æque, ac patria, orare ſolitū fuiſſe: artes liberales ſtudioſiſſime coluiſſe: Rhetoricæ, ac Dialecticæ ediſcendæ plurimum temporis, ac laboris impertiviſſe*, adeo ut mirum non ſit, ſi litterarum, ſcientiarumque amore captus, dum cibum etiam caperet, ſibi legi juberet Auguſtini libros, eos præſertim, quos *de Civitate Dei* Sanctus Doctor inſcripſerat (r). Et ſane Epitaphium, quod Hadriano Papæ ſcripſit, poſuitque, (quod mox referemus) verſu etiam illum excelluiſse comprobat. Tamen horum librorum auctor in latina dictione haud multum peritus eſt, græcæ autem plane inſcius & rudis, adeo ut Græcos Scriptores, & Synodum ipſam Nicænam allegare volens, interpretatione peſſima, & incompoſita utatur, & propterea inornate, atque abſurde loquentes inducat eos, qui eleganter, ſancteque ſcripſerant: carere ſe quoque affirmat Cyrilli ſcriptis, quia iis latine explicatis deſtituebatur. *Quoniam ergo*, inquit, *hic liber apud nos non habetur, qui utique Græco ſermone editus eſſe a præfato Doctore perhibetur, hujus capituli ſenſu, in incompoſitis, & in impropriis dictionibus ita nobis per conjecturam ſenſus quærendus eſt, veluti quis in pulvereis, vel in cujuslibet materiæ ſordidis involucris nummos quærat.*

(q) n. 30. ſeu cap. 7. vitæ Caroli Magni.

(r) Vide quæ tradit idem Eginhartus n. 29. ſeu cap. 7.

rat. (ſ) In Geographia etiam turpiſſime errat. Sic in titulo ipſo ad Græciam pertinere Nicæam vult. *Opus inluſtriſſimi... Caroli Magni nutu Dei Regis Francorum ... contra Synodum, quæ in partibus Graciæ pro adorandis imaginibus ſtolide, ſive arroganter geſta eſt*: in Præfatione vero libri primi, Conſtantinopolim in Bithynia ponit. *Geſta eſt ante hos annos in Bithyniæ partibus quædam Synodus tam incautæ, tamque indiſcretæ procacitatis.* (*) Porro utrifque a vero abeſt, & Nicæa ad Bithyniam, Conſtantinopolis ad Thraciam ſpectat. Putiduli quoque ſunt hi libri, & quos a ſcitulo aliquo exaratos fateberis, ſi recte ſapis. Capite ipſo primo libri primi, quædam logicæ, immo etiam gramaticæ rudimenta conſectatur, & ineptiſſime effutit. Capite vero 26. ejuſdem libri ſcholaſticam argumentationem pueriliter perquirit. In Rhetoricæ, & Dialecticæ præceptis ſe valde exercitatum capitibus nono, & viceſimo ſeptimo libri tertii oſtendere nititur. Capite porro XXIII. ejuſdem libri tertii, Græcarum fabularum non modo meminit, verum etiam ſeriem quandam, & enumerationem inſcite texit. Sed, quod magis mirum eſt, dum Theologus apparere, alioſque reprehendere ſtudet, ipſos Theologiæ fontes ſe prorſus ignorare indicat: etenim celebratiſſimos Græcos Patres, eorumque notiſſima Opera ſe neſcire fatetur. Audi, num vera eloquar. In titulo XVII. libri 2. *Quod Gregorii Nyſſeni Epiſcopi, ex quo illi ad ſuum errorem adſtruendum teſtimonia trahunt, & vita nobis, & prædicatio ſit incognita.* Caput autem ipſum plane congruit titulo. Quid quod inter apocrypha, & contemptiſſima ſcripta recenſet Gregorii Nazianzeni jambicos, ex quibus Polemonis hiſtoriam ad ſacrarum imaginum utilitatem commendandam, valde aptam diſcimus (t)? Et ab his quidem argumentis impellimur, ut neque Albinum, neque alium quempiam, per ea tempora doctrinæ laude florentem, eorum librorum auctorem eſſe dicamus. In hæc ſcilicet tam turpia errata Vir doctus, quiſquis is erit, minime incidet. Supereſt itaque, ut ab imperito quopiam, ac ſtupido hæretico ii libri conſcripti ſint, ideoque vel a Caroloſtadio, ſub Caroli Magni nomine inſcitiam ſuam, fraudemque contegente, vel a vetuſto aliquo, qui Caroli Magni æta-

(ſ) lib. 2. cap. 20.

(*) pag. 5.

(t) cap. 21. libri tertii.

te eos ſcripſerit; ad Hadrianum vero [quod ſæpe diximus] miſſi fuerint, ut refutarentur.

VII. Quod ſi firmiſſimis his probationibus conjecturas adjungi ſinis, his quoque facile oſtendes, non a Carolo Magno, ſed ab inerudito aliquo hæretico hos, de quibus agimus, libros, fuiſſe compoſitos. Neminem latet, Carolum Magnum eam, quam cum Hadriano Pontifice amicitiam olim iniit, perpetuo, conſtanterque retinuiſſe: illi jugiter obſecutum, & animo conjunctiſſimum fuiſſe, adeo ut illi vita functo epitaphium perinde elegans, atque amore pleniſſimum poſuerit, cujus partem aliquam hic deſcribere libet (u):

[u] Exſcribimus ex añotationibus Onuphrii Panvinii in Platinam.

Hic Pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclytus auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas lux, gloriâ Chriſtus;
Paſtor Apoſtolicus promptus ad omne bonum.
: - - - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - -
Poſt Patrem lacrymans Carolus hæc carmina ſcripſi.
Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater.
Tu memor eſto mei, ſequetur (*) te mens mea ſemper:
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
- - - - - - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - - -
Tum memor eſto tui nati, pater optime poſco:
Cum patre, dic, natus pergat & iſte meus.
O pete regna pater fælix cæleſtia Chriſti,
Inde tuum precibus auxiliare gregem.

(*) fortaſſe *ſequitur*: & ſanè Giacconius, & Bellarminus legunt *ſequitur*.

Atqui ſi ea, quæ in his libris extant, molitus re vera fuiſſet Carolus, procul dubio ab eo alienatus fuiſſet Hadrianus, neque tantam Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Cathedræ infligi permiſiſſet injuriam, ut impune adverſus ſacras illius conſuetudines contumelioſiſſimi libri ederentur. An etiam putas, eundem illum Hadrianum, qui Majorum ſuorum veſtigia ſecutus, ad tuendum imaginum cultum graviſſimas cum adverſantibus Græcis offenſiones habuerat, earundem Sacrarum imaginum contemptum in Carolo paſſum fuiſſe, & placide toleraſſe? Ad hæc: in refutatione eorundem librorum, quâ non levi ex parte confecit Hadrianus, nunquam increpatur Carolus, qui procul dubio Pontificis reprehenſionem minime evitaſſet, ſi calamum in ima-

imaginum cultum, in quem totus Orbis jam conſpiraverat, exacuiſſet. Sed quis omiſerit eas tenebras, in quibus perpetuo permanſere libri hi, qui ſi tam præclaro patre fuiſſent orti, tam diu non latuiſſent? Porro ante ſæculum Eccleſiæ ſextumdecimum nemo unus eorum meminit, atque eo quidem ſeculo, ignoto loco, ignoto editore repente evulgati ſunt. Hæc ſane qui diligenter expendet, Bellarmino aſſentietur, aliiſque docentibus (quod crebro diximus), ab hæretico quopiã, non a Carolo Magno eos libros fuiſſe compoſitos: potuere vero a Carolo M: deſumere nomen, appellarique Carolini, vel fraude aliqua editoris, vel, ſi vis, ex eo, quod Carolus eos condemnandos, refutandoſque curarit, item fere ut olim a victis provinciis Imperatores denominabantur, appellatuſque eſt Africanus, Parthicus, Scythicus is, qui Afros, Parthos, & Scythas vicit edomuitque.

CAP. XIV.

Eorum aggredimur argumenta, qui cenſent, Carolo Magno tribuendos eſſe eos libros.

I. His quidem, & aliis etiam argumentis decertant illi, quibus placet, Carolo Magno Carolinos libros fuiſſe ſuppoſitos. At quod animo intendunt, perficere fortaſſe non poſſunt. Vehementer nempe his obſiſtunt, qui arbitrantur, Carolo Magno indubitate adſcribendos eſſe eos libros, vel quia re vera ipſe compoſuerit, vel quia illius juſſu & auctoritate ab aliis compoſitos is evulgaverit. Quorũ Theologorum opinio quàm præclare fundata ſit, hæc rationum momenta indicant. Indubitata res eſt, Catholicum fuiſ-

ſe

ſe illũ, qui hos libros edidit, quippe Romanã Eccleſiã conſulendã eſſe docet in controverſiis de fide inſtitutis, ſeque illius ſequacẽ declarat. (*) *Quod Sancta Romana, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ceteris Eccleſiis prælata, pro cauſis fidei, cum quæſtio ſurgit, omnino ſit conſulenda*: inquit ille, idque accurate, & copioſe probat in eo capite, quod in margine allego. A qua quidem Eccleſia nunquam receſſiſſe ait Galliarum Eccleſias: eamque tanti ipſe fecit, ut cum illius ritibus, & conſuetudinibus vehementer optarit aliarum Eccleſiarum conſuetudines & ritus convenire: ſe propterea approbaſſe ait, & perfeciſſe id, quod a Pipino in Galliarum Eccleſiis cœptum fuerat, ut ſcilicet veteribus omiſſis ritibus, Romanus tantum celebrandorum officiorum mos ſervaretur: fatetur quoque, cupere ſe pro viribus eandem Romanam Eccleſiam extollere, illique omnino obſequi tum ſe, tum ſibi ſubditas provincias. (6)

(*) li. 1. cap. 6.

II.

(6) „ A cujus Sancta, & veneranda communione multis recedentibus, noſtræ tamen partis nunquam receſſit „ Eccleſia, ſed eam Apoſtolica eruditione inſtruente, „ & eo, a quo eſt *omne donum optimum*, & *omne donum perfectum*, tribuente, ſemper ſuſcepit reverenda chariſmata. Quæ dum a primis fidei temporibus, cum ea perſtaret in ſacræ religionis unione, „ & ab ea paulo diſtaret (quod tamen contra fidem non eſt) in officiorum celebratione, venerandæ memoriæ genitoris noſtri, inluſtriſſimi, atque excellentiſſimi viri, Pipini Regis cura, & induſtria, ſive adventu in Gallias reverendiſſimi, & Sanctiſſimi „ Viri Stephani Romanæ Urbis antiſtitis, eſt ei etiam in pſallendi ordine copulata; ut non eſſet diſpar ordo pſallendi, quibus erat compar ardor credendi, & quæ unitæ erant unius ſanctæ legis ſacra lectione, eſſent etiam unitæ unius modulationis veneranda traditione: nec ſejungeret officiorum varia celebratio, quas conjunxerat unicæ fidei pia devotio: quod quidem & nos, conlato nobis a Deo Italiæ regno, fecimus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ faſtigium ſublimare cupientes, reverentiſſimi Papæ Adriani ſalutaribus exhortationibus parere nitentes: ſcilicet, ut plures illius partis Eccleſiæ, quæ quondam Apoſtolicæ ſedis traditionem in pſallendo ſuſcipe-

II. Atque in hoc quidem capite perſpicuis verbis interceſſionem Beati Petri tantarum virium agnoſcit, & palam prædicat, ut per eam ad cælos perduci ſe poſſe ſperet, ideoque agnoſcit, & palã prædicat dogma, cui obſiſtebant Claudius Taurinenſis Iconomachorum in Occidentalibus provinciis fautor, & magna pars Iconomachorum Orientalium. Cruci quoque honorem (*a*), Sanctis, eorumque reliquiis cultum adhiberi vult; (*b*) An his indiciis hæreticum Iconomachum, aut Caroloſtadium aliquem dignoſcis?

III. Apertius adhuc, expreſſiuſque Carolum hujuſce voluminis auctorem eſſe edocemur tum ex titulo Operis ipſius, tum ex quibuſdam verbis ejuſdem Operis. Profero ſtatim titulum Operi præpoſitum. En illum. *Opus inluſtriſſimi, & Excellentiſſimi, ſeu ſpectabilis Viri Caroli, nutu Dei, Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamque, ſive harum finitimas provincias, Domino opitulante, regentis contra Synodum, quæ in partibus Græciæ, pro adorandis imaginibus ſtolide, ſive arroganter geſta eſt.* Hunc ſane titulum vel Carolus ipſe præfixit Operi ſuo, vel alius certe illius æqualis: ſtylo enim, & ſcopo haud abſimilis eſt a reliquo Opere. Verba autem illa, quæ in eodem Opere extare dixi, ea ſunt, quæ nuper attuli, & quæ hic repeterem, niſi modo retuliſſem. Ea itaque tantum modo indico. *Quæ dum a primis &c.* Pipinum nempe Galliæ Regem Patrem ſuum fuiſse teſtatur; ſe quoque plurimum labo-

(*a*) lib. 2. cap. 2. & lib. 4. cap. 16.

(*b*) lib. 3. cap. 16. *Honor itaque digne Sanctorum corporibus, reliquiis, ſive baſilicis exhibitur, & omnipotenti Deo, & Sanctis ejus manet acceptus.*

„ pere recuſabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhæſerant fidei munere, adhæreant quoque pſallendi ordine: quod non ſolum omnium Galliarum provinciæ, & Germania, ſive Italia, ſed etiam Saxones, & quædam Aquilonaris plagæ gentes, per nos, Deo annuente, ad veræ fidei rudimenta converſæ, facere noſcuntur, & ita beati Petri ſedem in omnibus ſequi curant, ſicut illò pervenire, quo ille clavicularius extat, deſiderant. Ad quam beatitudinem nos pervenire, & in Sanctæ Eccleſiæ conſortio, & unione ille nos faciat perſeverare, qui Eccleſiam ſuam in Petro dignatus eſt fundare: & ipſo interveniente, cujus cathedræ ſumus ſequaces, regni cælorum, cujus ille claviger factus eſt, mereamur effici compotes. „

raſse ait, ut Romanæ Eccleſiæ ritus, & divinorum officiorum celebrandorum mos in ſubditas ſibi provincias induceretur, idque ſe conſecutum fuiſſe teſtatur. Quiſnam porro, niſi Carolus Magnus, verbis his indicatur?

IV. Principem quoque ſe eſse docet, dum hæc eloquitur: (*) *Cujus* (*) *quoniam in ſinu Regni gubernacula, Domino tribuente, ſuſcepimus:* & rurſus id declarat, dum Epiſcopis ſui Regni vel annuentibus, vel fortaſſe etiam emendantibus (c) opus illud a ſe compoſitum ait. Porro nullus, quem noverimus, Princeps hoc de argumento, niſi Carolus Magnus, ſcripſit. Carolo itaque Magno opus iſtud adſcribas, oportet. At verba ipſa audiatis volo decerpta ex præfatione libro 1. præpoſita. (*) *Quod opus aggreſſi ſumus cum conniventia Sacerdotum in regno a Deo nobis conceſſo, Catholicis gregibus prælatorum, non arrogantiæ ſupercilio &c.*

V. Non me latet, reponere poſse quempiam, hæc ab illo fuiſse conficta, qui opus illud a ſe occulte confectum, Carolo Magno vafre adſcripſit, ut auctoritatem libro, opinionibuſque in eo comprehenſis conciliaret. At id minime reſpondebit is, qui putet, ab hæretico Caroli Magni æquali, libros illos fuiſse compoſitos, & ab eo Principe ad Hadrianum Pontificem miſſos, ut refutarentur. Auctorem porro eorum ſe prodit Carolus ipſe, quem proinde haud dicere potes libros illos ab alio editos ad Hadrianum miſiſſe, ut refutarentur. Tametſi vero confictos hos libros dicet is, qui Carloſtadium eorum librorum auctorem cenſet; tamen, quod attinet ad opus integrum, facile refelli is poterit; & re vera deinceps copioſe refelletur: quod vero attinet ad duo illa, quæ modo attuli teſtimonia, ſic eũ redarguo. Temere præpoſitũ fuiſse titulũ illũ, cujus memini, haud probas: quẽ tamen antiquiſſimum evincit ipſa ſcribendi ratio, ſæculi illius, quo vixit Carolus Magnus, locutionem, & conſuetudinem redolens: immo eum minime falſum aſſeverat Tillius (ii is eſt, qui eos libros evulgavit,) & Steucus Eugubinus, quem ipſe allegat. (*) Verba autem, quæ vel allegavi, vel ad quæ nuper amandavi Lectorem, minime aſſuta intelliges, ſi expendes auctoris ſcopum, locutionem, ſtylum, continuationem, & nexum orationis, verita-

(*) in præfatione libri primi pag. 4.

(*) idest Eccleſiæ.

(c) primum indicatur, ſi legas cum Golſtado *conniventia*: alterum vero ſi vetus ſervetur lectio, legaſque *conhibentia*.

(*) pag. 11.

(*) Jam ediderat Steuchus librum *de donatione Conſtantini*, qui in præfatione ipſa citatur a Tillio. Ibi porro volumen, de quo agimus, Carolo Magno indubitate tribuit Steuchus, cujus verba mox referemus.

tatemque eorum, quæ traduntur in eo capite, in quod irrepſiſſe errorem, aut malum dolum, nemo, quem noverim, hactenus dixit, nec, ut puto, facile id probare poſset, ſi quiſpiam id cuperet. Et his quidem argumentis Carolum auctorem jactitat liber ipſe.

VI. Aliunde etiam teſtatum habemus, ab eodem Principe fuiſse editos hoſce libros. Epiſcopi nempe, Pariſiis, Ludovico Pio Caroli filio imperante, ad Synodum celebrandam coacti, id verbis minime dubiis edocere videntur. Etenim in epiſtola Synodali, Ludovico, & Lothario Imperatoribus datâ, hæc inquiunt (*d*): „ Eandem porro Synodum [*Nicænam Secundam*] cum
„ Sanctæ memoriæ Genitor veſter coram ſe, ſuiſque
„ perlegi feciſset, & multis in locis, ut dignum erat,
„ reprehendiſset, & quædam Capitula, quæ repre-
„ henſioni patebant, prænotaſſet, eaque per Angil-
„ bertum Abbatem eidem Hadriano Papæ direxiſſet,
„ ut illius judicio, & auctoritate corrigerentur; i-
„ pſe rurſus favendo illis, qui ejus inſtinctu tam ſu-
„ perſtitioſa, tamque incongrua teſtimonia memorato
„ operi inſeruerant, per ſingula Capitula in illorum
„ excuſationem, reſpondere quæ voluit, non tamen
„ quæ decuit, conatus eſt. „ Indicari vero his verbis eos, de quibus agimus, libros, haud dubito. Etenim in eâ, quæ ſupereſt etiam nunc Hadriani epiſtolâ, (*e*) Pontifex *capitulare* vocat volumen illud, quod ſtatim refutat, illudque declarat *adverſus Nicænam Synodum* fuiſſe compoſitum. Atque eo quidem vocabulo (*) Principum edicta, ſeu Opera ſubditis indicta appellabantur. Refellit etiam propoſitas in Opere Carolino adverſus Nicænam II. reprehenſiones: idque *per ſingula capitula* (*f*) præſtitiſse Hadrianum conſpiceremus, ſi integram, non mutilatam haberemus epiſtolam illam.

VII. Sed quis ea prætereat, quæ de his libris, horũque auctore indicat Echius, (*g*) & ſcriptis prodidit Steucus? atque hujus quidem verbis ipſis uti placet, ut manifeſtius ipſius ſententia innoteſcat, & hactenus dictis plus roboris, ac firmitatis accedat [*h*]: „ Hoc ſciens, perceptũque habens Carolus Magnus Imperator, eodẽ tempore
„ quo Adrianus Pontifex protulit in Concilio hiſtoriam
„ Sylveſtri, ſcribens & ipſe de imaginibus, cum impe-
„ raret Conſtantinopoli Conſtantinus, & Irene mater,
„ recipiens quæ magnus Conſtantinus ſtatuiſſet, ſic ſcribit

(*d*) pag. 2.

(*e*) Vide eam epiſtolam tomo VIII. pag. 1553.

[*](*Capitulare ſcilicet.*) *Inter qua edidit nobis capitulare adverſus Synodum, qua pro Sacrarum imaginum erectione in Nicaa acta eſt.*

(*f*) *per unumquodque capitulum* (inquit Hadrianus in Epiſtolæ initio.)

(*g*) *in Enchiridio*, ſeu locis cõmun. (cap. 16.) hæc ait: *Carolus Magnus quatuor libros ſcripſit contra volentes tollere imagines.* Porro hos, de quibus agimus, libros innuit, procul dubio, Echius, & in ipſis re vera Carolus obſiſtit iis, qui imagines tollere volebant, tametſi eaſdem imagines adorari non ſinat. Hic Echii libellus, niſi falſa audivi, jam inde ab anno 1529. editus eſt, & certe antequam Carolini libri a Tillio ederentur.

(*h*) *de Donatione Conſtantini* lib. 2. pag. 226. tomi 3. Operũ ejuſdem Steuchi Venetiis apud Nicolinum 1591. editorum. Evulgatus fuerat primùm hic liber anno 1547. apud Gryphium: cujus quidem editionis conſule pag. 111. ca. 60.

„ libro primo capite ſexto: (eſt autem liber vetuſtiſſimus, litteris Longobardicis ſcriptus, in bibliotheca Palatina; non credenti videndi ſiet poteſtas) Antequam, inquit, diſcutiendorum teſtimoniorum, quæ abſurde Orientales in ſua Synodo taxaverunt, ſylvam ingrediamur, dignum duximus, ut qualiter Sancta Romana Eccleſia cæteris Eccleſiis a Domino prælata eſt, & a Fidelibus conſulenda eſt, ſic proſequamur: præſertim cum non ab aliis Scripturis, niſi ab his, quas illa inter Canonicas recepit, teſtimonia ſint ſumenda. „ Tum reliqua in eodem capite contentà exſcribit, quæ hic referre ab re eſt. Bernardi Lutzemburgi teſtimonium allegatum etiam vidi. (*) Illud adde, ſi vis.

[*] in cata. hær. li. 1. cap. 14.

C A P. X V.

Eoſdem libros Carolo M. adjudicandos eſſe, nobiliſſimæ Hadriani Pontificis epiſtolæ, cujus nuper meminimus, teſtimonio expreſſius oſtendimus. Atque ab hac quidem probatione occaſione deſumpta, multa de eâdem epiſtolâ tradimus, atque hic ſtatim ejuſdem epiſtolæ capita cum librorum Carolinorum capitibus conferimus.

I. LIcet autem allata uſque adhuc argumenta id, quod agimus, mire comprobent, planeque oſtendant, minime confictos fuiſſe a recentiore quopiã hæretico libros illos, ſed vetuſtos eſse, recteque Carolo Magno adjudicatos; aliam tamen probationem, quæ id vehementius inculcet, adjungere libet. Deſumitur porro ab eâdem illâ Hadriani epiſtolâ, cujus nuper meminimus. Etenim in eâ epiſtolâ ipſiſſima Caroli-

no-

norum librorum verba allegantur, & refelluntur; ideoque etiam refelluntur argumenta illa, probationeſque, quibus eorumdẽ librorum auctor adhibitum ſacris imaginibus cultum redarguit, ac condemnat.

II. Sunt, fateor, qui id vertant in dubiũ, propterea quia Hadrianus ſilet plane de conviciis adverſus Græcos latis, quibus Carolini libri refertiſſimi ſunt: ſecundo quia non eundem in ſuo libello, ſeu epiſtolâ ſervat ordinem, quẽ ſervant Carolini libri; Tertio quia quædam omittit, quæ Carolini libri inculcant; quia denique quædam in ea epiſtola citantur, quæ tamen in Carolinis libris haud reperies; veluti verba illa poſtremi capitis ejuſdem epiſtolæ: (*) *Ultimum capitulum eſt: ut ſciat Domnus Apoſtolicus, & pater noſter, & cuncta ſimul Romanorum Eccleſia, ut ſecundum quod continetur in epiſtola beatiſſimi Gregorii, quam ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum direxit, permittimus imagines Sanctorum, quicunque eas formare voluerint, tam in Eccleſia, quamque extra Eccleſiam propter amorem Dei, & Sanctorum: adorare vero eas nequaquam cogimus eos, qui noluerint &c.*

(*) pag. 1596. to. 8. Conci.

III. Sed ad hæc parata reſponſa ſunt. Adhibitam conviciis, quibus Græcos diſtringit Carolus, peculiarem reſponſionem Hadrianus fortaſſe dederat. Sed cum non levis pars ejuſdem epiſtolæ deſideretur, (*a*) fortaſſe ea periit reſponſio. Peculiarem quoque reſponſionẽ iiſdẽ conviciis ſæpe dat Hadrianus, qui procul dubio Nicænos Patres ab accuſationibus Caroli non raro vindicat, & ſi interdũ id præterit, (*b*) facile ex eo provenit, quia id indulget Carolo in Græcos irato: (neque enim levem injuriã Carolus ſuſtulit, dum repudiari vidit a Conſtantino Græcorum Imperatore Rotdrudim filiam ſuam, illique ſuppoſitam Mariam Armenam (7)), vel potius quia Nicæni ſecundi dogmata tueri, ac ſtabilire in animo ha-

(*a*) Vide caput 1. 2. & alia etiã partis 1.

(*b*) præterit ex. gra. quod de Taraſio Neophyto objectum erat. Vide caput 48. ſectionis 1. &c.

 bens

(7) *Interea Imperatrix Irene fœdera cum Francis inita ſolvit, & miſſo Theophane Protoſpathario, puellam ex Armeniacis, nomine Mariam, Amnia oriundam accepit, quam Conſtantino Imperatori filio ſuo conjugem locavit: quamvis id Conſtantinus ægerrime ferret, nec propter conceptum erga Francorum Regis Caroli filiam, quam ſibi deſponſaverat, affectum, conſenſum præbere vellet. Nuptiæ tamen . . . celebratæ ſunt.* (1) *Rotdrudis filiarum ejus primogenita, & Conſtantino Græcorum Imperatori deſponſata &c.* (2)

(1) Theophan. Chronographia pag. 311. editio. Venetæ: 391. Pariſien.

(2) Eginhartus cap. 6. aliàs n. 24. Vitæ Caroli M.

bens, neglexit privatas illas accuſationes, in quibus repellendis ſi diu imoratus fuiſſet Hadrianus, prolixã perinde, atque inutilem ſumpſiſſet operam. Id ſane conjicere licet ex illis Hadriani verbis in epiſtolæ initio poſitis: (*) *Per unumquodque capitulum reſponſum reddidimus: non quemlibet (abſit) hominem defendentes, ſed olitanam traditionem Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ tenentes, priſcam prædeceſſorum noſtrorum Sanctorum Pontificum ſequimur doctrinam &c.*

(*) pag. 1554.

IV. Multæ autem potuere eſſe cauſæ, cur is in reſpondendo minime ſervatus ſit ordo, qui in Carolinis ipſis libris ſervatur: ſed has attuliſſe ſufficiat. Alius erat in Carolinis libris, cum ad Hadrianum miſſi ſunt, capitum Ordo, ac nunc ſit, ideoque alius etiam eſſe debuit reſponſionum; & ſane tres tantum libri videntur fuiſſe propoſiti Hadriano ad refutandum, dum in tres præcipuas partes ſuam epiſtolam dividit, & prima illius pars ſexaginta; XIV. capita pars altera. XXV. denique pars tertia primùm comprehendiſſe videtur (c). At deinceps in quatuor libros diviſum fuiſſe volumen illud, adjectis nonnullis aliis capitibus, teſtatur Hincmarus, quem mox allegabo.

(c) Dixi *primùm comprehendiſſe videtur*: nã nunc, procul dubio, multa capita deſunt, ut ſtatim oſtendam.

V. Qua quidem animadverſione præpoſita, ſubſequentẽ diſſolvis difficultatem. Nempe propterea in Hadriani epiſtola quædam omittuntur, quæ Carolini libri inculcant, quia vel quædam capita poſtea adjecta ſunt primis Caroli (ſi Carolum horum librorum auctorem eſſe vis) litterariis laboribus, & tum inſerta, cum volumen recuſum eſt, vel quia multa nunc deſiderantur in Apologetica Hadriani epiſtola, quæ olim in ea extabant. Ceterum ne ea de re ambigat deinceps quiſpiam, utriuſque Operis capita primùm conferam, tum vulnera quædam, ut ita appellem, ſeu a temporum injuria, ſeu potius a peſſimis amanuenſibus epiſtolæ illi inflicta indicabo, quibus quidem Lector palam comperiet, ex quàm perverſis codicibus deſumpta, atque edita ea epiſtola ſit. Ponam autem in ſiniſtra paginæ parte capita epiſtolæ, eo ſervato ordine, quem vulgata editio habet: dexteram porro partem aſſignabo capitibus librorum Carolinorum, quæ capitibus epiſtolæ ejuſdem reſpondent. Lectori vero, niſi mea me fallit opinio, id erit non injucundum: tum quia nemo, quem ego no-

ve-

verim, laborem eum hactenus ſuſcepit, tum etiam quia multum proderit ea collatio ad dirimendas quæſtiones quaſdam, fortaſſe non leves, quæ de epiſtola ea a Scholaſticis inſtituuntur.

ADRIANI EPISTOLA.	OPUS CAROLINUM.
Præfatio mutilata, & parte fortaſſe non modicâ carens.	
Sectio ſeu Pars I.	
Cap. I.	III. 3.
II.	III. 4.
III.	III. 5.
Deſũt reliqua interjecta capita.	
XV.	II. 1.
Cap. ib. (num idem, an potius 16., judicet Lector.)	IV. 5.
XVII.	IV. 6.
XVIII.	IV. 10.
XIX.	II. 2.
XX.	II. 10.
XXI.	I. 7.
XXII.	I. 9.
XXIII.	I. 12.
XXIV.	I. 13.
XXV.	I. 14.
XXVI.	I. 18.
XXVII.	I. 25.
XXVIII.	I. 26.
XXIX.	II. 4.
XXX.	II. 5.
XXXI.	II. 6.
XXXII.	II. 8.
XXXIII.	II. 12.
XXXIV.	II. 14.
XXXV.	II. 18.
XXXVI.	II. 25.
XXXVII.	II. 20.

XXXVIII.

XXXVIII.	II. 27. quædam tamen verba adjunguntur, quæ in Adriani epiſtola minime extant.
XXXIX.	II. 29.
XL.	I. 27.
XLI.	I. 28.
XLII.	I. 29.
XLIII.	II. 7.
XLIV.	III. 20.
XLV.	III. 29.
XLVI.	I. 10.
XLVII.	I. 15.
XLVIII.	I. 5.
XLIX.	I. 8.
L. Multa adjunguntur in titulo hujuſce capitis, quæ in allegato Carolini Operis capite non invenies.	II. 23.
LI.	II. 31.
LII.	III. 11.
LIII.	III. 13.
LIV.	III. 25.
LV.	III. 30.
LVI.	IV. 7.
LVII.	II. 21.
LVIII.	II. 26.
LIX.	III. 24.
LX.	IV. 13.

Sectio, ſeu Pars II.	
Cap. I.	II. 30.
Deſũt reliqua interjecta capita.	
IV.	III. 6.
V.	III. 7.
VI.	III. 10.

IV.

VII.	Non reperitur expreſſe in Opere Carolino. Fortaſſe reſpicit ad caput 24. aut 28. libri 4.
VIII.	III. 16.
IX.	III. 17.
X.	III. 18.
XI.	III. 21.
XII.	I. 16.
XIII.	III. 26.
XIV.	III. 31.

Sectio ſeu Pars III.	
Deeſt I. Caput	
II.	III. 19.
III.	III. 28.
IV.	IV. 2.
V.	IV. 4.
VI.	IV. 8.
VII.	IV. 9.
VIII.	I. 4.
IX.	I. 11.
X.	I. 17.
XI.	I. 21.
XII.	I. 22.
XIII.	II. 19.
XIV.	III. 22.
XV.	III. 23.
XVI.	IV. 1.
XVII.	IV. 11.
XVIII.	II. 22.
XIX.	Caput iſtud in Carolinis libris, expreſſis verbis, minime inveni: Reſpicere tamen videtur ad caput XIX. libri III.

XX.	II. 28.
XXI.	I. 1.
XXII.	Iſtud quoque caput in Carolinis libris, expreſſis verbis, minime inveni. Reſpicere tamen videtur ad caput 24. libri II.
XXIII.	III. 27.
XXIV.	II. 9. Prima hujus capitis pars reſpondet capiti 9. libri II. Poſtremā, quæ ad hunc modum ſe habet: „ Sive „ illud, quod in Ezechiele „ ſcriptum eſt: *Facies* „ *& Cherubim uſque ad* „ *Cameram*: „ in Carolinis libris minime inveni.
XXV. Ipſiſſima tradit, quæ caput 50. ſectionis I. ideoque reſpondet capiti 23. libri II. Operis Carolini, vel a vulgatis editionibus Carolinorum librorum abeſt. Sed de hoc quidem capite peculiariter mox dicemus.	

VI. Sed jam alterum ex propoſitis exſequamur, indicemuſque ea, quæ diximus, vulnera ſive a temporum injuria, ſeu potius a peſſimis amanuenſibus epiſtolæ illi inflicta. (*) Atque a principio deſcribere hic libet ea ipſa verba, quæ, in editione Conciliorum Surii reperi; quippe proxime poſt verba, *quæ eſt in Eccleſia Dei vivi*, (*) hæc mutato, minutiorique charactere adjunguntur: *Huc uſque in manuſcripto exemplari habebatur; & certum eſt hoc loco deſiderari nonnulla: ſed cum non niſi unicum exemplar haberemus, lacunā hanc implere non potuimus. Dabitur fortaſſis aliàs quandoque implendi occaſio, ſi alia exemplaria in manus noſtras pervenerint.* His nempe verbis palam conſtat, quàm depravatus fuerit Codex, ex quo exſcripta eſt ea epiſtola, dum primum typis edita eſt. Atque auctior quidem codex deinceps repertus eſt: ſed is ipſe

[*] Vide §. 5.

(*) reſpondent capiti 23. ſecundæ partis ejuſdem epiſtolæ. Tomo 3. pag. 225. editio. Surii.

is ipſe neque integer, neque emendatus. Quod ne temere dixiſſe videar, errores in eandem epiſtolam illapſos indicare conveniens reor: ac non eos quidem omnes, ſed aliquos tantum: nobis enim, ac fortaſſe Lectori ipſi moleſtum foret, ſi cunctos ſingillatim recenſeremus. Atque in errorum quidem numero primùm ponimus lacunas illas, & intercapedines, quas paulo ante adnotavimus, & hic recolere Lector poterit. Verum non has ſolum inveniet in eo opuſculo. In præfationis ipſius limine intercapedo fortaſſe non parva occurrit. In tertio capite Sectionis I. talis offenditur, ut eam adverterint editores. (*d*) Ecce porro tibi aliam capite 58. ſectionis 1. [*e*] Reſponſio enim ad hunc modum incipit: *Item ex tractatu S. Auguſtini de Eſau &c.* at ne unum quidem verbum ex Auguſtino in eo capite prolatum fuerat. Quod ſi dicas, ad proxime ſuperius caput [nempe ad 57.] reſpexiſſe Adrianum, qui in eodem ſuperiori capite Auguſtinum allegarat, præterquam quod unumquodque caput peculiaris videtur alicujus quæſtionis tractatio, quæ propterea ſuo capite clauditur; en tibi exemplum aliud, quod reſponſio hæc tua minime eludet. Capite IV. ſectionis III. reſponſio ſic incipit: *Item ex epiſtola Sancti Gregorii Papæ*; cum nullus adhuc in eodem capite allegatus fuiſſet S. Doctoris locus: duobus vero præcedentibus capitibus ne Gregorii quidem meminiſſet Hadrianus.

VII. Loco vero non ſuo alia, eaque fortaſſe non pauca, invenies. Sic capite 3. ſectionis I. quæ ad *Reprehenſionem* ſubjunguntur; minime cum eadem *Reprehenſione* cohærent: quædam etiam, quæ capite I. ſectionis II. occurrunt, ſicuti ab argumento, quod tum pertractatur, maxime diſtant, ita plane ad idem caput 3. ſectionis I. ſpectant: refellitur enim propoſita a Carolinis libris reprehenſio iis verbis: (*) *Item Sophronii Epiſcopi Hieroſolymitani, qui ita explanavit in ſua ſancta Synodica*, & ſubſequentibus aliis, quæ, uti dixi, capite I. ſectionis II. habentur: ideoque reſtitui debent capiti illi 3. ſectionis 1. Atque id quidem ante me agnovere ejuſdem epiſtolæ editores (*f*).

VIII. Ad hæc: capite 18. Sectionis I. in quo ſibi ad diſſerendum de Edeſſena imagine propoſuerat, multaque ad hujuſce modi argumentum valde idonea attulerat, Nicephori, & Antipatri, non contemnenda

 ſane

(*d*) *Hoc loco numerus capitum non cohæret, ſed interrumpitur: & certe ex ipſa reſponſione apparet, aliā præceſſiſſe reprehenſionem, cui hic reſpondetur.*

(*e*) pag. 1577.

(*) *Quod idem Taraſius non recte Spiritum Sanctum contribulem &c.*

(*f*) *reprehenſioni vero hic propoſita reſpondent verba, quæ habentur infra cap.* 61. Item Sophronii &c.

ſane teſtimonia præterit, quæ tamen multo poſt, loco omnino non ſuo, invenies: capite ſcilicet XI. ſectionis II: in quo quidem capite de Polemonis imagine diſputatur.

IX. Similiter ea Auguſtini verba, quæ afferuntur capite 22. ſectionis I. minime omnium, niſi plane fallor, concordant cum reprehenſione, ideoque loco non ſuo jacent. Arbitror autem pertinere ad caput 47. ejuſdem ſectionis, & collocanda eſſe ſtatim poſt illa verba: *Moyſis miniſterio:* tum enim fluit, & continuata eſt verborum illorum ſententia, & recte cum ſuperioribus connectuntur ſubſequentia verba: *Item B. Auguſtini de libro Exodi;* quæ alioqui cum prioribus non omnino concordare videntur. Si quis tamen ad caput 58. ejuſdem ſectionis I. pertinere vellet, & ſtatim collocanda eſſe poſt reprehenſionem, ego quidem huic minime obſiſterem.

X. Quædã etiam occurrunt in fine capitis XI. ſectionis II. quæ num ad caput iſtud pertineant, an non, Lectori judicandum relinquimus. [*] Idem dicimus de illis Auguſtini verbis, quæ poſtremo loco capitis 14. ſectionis III. habentur; valde enim a ſuperioribus disjuncta eſſe videntur.

XI. Apertiſſime quoque interdum pervertitur ordo capitum. Etenim caput illud, quod nunc IX. eſt ſectionis III. procul dubio poni debuerat poſt 46. ſectionis I: hinc ſic inſcribitur: „ De eo, quod PRÆFA„ TUS Joannes dixit: *In hominis forma luctatus eſt „ &c.* „ At paulo ante de Joanne illo nihil plane dictum fuerat (& ſane caput proxime præcedens ad hunc modum ſe habet: *De eo, quod Conſtantinus, & Irene in epiſtolâ ſuâ &c.*) Allegantur autem non ſemel ſectione I. hujuſce Joannis verba, & expreſſiſſime capite 45., & 46. ac ſtatim quidem poſt poſtremum hoc caput allegari debuiſſe ea, quæ (uti dixi) capite 9. ſectionis III. recitantur, ex eo etiam conjicimus, quod caput 46. ſectionis I. reſpondet capiti 10. libri I. Carolini: caput vero 9. ſectionis III. reſpondet capiti XI. ejuſdem libri, adeo ut ſit velut continuatum, & prorſus affine utriuſque capitis argumentum. Rurſus capite 4. ſectionis III. hæc habentur: *De eo, quod idem Joannes non recte dixit &c.* nihil tamen

(*) Sane actio. IV. allegatur: quû tamen ea, quæ de miſſa ad Abgarum imagine dicuntur, actione 5. pag. 1030., & 1583. habeantur. Actione porro IV. extant ea, quæ de Polemonis imagine tradit Nyſſenus.

tamen proxime ante de eodem Joanne fuerat pronunciatum. Collocandum itaque eſt caput illud poſt caput 16. ſectionis III. quod ad hunc modum ſe habet: *Falſiſſimum, & omni ridiculo dignum dictum Joannis presbyteri, &c.* nam caput iſtud primo ponitur loco in libro 4. Operis Carolini: caput vero illud, quod nuper dixi (ideſt 16. ſectionis III.) eſt ſecundum libri IV. ejuſdem Operis.

XII. Quid? quod, poſtquam videbatur capite 21. ſectionis III. finis huic tractationi, ideoque epiſtolæ Hadriani, impoſitus: (etenim capiti titulus præponitur: *In fine libri*:) reſumitur tractatio, aliaque adjiciuntur capita, quæ ſumpta dicuntur ex *Actione Quarta*.

XIII. Alia etiam hujus generis facile Lector inveniet, ſi diligenter epiſtolam eam evolvet. (*g*) Sed hæc indicavi, ut innoteſcat, quàm lacera, & miſere fœdata ad nos epiſtola illa, docta ſane, ac quantum ea ferebant tempora, expolita pervenerit. Ceterum ad cunctas Caroli difficultates reſponſum fuiſse ab Hadriano, eruimus tum ex iis, quæ nuper allegavi Hadriani verbis: *Per unumquodque capitulum reſponſum reddidimus*: tum etiam ex notiſſimo Pariſienſis Synodi teſtimonio: *Per ſingula Capitula in illorum excuſationem, reſpondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus eſt*. (*)

XIV. His conſtitutis (quibus quidem ad ea reſpondetur, quæ ſecundo, & tertio loco objiciuntur) (*) illud denique eſt diſſolvendum, quod repetunt ex eo quod quædam in Adriani epiſtola continentur, quæ in Carolino Opere minime occurrunt, atque illud in primis: *Ultimum Capitulum eſt &c.* Cui quidē objectioni hanc adhibe ſolutionem. Non levis inſtituitur diſceptatio, num verba ea, quæ ex capite XXV. tertiæ partis epiſtolæ Hadriani allata ſunt, a libris Carolinis abeſſe debeant, an non. Novi equidem putare nonnullos, capite illo deſtitui Carolinos libros: Sed ii ſane non errant, qui hoc ipſum caput in Carolinis libris olim extitiſse monent. Nimirum Hadrianus, qui parce, ut plurimum reſpondet ad ea, quæ Carolus propoſuerat, palam, & expreſſiſſime ait, hoc caput extitiſſe in libro, quem ad ſe Carolus miſerat, ideoque in eo volumine, de quo agimus. Affero ſtatim ipſa Hadriani verba. (*b*) *Hoc ſacrum, &* ve-

(*g*) ea quæ §. 18. capitis XI. attuli. Ea quoque, quæ occurrunt capite 36. ſect. I. procul dubio interpolata, & depravata videntur. Id dudum ante nos agnovit & faſſus eſt Surius, qui propterea alia interpretatione uſus eſt. Vide pag. 208., & 209. to. 3. editionis Concilio. a Surio elaboratæ.

(*) pag. 3. Simillima his ſunt ea, quæ pag. 1. & 2. ajunt, & ad quas quidem Lectorem delego.

(*) Vide §. 2. hujuſce capitis.

(*b*) par. tertia cap. 25.

venerandum capitulum multum diſtat a totis ſupra dictis Capitulis; & id circo eum agnovimus veſtræ a Deo ſervatæ, orthodoxæque regalis Excellentiæ eſſe proprium in eo, ubi rectæ fidei plena penitus confeſſa eſt ſenſum Sanctiſſimi Gregorii ſequi. Et quamquam in editione Surii caput iſtud deſideratur, certum eſt tamen in ſubſequentibus omnibus editionibus extare. Perſpectum enimvero fuit iis præclariſſimis Viris, qui Conciliis edendis deinceps dederunt operam, omnino ſpectare ad eandem epiſtolam iſtud, de quo agimus, caput, ſupplerique illo ac perfici id, quod cum aliis in Surii editione deerat (*i*).

XV. At neque ab editionibus omnibus librorum Carolinorum idem caput abeſt: & quamvis Golſtadus annotatione ſua (quam in Carolinorum librorum fine reperies) oſtendere ſtuduerit, aſsutum fuiſſe, additumque reliquo Operi idem caput, paucos tamen in ſuam ſententiam deduxit: quippe & ratio ipſa ſcribendi, propoſitum Caroli, ut Gregorium plane ſequeretur, (*) & codex, ex quo exſcripſiſſe ſe ait Binius idē caput, valde probabilem reddunt opinionem eorum, qui Carolinos libros eo capite concludi putant. Neque vero, ſi forte abfuiſſet a Codice illo, ex quo prima editio elaborata eſt, evinceres revera abfuiſſe ab Opere ipſo. Etenim, ut ea hic non repetam, quæ modo dixi; ut hic etiam prætercam errores reliquos, qui amanuenſiū, ut equidem arbitror, negligentiâ in Carolinos libros irrepſerunt (*), monuere jam pridem Viri docti, amanuenſium ad finem properantium, tædioque affectorum negligentiâ, non raros codices prope finem deficientes eſſe, & mutilatos. Referre hic libet, quæ Vir egregius Paulus Galeardus hoc de argumento docet. (*k*) *Merito monuit Vir doctus in notis ad Longinum editio. Salmurii pag. 385. fieri ſolere in fine omnium pene MSS. Codicum, ut pluribus mendis ſcateant, cum tædium, aut negligentia, aut nimium feſtinandi ſtudium reliqua corrumpit.* Quamquam ad demendum illud, de quo agimus, Carolinis libris caput, alia etiam cauſa amanuenſes impellere potuit. Ii nimirum, qui novam volumini huic dedere formam, adjunxereque, ad ſuam tuendam opinionem haud ſane laudabilē, capita etiam alia, & rationum momenta, poſtremum, quo claudebatur opus ad Hadrianum Pontificem miſ-

ſum

(*i*) Deſinit editio Surii capite 23. tertiæ partis ejuſdē epiſtolæ. Recole tradita in margine §. 6. hujuſce capitis.

[*] Vide caput 50. ſectionis 1. &c.

(*) Recole quæ §. 5. adnotavimus. Errores fortaſſe non paucos innuit ſæpe allegata Adriani Papæ Epiſtola: *In eadem actione* [nempe IV.] *& repertum eſt in actione* VII. (pag. 1539. ſect. 1. cap. 25. & ſæpe deinceps.) In titulo etiam capitis 5. lib. 1. deeſt vox *Neophyto* quam habes cap. 48. ſectionis 1. Epiſtolæ Adriani.

(*k*) in notis ad Sermonem XIX. S. Gaudentii pag. 221. editio. Cominianæ. Brixianæ vero pag. 359.

ſum, haud ſibi favens fortaſſe ſuſtulere: ne ſcilicet ex ipſis Caroli libris redargui poſsent, qui pertinaciter cultum imaginibus demebant, quando quidem Carolus in eo capite permittit, ut agat quiſque quod vult. *Adorare vero eas nequaquam cogimus, qui noluerint &c.*

XVI. Scio equidem non deeſſe, qui moneant, propterea caput iſtud rejici, tum quia ſcopo, quem ſibi propoſuerat Carolus, adverſatur: tum etiam quia verba quædam veluti Gregorii Magni alleget, quæ utique Gregorius non protulit: neque enim in eà, quam innuit, Gregorii ad Serenum epiſtola verba hæc adſunt: *Adorare vero eas* (imagines) *nequaquam cogimus, qui noluerint:* immo vero Gregorius imagines vetuit *adorari*. Manifeſtum vero etiam eſt illud, quod nuper eſt dictum; abeſſe ſcilicet a ſcopo, quem ſibi propoſuerat Carolus, verba illa. Enimvero hunc ſibi propoſuerat ſcopum Carolus, ut imagines coli non ſineret. Porro his verbis in poteſtate cuique relinquitur, ut colantur.

XVII. Sed minime operoſum eſt iſta diſſolvere. Minime puto tum allegare voluiſſe Carolũ Gregorii verba, ſed ſuam arbitror expoſuiſſe ſententiam, quam cohærentem eſſe cenſet Gregorii monitis. Quamquam vero Carolus in volumine a ſe edito amovere ſtuduit cultum delatum imaginibus, non omnem tamen amovet (quod deinceps oſtendam), ſed eum tantum, quem inconvenientẽ putat; id eſt vel illius generis, quod Sanctiſſimæ Trinitatis adhibemus, vel cultum qui in imagine ipſa ſiſtat, vel eum, quem periculoſum cenſet. His incommodis carentem cultũ imaginibus deferri ſinit.

CAP.

CAP. XVI.

Superioribus argumentis probationem aliam, ac conjecturas quaſdam ſane non contemnendas adjungimus: quibus adhuc oſtenditur, non cuipiam hæretico, ſed Carolo M. adſcribendos eſſe eos, de quibus agimus, libros.

I. AT aliæ adhuc ſunt adjiciendæ probationes, quibus perſuadearis, Carolo Magno tribuendos eſſe eos libros. Summo in pretio apud omnes eſt Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi auctoritas. Is porro capite viceſimo libri illius, quem contra Hincmarum Laudunenſem Epiſcopũ ſcripſit de Nicæna ſecunda a Francofordienſi (ſi tamen ea dici poteſt Synodus in Francia) rejectâ loquens, hæc ait. (a) *De cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore* (Carolo) *Romam per quoſdam Epiſcopos miſſum eſt, in cujus voluminis quarto libro hæc de* Univerſalis *nomine ſcripta ſunt*: & ſtatim exſcribit partem capitis viceſimi octavi libri quarti, quæ pars eodem prorſus modo ſe habet nunc, atque ipſe allegat, niſi quod quorundam verborum, quæ nunc in capitis fine leguntur, ſtatim profert veluti præpoſita aliis, quæ etiam adducit. Atque hoc quidem Hincmari loco ii apertiſſime refelluntur, qui a recente hæretico eos libros compoſitos putant, & Carolo Magno temere ſuppoſitos, quando quidem haud ita multo poſt a Caroli ætate libri illi allegabantur. Illos vero, qui a vetere hæretico editos ajunt, ex eo refello, quod ad vindicandam ex hoc volumine auctoritatem, explicandumque, & comprobandum, quod animo perſentit Hincmarus, illud citat; quod procul dubio minime peregiſſet, niſi ii a probatiſſimo auctore, ideoque, niſi nos probabilis conjectura decipit, vel a Carolo ipſo Magno, vel ab alio aliquo laudatiſſimo Scriptore, Caroli juſſu exarati fuiſſent libri illi. II.

(a) Biblioth. Patrum Pariſien. Tom. XVI. pag. 470.

II. Extremâ porro manum huic tractationi tribus conjecturis, fortaſſe non levibus, adjiciamus; quarũ prima in eo poſita eſt, quod quãquã poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis definiendis ad Pontificem ſpectare dicit in eâ, cujus ſæpe meminimus, epiſtolâ Hadrianus, ideoque tacite coarguit auctoritatem, quã in reprehendenda Nicæni Synodo ſumpſerant ſeu Carolus, ſeu, ipſo approbante, Galliarũ Epiſcopi neque æqui, neque legitimi hac de re judices: nunquam tamen in hujuſce voluminis auctorem diſtringit ſtylum, ſed mitiſſime cum eo agit; condemnans quidem, & refutans opus, at auctori parcens: immo comiſſimè illius legatum a ſe exceptum fuiſſe teſtatur, & humaniſſime ad eum reſcribit. (8) Itane agitur cum hæreticis a Principe damnatis, & cujus opera ad Pontificem mittuntur, ut ea condemnet, & improbet? At dic, obſecro (& en altera conjectura) unde didiciſti, ab hæretico aliquo, qui diverſus ſit a Claudio Taurinenſi, Caroli Magni temporibus adverſus Nicænã Synodum fuiſſe ſcriptum? (*) Donec illum indices, *Capitulare* illud a Carolo exaratum dicam, non ab hæretico, cujus Veteres prorſus non meminere.

(*) Claudio Taurinenſi nemo plane libros illos tribuit. Sed neque eidem Claudio tribui illi poſſunt. Recole dicta §. 2. capitis 14. Conſule etiam, quæ dicemus §. 3. capitis 17.

III. Quibus quidem conſtitutis, neceſſe non eſt, ut peculiari probatione evincas, hos libros a Caroloſtadio non eſſe confictos. Multa quidem tradidimus hacte-

---

[8] *Præterea directum a veſtra clementiſſima præcelſa regali potentia ſuſcepimus fidelem familiarem veſtrum, videlicet Engilbertum Abbatem . . . ut ideo ſicut a vobis in omni familiaritate recipitur, ita a nobis reciperetur, & condecenter honoraretur. Unde præ nimio amore, quem erga veſtram mellifluam gerimus regalem excellentiam, ſicut miſiſtis eum nimio amore dulcedinis eximia eum ſuſcipientes, pro ut voluit, & qualiter voluit, eum magna familiaritate nobis enarrantem, aure placabili, & mente benigna eum ſuſcepimus, & quaſi veſtra corporali excellentia nobis narrante, noſtrum ei patientius credidimus conſilium, ad profectum Sanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & veſtræ a Deo protectæ regalis potentiæ exaltationem. Inter quæ edidit nobis Capitulare adverſus Synodum, quæ pro Sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta eſt:* (*) & deinceps (*) *Ita ſuperius mitiſſime exaravimus &c.* Conſule etiam, quæ in fine capitis poſtremi reſpondet.

(*) in præfatione pag. 1553.
(*) cap. 47. primæ partis pag. 1573.

tenus, quibus animadverſis eam opinionem refellas; ſed hic ſummatim nonnulla attingo, quæ eodem ſpectant. Si verum id eſt, quod primus illorum librorũ editor tradidit, extitiſse ſcilicet antequam typis ederentur, in Vaticana Bibliotheca eorundem librorum vetuſtiſſimnm exemplar, in quo traderetur, illius voluminis auctorem eſſe Carolum Magnum, (cujus quidem rei vadem citavit Steuchum Eugubinum Vaticanæ Bibliothecæ præfectum) ſi verum eſt, Echium, antequã typis evulgarentur, eos conſcriptos vidiſſe, atque agnoviſſe veluti a Carolo Magno elaboratos, nullus supereſt dubio locus, num antiquiſſimi ii ſint, an non, ideoque num a recentiore hæretico ficti fuerint, an non. Utrumque porro certum eſt (*).

(*) Vide tradita cap. xiv. §. 7.

IV. Præterea ad eum, qui confictos ait libros illos, pertinet, ut confictos eſse demonſtret. At ſuſpiciones quidem tuas hic adducis, & conjecturas, valida vero argumenta minime affers. Quin etiam dic, amabo; cur vis, libros illos, ad quos fingendos immanem, & periculi plenum laborem impendere debuiſſet mali doli artifex (difficillimum eſt enim, auctores illorum ſæculorum imitari, phraſeſque, ac ſtylum diu perſequi) fuiſſe elaboratos, & Carolo Magno ſuppoſitos? An ut tam ſpecioſo nomine Catholicis illuderet? Sed cur Principi, quem pauci litteratum affirmant, opus illud adſcripſit, & non potius Alcuino, aut alteri cuipiam, qui ea ætate ſcientiarum laude floruerit? Dolus itaque, & fraus ab his libris abſunt, & Carolo Magno ſi quis eos tribuit, rectiſſime tribuit: præſertim cum ea, quæ in Carolinis libris reprehenditur opinio, ea ipſa ſit, quam Jonas Aurelianenſis, & reliqui Galli per ea tempora propoſuerunt: quorum tamen libros recentiori hæretico minime adſcribis.

CAP.

C A P. XVII.

Quid reponi ſoleat ad eas probationes, quibus innituntur ii, qui a Carolo Magno eos libros abjudicant.

I. Alia non pauca adverſus Bellarmini, aliorumque, quos jam citavi, ſententiam, conſulto prætermitto; nam ea, quæ attuli, ad eam revincendam ſatis eſſe reor, meque verto ad ea expendenda, quæ eandem ſententiam probabilem facere viſa ſunt. Sic vero, objectionum ordinem ſecutus, ea ſtatim diluo. Probum fuiſſe Carolum Magnum, fateor, ſi tu vis: neque ea de re diſputationem inſtitui cupio: minime tamen inter Sanctos ab Univerſali Eccleſia approbatos enumeratum eum reperi. (*) Maledictis utique, & conviciis viſus interdum eſt idem Carolus proſcindere Græcos Imperatores, & Epiſcopos. At memineris, eum Conſtantino Imperatori non leviter ſuccenſuiſse, quod ſe contemptum vidiſſet: quippe Conſtantinus (quod jam dixi) neglecta Caroli Magni filia, quam connubio ſe ducturum pollicitus erat, Mariam Armenam duxit. (*) Irato vero homini id ſæpe improbum apparet, quod improbum revera non eſt. Errore vero facti (ut ajunt juris periti) deceptus Epiſcopos erraſſe putavit, & ab Eccleſiæ, Majorumque ſuorum conſuetudine, & dogmate receſſiſſe. Quos vero errantes credidit, mirum non eſt, ſi dignos cenſuit qui plecterentur, acerbeque corriperentur; ne ſcilicet eorum auctoritate & apud populum exiſtimatione, is cultus, quem ſuperſtitioſum arbitrabatur, in Eccleſiā induceretur. At a falſo rumore, & multo magis a prava Græci textus interpretatione (*) illuſus erravit, eoſque damnatione dignos puta-

(*) Vide quæ adnotat Bollandus in præfatione prapoſita Vitæ Caroli M. pag. 874. to. 2. Janua.

(*) Recole tradita §. 3. annot. 7. capitis xv.

(*) pravam fuiſſe prorſus, eam, qua uſus eſt Carolus M. Nicæni II. interpretationem, ex iis, quæ ipſe allegat, palam conſtat; idque fatetur interdū Carolus ipſe, qui hæc protulit in præfat. li. 1. pag. 10. *Cujus ſcriptura textus eloquentia, ſenſuque carens ad nos uſque pervenit &c.* Et lib. 2. cap. 20. *Ita nobis per conjecturam ſenſus quærendus eſt &c.* Hinc coactus eſt Anaſtaſius Bibliothecarius eandem Synodum rurſus latinitate donare. (9)

(9) *Indecorum, & inconveniens arbitratus ſum, ſeptimam Syn-*

putavit, & dixit in ea ipſa re, in qua ſummas laudes promerebantur. An non Nicæni Patres apertiſſime, & ſæpe (a) dixerant, eum cultum, quem imaginibus deferebant, remotiſſimum ab eo eſſe, quem Chriſtiani omnes Trinitati Sanctiſſimæ deferunt: nam hic latria eſt, & abſolutus; is vero, qui imaginibus defertur, honorificus tantum, & relativus? Tamen Carolinorum librorum auctor (b), Conſtantini Conſtantiæ Cypri Epiſcopi verba allegat, in quibus inducitur docens, eundem prorſus a ſe honorem imaginibus adhiberi, qui Trinitati adhibetur. *Suſcipio, & amplector honorabiliter ſanctas, & venerandas imagines ſecundum ſervitium adorationis, quod conſubſtantiali, & vivificatrici Trinitati emitto*: Cum tamen idem Conſtantinus hæc expreſſiſſime dixiſſet: (c) *His conſentio, & concors efficior, ſuſcipiens & amplectens honorabiliter ſanctas & venerabiles imagines: atque adorationem, quæ per latriam, [ideſt Deo debitam ſervitutem] efficitur, ſoli ſuperſubſtantiali, & vivificæ Trinitati impendo*. Vide etiam quæ ad hanc objectionem peculiariter reſpondet Hadrianus (d). Et licet ſæpiſſime Nicæni Patres teſtati fuerint, adorationem ſe pro exteriori tantummodo honorificentiæ argumento ſumere (*non latria, ſed habitudine*), ipſe tamen Carolus adorationẽ ſumit pro interiori cultu etiam ſummo, eumque propterea errorem reprehendit, & damnat, quem iidem Patres reprehendunt, & damnant. At venia (quod modo etiam diximus) dandi decepto eſt, illique indulgendum, ſi errorem ineſſe putans, ubi non eſt, in errorem ſævit, & impetũ facit, eoſque condemnat, quos erroris reos putat.

II. Eandem ob cauſam excuſatum volo, quod Nicænos Patres de iis accuſet, a quibus plerumque remotiſſimi ii ſunt. Peſſimus nempe, & indoctus interpres, quo ille utebatur, & cui, fateor, nimium fide-

Synodum . . . . non habere Latinos . . . non quod ante nos minime fuerit interpretata; ſed quod interpres pene per ſingula relicto utriuſque linguæ idiomate, adeo fuerit verbum e verbo ſecutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix, aut nunquam poſſit adverti, in faſtidiumque verſa legentium pene ab omnibus hæc pro cauſa contemnatur. Unde a quibuſdam nec ipſa lectione, ut non dicam tranſcriptione, digna penitus judicatur (*).

(a) Vide inter cetera definitionẽ, quã alibi etiam allegavimus.

(b) capite 17. libri tertii.

(c) Actione 3. tomo 8. Concil. pag. 835.

(d) capite nono partis ſecundæ epiſtolæ ſuæ apologeticæ pag. 1582.

(*) in præfatione præpoſita ſeptimo Concilio Generali. pag. 673. tom. 8. Conc.

ſidebat, eum in errorem induxit, compulitque eas opiniones adſcribere Nicænis Patribus, quas ipſi damnaverant. Porro ea perſuaſione impeditus, ad probum ſenſum in verbis, phraſibuſque non omnino perſpicuis, deliteſcentem, animum non advertit, ſed ad improbum ſæpe deduxit. Sed quis probum ſenſum perquiret in ſcriptis illorum, quos turpi errore correptos putat? *Dixi plerumque ab iis erroribus remotiſſimos fuiſſe Nicænos Patres, de quibus eos accuſaverat Carolus:* nam certe haud immunes fuere ab iis omnibus, de quibus accuſabantur, & in quibus procul dubio non excuſat eos Hadrianus. Hoc modo Taraſius redarguitur, quod adverſus ſacros canones repente ex laico factus ſit Conſtantinopolitanus Patriarcha: (*) id tamen a veritate non aberat. Et ad primum argumentorum genus dicta ſint hactenus. (*) Me verto ad II. id eſt ad conſuetudinem, quæ Carolo inerat, ut Iconomachos exagitaret. (*)

III. Claudium Taurinenſem (*) apertiſſimum Iconomachum ſi odit Carolus, id egit, quod Galli omnes Epiſcopi egerunt. Hoc autem diſcrimen intereſt inter Claudii Taurinenſis, & Caroli ſententiam, quod Claudius interceſſionem Sanctorum, cultumque iis adhibitũ, ideoque peregrinationes irridebat; quin & ab imaginibus ſacris & Crucibus abhorrebat. At horum librorum auctor Sanctorum interceſſionem agnoſcit, cultum iis adhibitum minime improbat, Cruces colendas, Sanctorumque imagines cum honore in templis etiam ſervandas ait: (e) *Doctoris gentium prædicatione admoniti, qui nos viam regiam tenere inſtituit, imagines in ornamentis Eccleſiarum, & memoria rerum geſtarum habentes, & ſolum Deum adorantes, & ejus Sanctis opportunam venerationem exhibentes, nec cum illis frangimus, nec cum iſtis adoramus.* Nec relativum cultum imaginibus delatum omnino improbat Carolus, ſed tantum ſuſpicatur eum eſſe plebi periculoſum: (f) Levene id tibi videtur eſſe diſcrimen, ut propterea a Claudio Taurinenſi, ejuſque anteceſſoribus, aut aſſeclis Carolum non ſejungas?

IV. Ad Conciliũ Romanũ, Stephano III., ſeu, ſi appellare ita vis, IV. celebratũ legatos, fateor, miſit Carolus, ſed non ſolus miſit, ſed eos etiam miſit Carolus Man-

M 2 nus

(*) li. *Caroli.* I. 5. & rurſus III. 2. & Adriani epiſ. par. 1. ca. 48. pag. 1573.

(*) cap. 13. §. 4.

(*) Ibidem §. 5.

(*) ſuum tamen errorem præſertim prodidit Claudius imperante Ludovico Pio. Vide Dungali præfationem pag. 153. par. 2. tomi XV. Biblio. Pat. Pariſ. An quia Carolum hoſtem metuebat (quod ego cenſeo, & indicat Jonas 1. *de cultu imagi.*) an vero quod nondum malitiam compleverat ſuam? judicium alienum fuerit.

(e) in præfatione libri primi pag. 12.

(f) *Nam etſi a doctis quibuſque vitari poſſit . . . indoctis tamen quibuſque ſcandalum generant, qui nihil aliud in his præter id, quod vident, venerantur, & adorant &c.* lib. 3. cap. 16.

nus, Carolo, qui poſtea dictus eſt Magnus, ætate major; quem quidem Carolum Mannum ſi inclinatiorem in ſacrarum imaginum cultum dixeris, id ſane dices, quod probabile viſum eſt multis. In hoc quidem Concilio ſacrarum imaginum cultus traditus, inculcatuſque eſt; at memineris volo, non admodum multas in eo Concilio partes habuiſſe Gallos Epiſcopos, ſed potiſſimas habuiſſe Romanum Pontificem, tum Epiſcopos Italos, ſane non paucos. Quam ob rem mirum non eſt, ſi imaginum cultui ea Synodus faverit, cum Italiæ, & Romanæ Eccleſiæ traditio (quod ſæpe repetit Hadrianus) pro eodem cultu jugiter ſteterit. Sed nondum ea ætate Galliæ Epiſcopi, Proceresque adverſus Græcos concitati erant; neque ab imperito interprete perſuaſum illis erat, Græcos in Eccleſiam inducere voluiſſe illaudabilem, ſuperſtitioſumque imaginum cultum.

V. De Gentiliacenſi Synodo haud ita pridem, quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, diſputavi. (*) Jam dicta hic recolat Lector. Tertium aggredior. (*)

VI. Quænam, qualiſque fuerit Caroli Magni inſcribendo peritia, diſputatur a Criticis. (*) At Caroli eruditionem, & eloquentiam extolle, quantum libet. Indubitatum eſt porro, in græca lingua non fuiſſe exercitatiſſimum (*g*), aut ſaltem græca ipſa exemplaria non habuiſſe, ideoque nimiam in interprete haud valde docto fiduciam collocaſſe, ex qua re provenit, ut de ipſius Synodi ſcriptione hæc protulerit: (*h*) *Cujus ſcripturæ textus eloquentia, ſenſuque carens ad nos uſque pervenit*; & ſenſum plane oppoſitum illi, quem verba ipſa græca habent, & certe alieniſſimum, remotiſſimumque, Nicænæ Synodo non raro adſcribat: qua de re recole quæ jam diximus. (*) At ſi Græcam linguam ignoravit Carolus, eum in latina imperitum haud puto (*): & is ſane, qui latinitatem librorum illorum vituperat, animum minime intendit ad eam ſcribendi rationem, quæ iis temporibus inoleverat; quam ſane qui expendet, & cum ea comparabit, quã proſecutus eſt Carolinorum librorum auctor, haud indiſertum ſcriptorem eum dicet.

VII. Tamen id etiam, quod hac in parte eidem Scriptori deerat, multigenã, eãque non vulgari

(*) cap. 11. §. 4. & 5.

(*) §. 6. capitis XIII.

(*) Profecto Sirmondus (annot. a in eleg. 2. libri III. Theodulphi pag. 797. to. 2. edit. Ven.) Epitaphium a Carolo M. poſitum Hadriano, ab Alcuino ſcriptum ait. Alii etiã alia Carolo M. adſcripta opuſcula, Viris doctis per id tempus florentibus tribuunt.

(*g*) *Latinam* (linguam) *ita didicit, ut æque illa, ac patria lingua orare ſit ſolitus: græcam vero melius intelligere, quàm pronuntiare poterat*. [Eginhardus cap. 7. n. 30. Vitæ Caroli M.

(*h*) in præfatione libri primi pag. 10.

(*) §. 1.

(*) Recole nuper allegata Eginhardi verba.

ri eruditione compenſabatur. Rhetorum, Logicorum, aliiſque etiam laudatiſſimis diſciplinis exercitatum dignoſces eum, qui hos libros edidit. Quod ſi interdũ anſam capit, ut quæ didicerat, prodat; id in aliis, eorum præſertim temporum, Scriptoribus haud rarum eſt: immo ſi Caſſiodorum, qui duobus, & amplius ſæculis Carolum ætate præceſſit, pervolves, multo ſtudioſiorem Carolo eum comperies, ut ex multigenæ eruditionis apparatu quodam, & pompa ſibi comparet laudem. Tametſi ergo Geographiæ inſcium facias, non continuo eum imperitum, & ſcitulum fuiſſe evinces. At num in duos illos errores inciderit, de quibus eum accuſas, dubitari fortaſſe poterit. Nicæam enimvero jure, meritoque in Græcia collocat. Græciam ſcilicet, ſeu, ut ipſe appellat, Græciæ partes (*in partibus Græciæ*) latiſſime ſumit: id eſt quatenus his vocabulis ſignificantur Provinciæ Orientali, Græcoque imperio ſubditæ; ſeu, ſi vis, quatenus excluduntur provinciæ Romano patriarchatui ſubjectæ, quæque Latinam Eccleſiam conſtituunt. Et ſane minime ignorabat Carolus, in Bithynia collocandam eſſe Nicæam: nam apertiſſime in ea provincia collocat, dum hæc effatur: (*i*) *Sicut & eam, quæ propter adorandarum imaginum impudentiſſimam traditionem in Bithyniæ partibus geſta eſt, Synodum &c.* Supereſt itaque, ut in altero tantum erraverit, collocans ſcilicet in Bithyniæ partibus Conſtantinopolim, quæ Thracia comprehendebatur.

VIII. Audivi, fateor, qui hunc ipſum errorem a Carolo ſtuderet avertere, monens tum fortaſſe in Bithynia collocatam fuiſſe Conſtantinopolim: ſæpe enim præfecturæ, & præfecturarum jura, ideoque provinciarum partitiones mutantur, & fit, ut Urbes præfecturis ſubjectæ modo in unâ, modo in alterâ provincia recenſeantur. Quam ob rem cum hæc ſcriberet Carolus, facile potuit non ad Thraciam, ſed ad Bithyniam pertinere Conſtantinopolis. Sed quoniam hæc divinando proponunt, malo fateri, hac in re erraſſe Carolum, quàm ad ſolutiones alias confugere, præſertim quum haud raro Viri etiam Optimi in eos errores inciderint, quos Geographi noſtrorum temporum utique non tolerarent. (*k*)

(*i*) in præfatio. libri 1. pag. 10.

(*k*) Vide quæ de erroribus hujus generis, in quos egregii etiam viri inciderunt, diſputat Huetius diſſertatione XI. To: II. pag. 36. editionis floren. Adde, ſi vis, ea, quæ Joan. Clericus in Ar. Criti. p: 1. cap. 1. §. 1. & par. 3. ſect. 3. cap. 2. §. 8. 9. &c. hac de re tradit.

IX.

IX. Atqui grandem metum incuſſit multis, quod ex ignoratis ipſis (uti appellant) Theologiæ fontibus, Sanctis nempe Patribus, deſumitur. (*) Cui quidem difficultati ſic occurro. In ſcientiarum ſtudiis valde verſatum (quemadmodum dixi (*)) Carolinorum librorum Scriptorem eſſe novi, adeo ut eos errare putem, qui illum veluti imperitum, indoctumque deſpiciunt. At qui Caroli Magni ætate Græcam linguam, Græcoſque auctores, ac Patres colerent, non admodum multi inter latinos extitere. Per ea ſcilicet tempora plerique putabant, extare in latinis Patribus, aut certe in Græcis in latinum verſis, quidquid ad vetuſtam traditionem inveſtigandam opus erat; (l) neque neceſſe eſſe, ut græca ipſa opera conſulerentur. Si quid ergo non translatum fuiſſet ex græco, aut ab antiquis non allegatum, non admodum notum erat, neque multũ requirebatur ab iis, qui in ea opinione detinebantur: in qua quidẽ erat Carolinorum librorum ſcriptor, qui animoſitate quadam, ſane illaudabili, ea, quæ ignoravit, contempſit. Ab hac tamen opinione abhorruit Hadrianus Pontifex, qui merito allegatos fuiſſe oſtendit a Nicænis Patribus eos, quos Carolus viſus eſt neglexiſſe. Conſule obſecro, quæ idem Hadrianus ad Carolum reponit. (m)

X. Venio nunc ad conjecturas, quarum prima haud difficilem habet explicatum. Amicitia conjunctiſſimos fuiſſe fateor Carolum Magnum, & Hadrianum; (*) at rarũ minime eſt, ut inter amicos ſententiæ ſint variæ. Neque vero, tam etſi paulo alienior hac in re a Romanæ Eccleſiæ ritibus, & conſuetudine fuerit Carolus Magnus, id diſrumpere veterem cum Hadriano neceſſitudinem potuit: quando quidem Carolus Magnus, quidquid in Græcorum more dignum reprehenſione cenſebat, aperte, & ſumma cum animi demiſſione Hadriano detexit, ab eo optatiſſimam Græcorum rituum damnationem expoſcens. Hadrianus autem, tam etſi ſedulo, mitiſſime tamen Caroli voluntati obſtitit, & præcipua fundamenta perſuaſionis, qua ille detinebatur, evulſit. Summa vero cum prudentia id egit Hadrianus: quis enim cordatus Vir ſecus cum eo ageret, qui præter antiqua in Apoſtolicam ſedem collata beneficia, plurimum

(*) *Dum Theologus apparere vult* &c. cap. 13. §. 6.

(*) recole dicta §. 7.

(l) Putavere ſcilicet, Latinis Patribus Græcos Patres obſiſtere minime poſſe: quippe *ſuper unam Petram* tam Latini, quam Græci fundati erant, omneſque ab Apoſtolis eodem ſpiritu imbutis inſtructi.

(m) ſect. 2. cap. 11.

(*) Vide, ut cetera prætermittam, quæ tradunt Anaſtaſius (*in vita Hadriani* ſect. 296. 310. 314. 315., & ſeq.) Eginardus (n. 6. Vitæ Caroli M.) Baronius ad an. 795. §. 2. &c. Denique Adrianus ipſe in epiſtolis ad eundem Carolum datis: de quibus conſule pag. 521. & ſeq. to. 8. Conci. adeo ut privilegia non pauca, Sanctorum corpora, marmora quoque, & vetuſta muſiva ipſi indulgeret: (pag. 533. 539. &c. to. 8. Conci.)

mum ab Iconomachorum errore diſtabat; qui ſi Græcos Antiſtites reprehendebat, a peſſimo interprete deceptus reprehendebat, & quidquid adverſus eos ſcripſerat, Romano Pontifici ſubmiſit? Ad hæc reſpiciens Hadrianus, libros non leviter refutans, pepercit auctori, quem jugiter dilexit, ſummaque habuit in exiſtimatione.

XII. In poſtremo non multa vis ineſt. Egregii præclariſſimorum auctorum libri diu latuerunt, latentque non modica ex parte etiam nunc: interdum etiã pauci eos citarunt. Tamen Carolinorum librorum meminere ii vetuſti Scriptores, quorum teſtimonia cum jam attulerimus, hic repetere non eſt neceſſe. Tillius autem, ſeu alius, quiſquis eos edidit, neque locũ, neque tempus, quo typis evulgarentur, manifeſta eſſe voluit, ut offenſionem effugeret, quam ex iis libris in lucem prolatis metuebat.

CAP. XVIII.

Cur Carolini *dicantur hi libri.*

I. QUoniam potiſſimam, quæ de *Carolinis libris* inſtituitur, quæſtionis partẽ tranſegimus, reliquas aggrediamur, atque illam in primis, quam ſibi vindicat ratio, ob quam hi, de quibus agimus, libri *Carolini* dicantur. Porro non levem hujuſce diſputationis partem exſecuti ſumus, quum probavimus (probavimus autem) non ab hæretico, ſed a Carolo Magno fuiſſe editos hoſce libros. At reſtat altera: ſcilicet an ex eo quod eos ipſe compoſuerit, an quia ab aliis compoſitos evulgaverit, *Carolini* appellati ſint hi libri. Qui putant, ideo eorum

dici

dici auctorem, quod ipſe compoſuerit, ſic diſputant. Quis auctorem libri alicujus eum dicet, qui ab alio conſcriptum approbat, & evulgat? Porro omnes Veteres, quos jam citavimus, horum librorum auctorem eſſe ajunt Carolum Magnum, a quo *Carolini* vocati ſint; eos itaque ipſe compoſuit. Et ſane ſi ea teſtimonia expendas, quæ capite 14. protulimus, manifeſto intelliges, Carolū ipſum aſſerere, eos libros a ſe fuiſſe exaratos: Sibi enim eoſdem tribuit ille, ideoque gloriæ ex eo labore partæ neminem conſortem vult: tantum ab Epiſcopis id ſibi permiſſum, aut, ſi vis, id approbatum fuiſſe tradit. (*a*) Carolo etiam veluti auctori tribuere videntur Epiſcopi in Concilio Pariſienſi, Ludovico Pio imperante, coacti: cum enim per ſe reprehendiſſe ajunt, adeoque refutaſſe quædam Nicæni ſecundi capitula. (*b*)

II. Non inſcite, fateor, qui ita diſputant, concludere videntur. Verum his obſiſtunt alii, qui hæc proferunt. De eo Caroli opere ſilet prorſus Eginhartus vitæ Caroli Magni ſcriptor, illud non omiſſurus, ſi re vera conſcripſiſſet. Minus etiam aptus ad id elaborandum fuit hic Princeps, ut militiæ tantummodo, & armis deditus. Quid? quod expreſſe nos docet idem ille Eginhartus, cujus nuper memini, Carolinos libros minime omnium fuiſſe a Carolo compoſitos, cum expreſſe nos docet, pertentatum fuiſſe quidem ab eo Principe litterarium aliquod Opus; at cum perſpiceret ſibi minus feliciter illud evenire, conſilium abjeciſſe, & a ſuſcepto opere abſtinuiſſe. (*c*) Ad hæc: a pluribus elaborati fuiſſe videntur libri illi: etenim ſæpius retractatur idem argumentum; probationes autem eædem, aut certe affines rurſus afferuntur, & aliter eos libros allegat Hadrianus, aliter Hincmarus. Denique in eo opere non ſecum omnia concordant. Sic capite XXII. libri ſecundi eos tacite redarguit, qui ad excitandam prototypi memoriam imagines ſervant [10]; tamen capite XIV.

(*a*) *quod opus aggreſſi ſumus cum conniventia Sacerdotum &c.*

(*b*) *cum Sancta memoria genitor veſter coram ſe, ſuiſque perlegi feciſſet, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendiſſet, & quædam Capitula, quæ reprehenſioni patebāt, prænotaſſet &c.*

(*c*) *Tētabat* (Carolus) *& ſcribere, & tabulas, codicilloſque ad hoc in lectulo ſub Cervicalibus circūferre ſolebat, ut cum vacuum tempus eſſet, manum effingendis litteris adſueſaceret: ſed parum proſpere ſucceſſit labor præpoſterus, ac ſero inchoatus .....* (n. 30. alias cap. 7.)

[10] En titulus capitis. *Quod non bonam habent memoriam, qui*

XVI. libri tertii *ad memoriam rerum geſtarum, & venuſtatem parietum Sanctos haberi permittit.* Quod ſi non ab uno, ſed a pluribus compoſitum eſt volumen illud, procul dubio verum, ſolumque auctorem non habet Carolum, ſed ad ſummum adjutorem, promotoremque.

III. Sed quamquam hæc, quæ allata ſunt, valde probari poſsunt, non omnibus tamen probantur. Et ii ſane, qui primæ ſententiæ adhærent, putantque, a Carolo libros fuiſſe compoſitos, ſingillatim ad illa in hunc modum reſpondent. Quis ignorat, quàm infirmas habeat vires argumentum illud, quod *negativum* dicimus, [*d*] ideoque omiſſio, & ſilentium Scriptoris? eo vel maxime quia id, quod ſilet Eginhartus, tradunt alii: quorum verba cum allata jam ſint, (*) hic repetere non eſt neceſſe. Ceterum propterea fortaſſe de his libris ſilet Eginhartus, quia tametſi in iis cudendis potiſſimas, præcipuaſque partes habuerit Carolus, (is enim & voce propoſuit, & ſcriptis expoſuit difficultates adverſus Nicænos Patres excogitatas: quod ſatis eſt, ut eum horum librorũ verum agnoſcas, & fatearis auctorẽ) non unus tamen in iis ſe exercuit, ſed plures ſe exercuerunt: quod ſane conſtat ex iis, quæ nuper allegata ſunt: *Cum conhibentia Sacerdotum. Cum coram ſe, ſuiſque perlegi feciſſet &c.* Quæ quidem verba haud obſcure indicant, difficultates a Carolo fuiſſe propoſitas, & fortaſſe etiam ſcripto exaratas: at quod eo diſpoſuerit ordine, quo nunc habemus, manifeſto non docent, neque nos id fateri compellimur. Tametſi (niſi mentiri volumus & Carolum ipſum, & Pariſienſes Patres) fateri compellimur, talem in eo opere laborem a Carolo fuiſſe inſumptum, ut ipſi, veluti auctori adſcribi debeat.

(*d*) diſ. IX. cap. 33. §. 2.

(*) Conſule tradita cap. 14. & 15.

IV. Quod vero arma, & militaris exercitatio mini-

---

qui, ut non obliviſcantur Sanctorum, vel certe ipſius Domini, id circo imagines erigunt. In capite autem ipſo multa afferuntur, quæ ſummam eam utilitatem, quam ex imaginum conſpectu ſe percipere Catholici ajunt, ita attenuant, ut neceſſitatem earum retinendarum nullam eſſe pronuncient, utilitatem vero non admodum multam.

nime cohibuerint Carolum Magnum, ne impenſe incumberet literis, ex probatis monumentis diſcimus. Vide quæ numero ſexto capitis ſuperioris (e) diximus.

(e) ideſt XVII.

V. Sic tertium ſolve. Quis te cogit, ut ad eum, quo explicas, modum, verba illa interpreteris, cum æque appoſitus, commoduſque eorum verborum ſenſus extet, ſi ita explices: Tentabat Carolus literas, ſeu grammata affabre, graphiceque, atque eleganter deſcribere, fortaſſe etiam minio, & pictura exornare, *ſed parum proſpere ſucceſſit labor &c.*?

VI. A pluribus in iis libris perficiendis labores fuiſſe inſumptos, quamvis valde probabile ſit, neque id eorum ſententiæ adverſetur, qui à Carolo Magno eos libros compoſitos putant: (ſatis enim illis eſt, ut potiſſimam, & principem partem in iis habuerit Carolus, qui adjutores multos deinceps habuit operis ſui) id tamen iis probationibus non evincitur, quas tu attuliſti. Idem argumentum ſæpius, fateor, retractatur: ſed ſi diligenter inſpexeris, & materiam, & probationes variari agnoſces, ſic ut ab eodem auctore de eodem argumento ſæpius differente, illudque variis modis inculcante, elaborari potuerint libri illi. Quod ſi aliter Hadrianus, aliter Hincmarus eos citat, habemuſque nunc alio ordine diſpoſitos, atque alleget Hadrianus, vel in peſſimum amanuenſem epiſtolæ Adriani id refer, vel ex eo fortaſſe provenit, quod volumini a Carolo compoſito, evulgatoque, & ad Hadrianum miſſo, alius deinceps illi tributus ſit a poſterioribus amanuenſibus ordo, atque antea tributus eſſet. (f) Neque id mirum eſt: norunt enim, qui codices ſæpe pervolvunt, quanta eorum varietas ſit; quin etiam antiquorum Patrum Opera, dum a proxime ſequentibus, aut etiam a contemporaneis Doctoribus citantur, ſæpe aliâ capitum, immo etiam titulorum, & librorum diverſitate citantur, ac nunc habemus. Sed age: unde ſcis, an Carolus ipſe, dum refutatos vidit eos libros ab Hadriano, ut ſententiam tueretur ſuam, ſicut probationibus aliis locupletavit, ita etiam comodiorem illis tribuerit formam, & ordinem, an vero ab aliis, Carolum proxime ſecutis, peractum id ſit?

(f) Vide ſ. 5. & 6. capitis XV.

VII.

VII. Quamquam vero prima fronte aliqua in hiſce libris apparet contradictio, ſi diligentius tamen cuncta perſpexeris, ea cohærere videbis. Quid quod crebro accidit, ut in eodem libro, tametſi ab uno auctore compoſitus is ſit, non omnia concordent, nec prioribus poſteriora conveniant? Sic ii diſſerunt, propoſitaſque difficultates diſſolvunt, qui putant a Carolo Magno revera libros illos fuiſſe confectos. At ii, quibus opinio hæc minime arridet, argumenta illa, quæ ſatis nuper attigimus, inſtaurant, ſolutioneſque ſolutionibus opponunt, in quibus ii diutius immorentur, quibus per otium licet. Mihi ſatis fuit utriuſque partis præcipua fundamenta attuliſſe.

CAP. XIX.

Ea probationum capita adducimus, quibus moventur ii, qui putant, ab imaginum cultu omnino abborruiſſe Carolum Magnum, ſi is Carolinorum librorum eſt auctor.

I. NOſtræ modo ſunt partes, potiorem hujuſce controverſiæ partem diſſolvere, examinareque, num prorſus Sacrarum Imaginum cultum reprehenderit Carolus Magnus, ſi is Carolinorum librorum eſt auctor, adeo ut non modo inconvenientem, ſed quemlibet repudiaverit cultum. Id affirmate, aſſeverateque tradunt Lutherani, & Calviniſtæ omnes, quibus hac in parte faviſſe viſi ſunt ii Doctores Catholici, qui non a Carolo Magno, ſed ab hæretico quopiam compoſitos putarunt eos libros: plerique tamen e noſtris negant. Sic primi diſſerunt. Redarguit ſæpe, & vehementer reprehendit Carolus eos, qui imagines colunt, & in eis ſpem ponunt, cum ſolus Deus

coli, adorarique poſſit. Pauca ex plurimis, quæ facile eos libros legenti occurrent, teſtimonia ſeligimus. Capite XXI. libri 2. hæc eloquitur. „ Unde cavendum
„ illis eſt & modis omnibus pertimeſcendum, ne dum
„ Imaginum cultum & adorationem, Chriſtianæ religio-
„ ni ingerere nituntur, ſingularem unius Dei cultum
„ & adorationem fruſtrari videantur. . . . . .
„ Ac per hoc, ſi Religionis Chriſtianæ arx ſive mu-
„ nimen & glorioſum inſigne unius Dei cultus & ado-
„ ratio eſt; immo quia hanc imaginibus, vel qui-
„ bus libet rebus exhibere, contra Religionem Chri-
„ ſtianam eſt; & ſi has non adorare, ſeu colere, con-
„ tra Religionem Chriſtianam eſt, ut illi delirant;
„ ſolum Deum adorare, ſeu colere, ejuſque cultus &
„ adorationis arcem, ſingularem eſſe fateri, contra Reli-
„ gionem Chriſtianam erit. Solus igitur Deus colen-
„ dus, ſolus adorandus, ſolus glorificandus eſt. „
Rurſus in hanc ſententiam cap. 27. libri 4. hæc ait: „ Fal-
„ luntur vere, & merito falluntur, qui cum Deus Crea-
„ tor omnium, ſe ſolum adorari cenſuerit, res quaſdã
„ ſenſu carentes adorare nituntur: & dum putant, ſe
„ in imaginibus adorandis quamdam Sanctis exhibere
„ venerationem, ſoli divinæ adorationi quandam pro-
„ rogant communionem. Quia igitur ſolus Deus ado-
„ randus ſit, Martyres vero vel quilibet Sancti vene-
„ randi potius ſint, quàm adorandi, & in hoc opere
„ jam diximus, & egregii Doctoris Hieronymi docu-
„ mentis adprobandum eſt, qui dum contra Vigilan-
„ tium quemdam hæreticum, qui Martyrum reliquias
„ nequaquam dicebat eſſe venerandas, ſcriberet, in-
„ ter cetera ait: *Quis unquam, o inſanum caput, Mar-*
„ *tyres adoravit?* Si ergo, ſecundum ejuſdem ſenten-
„ tiam, Martyres non adorantur, multo minus eorum
„ imagines a fidelibus adorandæ ſunt. „

II. Audiendus eſt etiam, dum capite 16. libri tertii idem dogma inculcat, illoſque irridet, qui ſpem ſuam in imaginibus ponunt. En quæ docet ille. „ Nam dum
„ nos nihil in imaginibus ſpernamus præter adoratio-
„ nem, quippe qui in Baſilicis Sanctorum imagines
„ non ad adorandum, ſed ad memoriam rerum geſta-
„ rum, & venuſtatem parietum habere permittimus;
„ illi vero pene omnem ſuæ credulitatis ſpem in ima-
„ ginibus conlocent, reſtat, ut nos Sanctos in eorum
„ cor-

„ corporibus, vel potius reliquiis corporum, ſeu etiam „ veſtimentis veneremur, juxta antiquorum Patrum „ traditionem; illi vero parietes & tabulas adoran„ tes, in eo ſe arbitrentur magnum fidei habere emo„ lumentum &c. „ His ea concordant, quæ cap. 18. ejuſdem libri tradit. „ Cum ergo (inquiens) „ iſti pene omnem auxilii ſui ſpem in imaginibus defi„ gant, non mediocriter a ſancta, & univerſali diſſen„ tiunt Eccleſia, quæ ſpem auxilii ſui non in picturæ „ fucis, non in manufactis artificum operibus, ſed in „ Deo omnium Creatore defigit, quæ habet adjutores „ Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, qui pro ea quoti„ die Dominum interpellant &c. „.

III. Sed nec omittendum illud eſt, quod cap. 28. libri 1. in idem argumentum dixerat. En illa. „ Spes eo„ rum, qui ſalutem ſuam in imaginibus ponunt, ab Apo„ ſtolo reprobatur, qui ſpem non in his quæ videntur, „ ſed in his quæ non videntur, eſſe differit... Jam ve„ ro quia ſe imaginum inſpectione ſalvandos credunt, „ ſicut ſerpentis inſpectione Iſraeliticus populus a ſer„ pentium morſibus ſanabatur, ſi qua forte eis quæ„ dam corporis inclementia acceſſerit, recurrant ad „ imagines, eaſque aſpiciant, quatenus, dum illarum „ inſpectione minime ſanati fuerint, revertantur ad „ Dominum, & per Sanctorum interceſſiones ab eo „ ſanitatem ſe accepturos credant, qui totius ſanitatis, „ & vitæ eſt auctor. „ Affinia tradiderat, ſed multo brevius in præfatione toti Operi præpoſita.

IV. Apertiſſime itaque Sanctarum Imaginum utilitatem atque uſum coarctat ad memoriam rerum geſtarum, & venuſtatem parietum, ideoque eaſdem imagines adorari, colique omnino non ſinit, (a) ſeque proinde Gregorii Magni (b) exempla ſequi ait, qui nec frangi, nec coli voluit Imagines, ſed ad eruditionem intuentium ſervari. Et propterea tantum in Eccleſia antiquitus ſervatas Imagines, exemplo comprobat Apoſtolorum Petri & Pauli, quas Conſtantino Imperatori Silveſter Romanus Pontifex oſtendit quidē, ſed *ad adorandum* illi utique non propoſuit (*).

(a) Vide caput 16. libri III.
(b) Vide caput 23. libri II.
(*) lib. 2. cap. 13.

V. Hac perſuaſione impeditus, mirum non eſt, ſi Nicænorum Patrum dogmata, rituſque ab eis laudatos minus probet, moneatque & errare Nicænos, & eos omnes, qui ab eorundē Nicænorum auctoritate ſe flecti

ſinant

ſinant. Ad illaudabile prorſus, & quod ipſi reprehendant eſt opus, cultus genus deduci ait, qui illorum paruerit monitis: diſſolvit denique argumenta eorũ, & probationes. Id vero ne temere locutus exiſtimer, ipſa Caroli Magni allego verba. .. Illaudabile ſane eſt, & quod ipſi Nicæni quoque Patres abominarentur, cultus genus, quod aſello, immo quod profanæ mulieri deferatur. Porro aſellum, & profanam fœminam facile adorabit [Judice Carolo Magno] is qui ſacras imagines, Nicæni ſecundi auctoritate commotus, adorabit. Quod adorari debeat aſinus, ſi Virginis Mariæ Imago adoratur, ſic ille probat (*c*): ,, Cum ,, ergo in quolibet horum Imago Sanctæ Virginis pue- ,, rũ tenens (*) pecualis animantis tergo ſuſcepta ado- ,, ratur, numquid non ipſius animantis cum ea imago ,, adoratur? nullo enim pacto in adorando utriuſque ,, Imaginis (Virginis videlicet, ſive Animantis) quædã ,, poteſt fieri diremptio; præſertim cum unius ſint ma- ,, teriæ, unoque artificis ingenio compaginatæ; aut ,, utriuſque adoratio eſt ſpernenda, aut utræque ſunt ,, adorandæ. ,,

(*c*) cap. 21. libri 4.

(*) fortaſſe *tenentis*.

VI. Quod autem profana etiam mulier tum adorari facile poſſit, ex eo probat quod difficillime dignoſcere poteris profanæ fœminæ effigiem a Sanctiſſimæ mulieris effigie. Dum ergo putabis te imaginem hujus colere, profanæ mulieris imaginem coles. Audi qua demum ratione id evincere is ſtudeat. ,, Eſto, imago Sanctæ ,, Dei Genetricis adoranda eſt: unde ſcire poſſumus, ,, quæ ſit ejus imago, aut quibus indiciis a cæteris ima- ,, ginibus dirimatur? quippe cum nulla in omnibus ,, differentia præter artificum experientiam, & eorum, ,, quibus operentur, opificia, materiarumque qualita- ,, tem inveniatur. Cum ergo depictam pulchram quan- ,, dam fœminam puerum in ulnis tenere cernimus, ſi ,, ſuperſcriptio nec dum facta ſit, aut quondam facta ,, caſu quodam demolita, qua induſtria diſcernere vale- ,, mus, utrum Sara ſit Iſaac tenens, aut Rebecca Ja- ,, cob ferens, aut Betſabee Salomonem jactans, aut ,, Eliſabeth Joannem bajulans, aut quælibet mulier ,, parvulum ſuum tenens? . . . . Si pro aliâ adora- ,, tur, dementia eſt; ſi tamen ea, quæ adoranda penitus ,, non eſt, adoratur, veſania eſt, quod utrumque ca- ,, vendum eſt. ,, Digna etiam ſunt quæ legantur, ea,

quæ

quæ de ſimillimis Deiparæ Virginis, & Veneris Imaginibus ex ſola ſuperſcriptione differentibus tradit cap. 16. libri 4.

VII. Ut vero ſententiam ſuam tenacius tueatur, ac firmius, ea argumenta attenuare ſtudet, quibus Nicæni Patres, iique omnes, qui Imaginum cultui favebant, innitebantur. Diſcimus ſcilicet ex Scripturis (quæ morem eum utique non reprehendunt) adoratos fuiſſe Viros aliquos [veluti Davidē a Nathano Propheta] Arcam quoque, & ex Eccleſiæ conſuetudine pariter adorari Crucem, Evangelia, vaſa ſacra, & reliquias. Ex adoratione porro rebus iſtis adhibita concludebant Nicæni Patres, laudabilē eſſe cultum Imaginibus ſacris delatum, qui cultus, cum ex Concilii præclariſſimi definitione approbatus fuerit, etiā Eccleſiaſtica definitione & decreto comprobabatur. At hæc validiſſima ſane argumenta diſſolvit, diſcrimen non leve afferens inter illa omnia, & imagines. Audite quomodo primam paritatem, (ſi paritatem vocare illam vis) evitet. (*) „ Non „ eſſe æqualem adorationem, quam Nathan Propheta „ David æquè Prophetæ, Regique Sanctiſſimo exhibuit, „ adorationi, quam quidam Imaginibus exhibent, non „ neceſſe eſt multis adprobare documentis: quoniam „ evidentiſſimis eſt adprobatum indiciis, nec noſtra „ indiget diſputatione res, quæ tam aperta, tamque „ clara elucet ratione . . . . Adoravit Nathan Pro„ pheta David Regem, non ut colorum fucis compa„ ginatam imaginem, ſed ut a Deo in Regni apice „ ſublimatā poteſtatem . . . . adoravit itaque Pro„ pheta Regem: Spiritu Sancto repletus Spiritu Sancto „ repletum, vaticinii munere fretus vaticinii munere „ fretum, meritorum inſignibus coruſcans meritorum „ inſignibus coruſcantem. Non enim in eo quamdā „ inſenſatam rem ſuperſtitioſæ vanitatis cultu adora„ vit, ſed virum inventum ſecundum cor Domini, vi„ rum ſacri unguinis liquore delibutum, virum in Dei „ laudibus ſupra omnes excitatum . . . . . Nam ſi „ æqualis eſt adoratio, quæ David a Propheta exhibita „ eſt, adorationi, quæ imaginibus exhibetur, ipſe quo„ que David imaginibus æqualis eſt . . . . Non igi„ tur æqualis eſt adoratio, quæ illi a Propheta exhi„ bita eſt, adorationi, quæ imaginibus exhibetur. „ Capite etiam 21. libri 4. generatim monet: *aliud eſſe*

(*) lib. 1. cap. 22.

ratio-

rationalem hominem ſalutando adorare, aliud res inſenſatas inſalutatas relinquere.

VIII. Caput porro 26. libri 2. integrum impendit in recenſendis diſcriminibus, quibus Arcam veteris teſtamenti Imaginibus, quæ a Chriſtianis fiunt, modis omnibus præſtantiorē agnoſcas, ideoque talem, ut cum eâ noſtræ imagines comparari omnino non poſſint. (*)

IX. Illam vero Crucem, in qua mortem obiit Chriſtus Dominus, imagine quavis excellentiorem, digniſſimamque non modo honore, verum etiam cultu oſtendit (*d*). Imaginis quoque illius, qua ſignamur, dum fidem & Spiritum Sanctum in baptiſmo recipimus, virtutem, & ſummas in Dæmonem vires deſcribit, commendatque (*e*). At his ipſis capitibus quantum diſcriminis inter eandem Crucem, (ſive eadem ipſa ſit, in qua Chriſtus pependit, ſive illius imago) & Sanctorum iconas interſit, haud obſcure edocet: quod etiam ex parte repetit cap. 16. libri 4. ex quibus quidem capitibus verba allegarem, ſi plurima non eſſent. Pauca tamen proferam ex poſtremo capite (*f*). En illa. „ Crucis igitur ſignum magnum in ſe habere myſterium, eique imagines non eſſe æquiparandas, evidentibus eſt indiciis manifeſtum, & in ſuperioribus hujus operis partibus, pro ut Dominus donare dignatus eſt, demonſtratum. Nam dum Imagines, ut ſuperius diximus, nulla oratione vel manus impoſitione ſacrentur, Crucis ſignum ubicumque ingeritur, divini Nominis invocatione infertur; & dum hæ conſecrationem quandam nec habeant, nec habere queant, nec debeant, illud vero adeo eſt a Redemptore Mundi ſacratum, ut non ſolum cujuſpiam conſecratione indigeat, ſed divini Nominis invocatione illatum alia quæque conſecret, & benedicat. „

(*) Vide etiam quæ tradit ca. 15. libri 1.

(*d*) cap. 28. libri 2.

(*e*) cap. 23. libri 1.

(*f*) ideſt ex 16. libri quarti.

X. Vehementiſſime vero objurgat, atque exagitat eos, qui imagines cum Evangeliis & ſacris Libris comparaverant. Caput 30. Libri 2 legas; opto, certiorque efficieris, quantum ſacros Libros in honore habet atque in exiſtimatione, tantum etiam contemptu & deſpectione eum proſequi Imagines.

XI. Sanctitatem quamdam in vaſis ſacris ineſſe agnoſcit, & probat, cujus quidē ſanctitatis expertes eſſe ait

Ima-

Imagines quaslibet. (11) Alibi vero (g) diſcrimen non leve inter imagines, & ſacra vaſa adducit, in eo poſitum, quod ſicut conſecratione dedicamus Eccleſias, ita etiam vaſa ſacra: at conſecrationem quamlibet denegamus Imaginibus. [12]

(g) lib. 4. cap. 15.

---

[11] „ Hæc quoque vaſa (inquit ille (*)) quæ ad peragenda noſtræ Redemptionis myſteria, Sancta habet Eccleſia, ſemper ſunt Fidelibus neceſſaria, ſemperque in Divino cultu officioſa. In vaſis igitur Deo ſacrificium, non in Imaginibus offertur, in vaſis thymiamata, luminaria, vel cætera divinis cultibus apta, non in Imaginibus dedicantur: In quibus tamen etſi quædam Imagines ſunt, non ideo ſunt, ut adorentur, ut quaſi ſine his ſacrorum chariſmatum munus vileſcere queat, ſed ut pulchrior his impreſſis materiarum qualitas fiat. „

(*) cap. 29. libri 2.

(12) „ Cum ergo id idem Diaconus ideo intulerit, ut Imagines, quarum adorationem illi prorſus roborare æſtuant, de quarum (*Imaginum*) utique conſecratione nulla eſt Eccleſiaſtica inſtitutio, vaſis, vel cæteris rebus, divinis cultibus mancipatis, adſociaret, hoc introducere moliens, ut ſicut hæc ſine orationibus conſecrata, ita illas quoque ſine orationibus conſecratas eſſe perdoceret, in eo ejus molimen caſſari poteſt, quod iſtorum conſecrandorum in libris ſacerdotalibus ſcripta habetur, & per Sacerdotes ſolemniter celebratur priſca traditio; illarum vero neque conſecrandarum, neque adorandarum ulla uſpiam in his, quæ ab Eccleſia recipiuntur, habetur inſtitutio. . . . . . Sanctificatio enim rationalibus Creaturis bonorum operum exhibitione & meritorum prærogativis conceditur; rebus vero irrationabilibus & ſenſu carentibus, ut pote ſunt vaſa divinis cultibus mancipata, & his ſimilia, non ſuperſcriptione qualibet, ſed ſacerdotali conſecratione, & divini nominis invocatione accedit. „ Tum idem argumentum urgens ſic proſequitur. „ Ac per hoc evidenti ratione monſtratur, nullam imaginibus inhærere poſſe ſanctificationem per quamlibet ſuperſcriptionem, quoniam iſta, quæ beatæ Genitricis Dei Mariæ ſuperſcriptionem ſortitur, & quæ quondam deſpicabiliter abjecta jacuit, nunc venerabiliter adornatur, quantum valuit contemptoribus ſuis ſpreta jacens obeſſe, tantum nihilominus valet cultoribus ſuis erecta & adorata prodeſſe. „

XII. Ad petitum ex reliquiarum cultu argumentum reponit: non modo ex Scripturis, verum etiam ex præſtantia dignitateque reliquiarum conſtare, honorandas venerandaſque eſſe reliquias; at his ipſis argumentis oſtendi, nullam prorſus veneratione adhibendam eſſe Imaginibus. En quæ eloquitur ille cap. 16. libri tertii. ,, Honor itaque digne Sanctorum cor-
,, poribus, reliquiis, ſive Baſilicis exhibitus, & O-
,, mnipotenti Deo, & Sanctis ejus manet acceptus.
,, ... At quis eos credat Imaginum ado-
,, ratione delectari? aut picturarum obſequiis demul-
,, ceri? aut qualiter ad eos honor picturis exhibitus,
,, quæ nec de illorum corpore, ſeu veſtibus ſunt, ſed
,, pro captu ingenii cujuſque ab artificibus præpa-
,, rantur, poterit pervenire? ,, Expreſſiſſime autem, & uberrime eodem de argumento diſputat capite 24. libri Tertii, cujus verba ſi referam, Lectori moleſtus, ob eorum multitudinem, fortaſſe ero. Hic itaque tantum dicam, oſtendere Carolum Magnum, haud recte diſſerere illos, qui ab adhibito reliquiis cultu Imagines coli poſſe deducunt: quandoquidem ab his ſanctificatio illa abeſt, quæ in reliquiis ineſt. Vel ſcilicet merito quodam ſuo ſanctæ ſunt, vel certe a Sanctorum contactu ſanctificatæ fuerunt: illarum quoque cultum tum a Scripturis, tum ab Eccleſia commendari & approbari: contra Imaginum cultum neque a Scripturarum, neque ab Eccleſiæ auctoritate & conſuetudine præſidium poſſe deſumere. Hæc in ſumma eſt Caroli Magni ratiocinatio.

XIII. Illam porro Eccleſiaſticam definitionem, qua potiſſimum Imaginum cultum comprobari putat, Nicænæ nempe Synodi editione, irridet, monens, ab Eccleſia Romana tantummodo deſumendos eſſe Canones, quibus regamur. [b] Græcorum porro Epiſcoporum, ideoque Nicæni Concilii decreta, hac ſaltem in re, nullo in honore habenda eſſe aſſeverat, quia ab illis Epiſcopis lata, qui iis proximi ſucceſſerunt, qui nuper Conſtantino Copronymo imperante, ad evertendas Imagines ſuffragium tulerant. (*)

[b] Vide caput 6. libri 1.

[*] Vide caput 31. libri 2.

XIV. Tanto vero vehementius Nicænã Synodum repre-

prehendit, deſpexitque, quanto altius illius animo inſedit opinio, qua arbitrabatur, Provincialem, non Generalem & OEcumenicam fuiſſe Synodum illam, & contemptas ab ea fuiſſe Eccleſias reliquas, quas quidem ab illa Synodo minime conſultas ait. Apertiſſime ſane rejicit titulum *oecumenicæ*, quam ea Synodus ſibi tribuit; qua de re ſi dubitas, legas opto caput 5. & 6. libri 1. XI. libri II. 13. quoque, & 28. (*) Libri Quarti. (*) Quod autem de neglecta aliarum Eccleſiarum conſultatione diximus, comprobatur ex cap. 11. libri 3.

XV. Neque vero (quæ communis ſolutio eſt) reſpondeas, abſolutum tantummodo cultum reprehendi a Carolo; quandoquidem indubitate conſtat, relativum etiam ab eo rejci: Vide caput 16. libri 3. Ad hæc: non patitur oſcula, ſuffitus, & affinia honoris argumenta deferri imaginibus, quibus tamen relativum cultum teſtatum ſe facere ii ajunt, qui Imagines colunt: immo (quod omnino contempſeris nolo) his ipſis argumentis relativum cultum deferri non poſſe affirmat: quippe ad Sanctos pervenire non poſſunt oſcula, & ſuffitus noſtri (13), ideoque non relativum, ſed abſolutum deferant neceſſe eſt imaginibus cultum, dum eas ſic honorant. Eamdem aut certe affinem ob cauſam vetat luminaria & odoris thymiama coram Imaginibus accendi. Vide quæ fuſe ille tradit cap. 15. libri tertii, & expreſſius cap. 3. libri 4.

XVI. Sed quo magis Caroli Magni ab Imaginibus colendis alienatio atque averſio appareat, expreſſiſſime oſtendo, relativum etiam cultum, de quo tantummodo ambigi poſſe videtur, ab illo fuiſſe rejectum. Id ſane exſequar, ſi evincam, impoſſibilem judicari ab illo cultum eum, quem relativum appellant, ſi etiam evincam de eo conqueri, quaſi temere nuper in Eccleſiam invecto, ſi leviſſimis momentis innixum, ſi de-

(*) ideſt poſtrem ſi.

(*) Synodus hæc, eo quo Carolus eam impugnabat tempore, inter OEcumenicas minime recenſebatur: nondum enim illi acceſſerat expreſſa Pontificis approbatio. Id docent Viri Clariſſimi Petavi: (to. 6. Theolo. dogma. lib. 15. cap. 12. §. 4.) & Joſeph Auguſtinus Orſi (*de Roma. Pontifi. auctorita.* to. 1. par. 2. cap. 30. ar. 2. pag. 28. & 29.) Id vero haud obſcure eruitur ex laudatiſſima Adriani epiſtola; etenim (in fine ſect. 3. cap. 25. pag. 1598.) hæc habet: *Et ideo ipſam ſuſcepimus Synodum; nam ſi eam minime recepiſſemus &c.* Vide, quæ ad hæc verba notant laudati Petavius, & Urſus. Id ipſum facile erues ex verbis Hincmari: (*in opuſculo Quinquaginta capitulorum* cap. 20.) ad quæ quidem Lectorem delego.

(13) *Adoratur enim Deus, ſed non oſculatur; venerantur Sancti, qui e ſeculo cum triumphis meritorum migraverunt, ſed nec adorari debent cultu divino, nec oſculari poſſunt. Oſculantur e contrario conjuges, liberi, nec non & ſervi, nec tamen adorantur.* (*)

(*) cap. 23. libri 4.

denique periculoſum & improbum illum eſſe teſtetur. Hæc porro particulatim oſtendo. Nonne impoſſibilem ait eſſe, quum ad prototypa eundẽ cultum pervenire non poſſe edocet? Porro quid aliud agit iis verbis, quæ nuper innuimus ex cap. 23. libri 4. Temere nuper in Eccleſiam invectum ſæpiſſime ex eo oſtendit, *quod nullis teſtimoniis approbare* id valeant, qui illum approbant; neque ſcilicet in Scripturis, neque in veteribus hiſtoricis hujuſmodi adorationis veſtigiũ extare ait. (*) Quod autem levibus momentis innixum putet, liquido conſtat ex capite 16. libri quarti: ſic enim diſputat. *Dixit* (Epiphanius Diaconus) *imaginem per nomen ſignificationis ad primæ formæ honorem, id eſt ad Sancti, in cujus nomine prætitulatur, venerationem poſſe deduci: quod fieri poſſe, nullius rationis indiciis evidentibus poteſt adprobari. Si nominis tantummodo inſcriptio eas ad eorumdem Sanctorum, quorum nomina ſuperſcribuntur, bonorem deducit; ergo qualibet res, cui Sancti cujuſdam nomen ſuperſcribitur, ad ejuſdem Sancti bonorem conſcendit. Ergo lapides, ligna, veſtes, ſive animalia quædam quorundam Sanctorum nominibus ſuperſcripta, ad eorumdem Sanctorum bonorem tranſeunt, quorum ſunt nominibus prænotata &c.* Periculoſum porro eſſe imaginum cultum, ſic ille oſtendit cap. 21. libri quarti. ,, Eſto, imago Sanctæ Dei genitricis adoranda eſt: ,, unde ſcire poſſumus, quæ ſit ejus imago, aut quibus ,, indiciis a ceteris imaginibus dirimatur? quippe cum ,, nulla in omnibus differentia præter artificum expe- ,, rientiam, & eorum, quibus operentur, opificiũ, ,, materiarumque qualitatem inveniatur:,, & reliquis verbis, quæ nuper retulimus, & quæ hic repete, ſi tu vis.

(*) Conſule caput 5. 9. & ſequentia libri I. Id ipſum in ſubſequentibus libris ſæpiſſime inculcat.

XVII. Improbum vero, & his ipſis argumentis eſſe innuit: improbum enim id eſt, quod in Eccleſiã inductum eſt, & *tamen nullis teſtimoniis approbare illud vales*, & quod periculis (ſi tamen periculis, & non potius certis erroribus) refertiſſimum eſt. Sed præter hæc: improbum ſane ſæpiſſime ait eſſe, dum monet, improbo honore non oblectari Sanctos, ideoque non oblectari eo honore, qui imaginibus adhibetur. Sic repellit eorum effugium, qui imagines ideo a ſe honorari dicebant, *quia imaginis bonor in primam formam* (id eſt ad proto-

totypum) *tranſit*. Vide caput XVI. libri tertii, cujus quidem capitis verba cuncta digna ſunt, quæ hic exſcribantur; ſed id vetat ea, quam nobis præſcripſimus, brevitas. Aliqua tamen delibare operæ pretium reor. „ Numquidnam Sancti, qui pro meritis ſuis „ cœleſtia regna conſcendere valuerunt, quorum illi „ inofficioſo obſequio imagines adorare percenſent, „ ſuperſtitioſos, aut ſupervacuos honores ambierunt? „ Nunquid adorari ſe permiſerunt? . . . . . . Quis „ eos credat imaginum adoratione delectari? aut pi„ cturarū obſequiis demulceri? aut qualiter ad eos ho„ nor picturis exhibitus, quæ nec de illorum corpo„ rum, ſeu veſtibus ſunt, ſed pro captu ingenii cujuſ„ que ab artificibus præparantur, poterit pervenire? „ Non enim deliniuntur Pictorum operibus, qui cum „ Chriſto regnant in cœleſtibus, nec ambiunt ab opifi„ cibus in tabulis, ſive in parietibus pingi, qui a „ Chriſto in libro vitæ meruerunt adſcribi. „

XVIII. Omnes etiam improbum id putant, quod ſcandali occaſio eſt. At ſcandali occaſionem ab imaginum cultu porrigi, in eo ipſo, quod nuper citavimus capite, paucis interjectis oſtendit, hæc effatus: „ Nam etſi a doctis quibuſque vitari poſſit hoc, quod „ illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet, „ non qui ſint, ſed quid innuant, venerantur, indoctis „ tamen quibuſque ſcandalum generant, qui nihil aliud „ in his præter id quod vident, venerantur & ado„ rant. Unde cavendum eſt, ne Evangelicam ſen„ tentiam ſubeant, qui tot puſillos ad ſcandalizandum „ impellunt, quoniam ſi is, qui unum de puſillis ſcan„ dalizaverit, formidoloſiſſimæ ſententiæ ſubjacet, mul„ to magis exitiabili ille ferietur ſeveritate, qui pæ„ ne omnem Chriſti Eccleſiam, aut ad imagines ado„ randas impellit, aut imaginum adorationem ſper„ nentes anathemati ſubmittit. Quod utrumque cum „ magna cautela vitare neceſſarium eſt, ne, dum in „ utramlibet partem plus ſe quis, quàm ordo expo„ ſcit, impegerit, jacturam ſuæ ſalutis evitare non „ poſſit. „

CAP.

CAP. XX.

Ea expendimus, quæ ſuperiori capite allata ſunt, & de ſenſu, ſententiaque auctoris librorum illorum judicium ferimus.

I. PRopterea hæc fuſius attuli, ut nihil eorum diſſimularem, quibus enumeratis concludunt Proteſtantes, inter præcipuos Pontificiarum conſuetudinum hoſtes recenſendum eſſe Carolinorum librorum auctorem. At hi, niſi plane fallimur, errant; idque ut oſtendam, enitar, non quo neceſſe id putem: deinceps enim evincam, haud multum auctoritatis, atque exiſtimationis opinioni illi accedere ex Carolo Magno, ſi is librorum illorum eſt auctor; ſed quia revera minus imaginum cultui adverſatur, quam frons prima indicet. Dic, amabo, non ne ipſe tacite quodam modo conſentit, ut adorentur Deiparæ imagines, ſi noverimus, illas Deiparæ imagines eſſe? (*a*) *Eſto, imago Sanctæ Dei genitricis adoranda eſt, unde ſcire poſſumus &c.* Agnovit ergo, ſi periculum ſubmoveatur, certoque ſcias, te non adorare mulierem aliam, dum Mariam in illius imagine (ideoque Mariæ imaginem) adorare cupis, coli poſſe Deiparæ imaginem. Non eſt tamen admodum difficile (quod deinceps fuſius oſtendam) dempta etiam ſuperſcriptione, Mariæ imaginem a profanæ mulieris imagine dignoſcere. Quod ſi eā dignoſcere minime potes, nemo te coget, ut imaginē, quæcunque ea ſit, ideoque etiam elegantiſſimam, colas. Nonne etiā expreſſiſſime is fatetur, a doctis coli imagines poſſe, referentibus ſcilicet honorem, non ad imagines ipſas, quas ut pote inanimatas honore minime dignantur, ſed ad eorum prototypa? Et licet hortetur doctos ipſos, ut id evitent, ne ſcilicet incautum, & imperitum vulgus, quod minime advertit, non ad imagines, ſed ad prototypa deferri eum honorem, eorum exemplo errandi occaſionem deſumat; tamen haud obſcure innuit, ſi hoc pe-

(*a*) cap. 21. libri 4. pag. 601.

periculum abſit, a ſe minime reprobari hujus modi cultum, quem, ſi penitius examinaveris, palam agnoſces, cultum eſſe adhibitum Sanctis in eorum imaginibus, ſeu ſi vis, ex occaſione, & obtutu earum. (*b*)

II. Quod ſi certius conſtaret, caput illud, quod in aliquibus editionibus extare diximus, & procul dubio in epiſtola apologetica Hadriani Pontificis extat (id eſt caput illud, quod ad hunc modum incipit: *Sciat Dominus Apoſtolicus*) revera a Carolo Magno fuiſſe compoſitum, editumque, manifeſtius etiam conſtaret, non ita eum ab imaginibus colendis fuiſſe averſatum, ut non ſineret coli, ſed tantum putaſſe, cogendos non eſſe qui nollent colere: quem morem Pontificii nunc etiam ſervant: neque enim ſacras imagines coli jubent, ſed tantum multum utilitatis tibi proventurum ajunt, ſi pingas, ſi ſerves, ſi venereris, & colas. Sed licet nos in ſuperioribus capitibus vere pertinere oſtenderimus ad libros hos caput illud, (*c*) tamen quoniam id in controverſiam vertitur, nolo in hoc conſiſtere, ſed contentus iis teſtimoniis, quæ nuper allegavi, iis ſatis comprobatum puto, non prorſus obſtitiſſe imaginum cultui Carolum, ſi hæc vitarentur (quæ tamen ab imperitis raro evitari, nec ſatis cautum a Nicænis Patribus putare viſus eſt) ut ſcilicet nec latria, nec abſolutus cultus imaginibus deferretur. Hæc ſcilicet arcet, in hæc impetum facit, ab his averſatur, & abhorret maxime, & tamen alterum horum, fortaſſis etiam utrũque adhibitum aut putat, aut putare viſus eſt, tum quidem a reliquis imaginum cultoribus, tum certe a Nicænis Patribus, quos propterea & inconſtantiæ, & ſuperſtitionis accuſat; quippe qui modo ab imaginum cultu latriam amovent, modo (hujuſce quidem Scriptoris ſententia) effuſiſſimam adorationem, ideoque (ut ipſe quidem cenſet) latriam iis adhiberi jubent, in iis ſpem collocant, & eas ipſas, tam etſi inanimas, & ex vili materia conſtantes, adorant & colunt. Si recte Nicænorum Patrum, & Eccleſiæ ſenſa aſſecutus fuiſſet Carolus, facile agnoviſſet, ab iis reprehenſionibus remotiſſimos fuiſſe Fideles; quippe nec adorationem veram, *& rigoroſe* ſumptam ſacris quibuslibet imaginibus deferebant, nec eum, quem adhibebant imaginibus honorem, in iis re vera ſiſtere volebant, ſed

(*b*) *Nam etſi a doctis quibuſque vitari poſſit hoc, quod illi in adorandis imaginibus exerunt, qui videlicet, non qui ſint, ſed quid innuant, venerantur &c.* (ca. 16. libri 3.) Non admodum a ſuperioribus diſtare videntur ſubſequentia verba: *Adorare eas* (imagines) *& colere, eiſque ſervitium impēdere recuſamus, quoniam plerumque non res, ſed cauſa rei pro ſcelere reputatur: dum videlicet multa, quibus bene poteſt uti, male uſa in flagitiū convertuntur, ſicque una, eademque res bene utentibus non eſt cauſa piaculi, & male utentibus eſt cauſa periculi.* (lib. 4. cap. 18.)

(*c*) Vide dicta cap. 15. §. 14. & ſubſeq.

ſed ad prototypa aſcendere, ad quæ quidem prototypa tametſi non pervenirent oſcula, ſuffitus, & reliqua hujus generis, quæ materialem, ſenſibilem, & externam cultus partem conſtituunt, perveniebat tamen, & dirigebatur animus, cujus manifeſtandi cauſa, Fideles figunt imaginibus oſcula, thymiamata corã eis accendunt, & reliqua hujus generis præſtant externa honoris, non veræ adorationis indicia. (*) Quamquam itaque nulla ſanctitas in imaginibus inſit, adhuc tamen merito coluntur, quatenus id merito extrinſecam, & relativam cultus partem excipit, quod me ad amorem, & cultum prototyporum excitat, eſtque eorum veluti ſupplementum. Hæc ſi diligenter, placideque fuiſſent Carolo explicata, percepiſſetque non ex pictoris intentione, ſed ex Eccleſiæ conſuetudine, & cõmuni conſenſione, imagines excipere commode poſſe extrinſecam cultus partem, non ea objeciſſet quæ objecit, veluti quod ait de aſino adorando, ſi adoratur Maria; quippe aſini imago eàdem, qua Mariæ imago, materiâ conſtat, (*d*) & reliqua hujus generis multa, quæ nullam prorſus habent vim, ſi negem, imaginem ipſam a me adorari: hoc tamen & negarunt Nicæni Patres, & negabunt etiam Fideles noſtrorum temporum. Sed aliquid indulgendum eſt Carolo Græcis irato, (*e*) putantique, minime conſtringi ſe poſſe a Nicæna Synodo, (*f*) & decepto a praviſſima interpretatione ſæpe tribuente Nicænis Patribus, quod ab eorum ſententia alieniſſimum eſt, ab argumento etiam, & diſputationis æſtu abrepto: nam interdum talia effatur, quæ cauſæ ſuæ fortaſſe nocent, veluti cum Polemonis hiſtoriam, aliaque id genus minime approbat, quæ tamen a Nicænis Patribus propterea tantummodo allata erant, ut his exemplis agnoſceretur, utiliſſimas eſſe ſacras imagines, earumque aſpectum, quod Carolus ipſe hæc reprehendens, ſæpe inculcat. Et ad primam teſtimoniorum partem, id eſt ad eam, qua abſolutum imaginum cultum impetere putatur, dicta ſint ſatis.

III. Venio nunc ad partem alteram, ad eam ſcilicet, qua relativum etiã imaginibus tributum cultum a Carolo impeti ajunt. Paucis ſic argumenta illa diſſolvo. Oſcula, ſuffitus, aliaque hujus generis argumenta minime approbat, fortaſſe quia neſcio quo errore abreptus

[*] De ſpe in imaginibus collocatâ neceſſe non eſt peculiariter loqui. Nicæni enim Patres utilitatem earumdẽ imaginũ ſæpe commendantes, ſpem in iis revera non collocabant: quam ob rem *errore facti* hic rurſus peccavit Carolus.

(*d*) lib. 4. cap. 21.

(*e*) Vide quæ diximus cap. 15. §. 3.

(*f*) Vide tradita cap. 19. §. 14.

ptus nonnulla ſaltē horum veræ adorationis potius, quàm venerationis indicia eſse aut arbitratur, aut certe ſuſpicatur; vel potius quia abſolutum, non relativum cultum ſignificari his quidem indiciis cenſet: nam certe (ut ille haud obſcure ait) ea feruntur, terminanturque ad imagines, non ad Sanctum ipſum aſcendunt. Et tamen indubitatum reor, (& certe expreſſiſſime id edocent Nicæni Patres) relativi, non abſoluti cultus argumenta illa eſse. Neque vero neceſse eſt, ut ad Sanctos ipſos perveniant ſuffitus, & oſcula, ſicut neceſse non eſt, ut honor, quem adhibere volo Imperatori abſenti, quælibet habeat extrinſeca ſigna, materialiter (ſi loqui ita ſinis) deſinentia in Imperatorem ipſum: neque enim abſenti ea deferre poſsum: ſed ſatis eſt, ut abſentis imagini deferam: agnoſcet enim quilibet, ideoque Imperator ipſe, ad illum referri honores, imagini illius delatos, ſeque fatebitur Imperator in eadem imagine honorari.

IV. Ea teſtimonia, quæ deinceps ex Carolo producuntur, ut ex iis evincatur, reprobatum fuiſse ab eo relativum etiam cultum, haud difficilem habent explicatum. Omnino impoſſibilem non ait eſse hunc cultum, ſed tantum innuit, non ita commode in imaginibus honorari Sanctos, uti tradiderant Nicæni Patres; cenſet autem, multo aptiores imaginibus ad cultum promerendum eſſe reliquias: (*) nam reliquiæ vel ipſæ partes Sanctorum, vel Sanctorum contactu ſanctificatæ ſunt: at in imaginibus nihil horum ineſſe ait, ſed ex pictoris arbitratu ad Sanctos repræſentandos deſtinari.

(*) lib. 3. cap. 16.

V. Quum vero nuper in Eccleſiam inductum eundem cultum dixit, fortaſſe reſpicit ad ea honoris argumenta, quibus Nicæni Patres colendas eſſe imagines monuere: neque enim admodum frequentia ea erant in Galliis, uti erant in Oriente, neque multa ad univerſalitatem hujus ritus comprobandam afferri fortaſſe poterant teſtimonia. Sed hæc quæſtio non ad controverſiam ipſam, & genus, ut ita loquar, illius ſpectat [id eſt, num colendæ imagines ſint, an non] ſed ad modū, quo coluntur illæ. Porro varii potuere eſſe earum colendarum modi, e quibus aliqui pro varia Eccleſiarum diſciplina non ubique, neque ab omnibus approbarentur, adhiberenturque. Et ſane Hadrianus ad Carolū

reſpondens probat, jam pridem, & ab ipſis uſque Eccleſiæ exordiis propoſitas ad venerandum fuiſſe imagines ſacras.

VI. Idem etiam laudatiſſimus Pontifex diligenter evincit, haud levibus momentis inniti eum, de quo agimus, cultum. Ad epiſtolam ipſam Hadriani te allego. Porro quod attinet ad objectionem in Caroli verbis contentam, (quam quidem, & ſubſequentes ideo diſſolvo, ne iiſdem rationibus abutantur, quod ſæpe ſolent, hoſtes noſtri) ſic illi occurro. Non ſuperſcriptio, ſeu ut ipſe appellat, *prætitulatio* venerationem imaginibus impertit: ſed ſive ſuperſcriptio, ſive alia, quæcunque ea ſint, ſi probabilia ſunt, & ab Eccleſia, & communi conſenſione admiſſa argumenta, quæ imaginem determinant ad repræſentandam Deiparam Virginem, aut Sanctum aliquem, determinabunt etiam fideles, ut in ea imagine Deiparam, & Sanctum colant.

VII. Qua ſolutione conſtitutà, ſubſequentem difficultatem evitas. Ad Eccleſiam, & fidelium prudentiam ſpectat efficere, ut iidem fideles profanæ mulieris imaginem ab imagine Deiparæ dignoſcant, veluti circulo, ſeu nimbo (ſic enim appellant) aut radiis, fulgoreque Deiparæ capiti appoſitis, & id genus aliis jam pridem uſitatis, quibus certo Sancti imaginem ab alia qualibet diſcernes. Ceterum fortaſſe ſatis eſt, ut animus feratur ad Sanctum: tum vero errores ſi qui irrepſerint, materiales (ſi loqui ita ſinis) errores erunt, criminique non vertendi, ſi probus eſt animus.

VIII. Venio nunc ad probitatem hujuſce cultus, quam a Carolo impetitam fuiſſe ajunt. Improbum ſane non affirmavit Carolus eum cultum, qui a viris doctis defertur imaginibus: nam hunc, ut nuper vidimus, approbat, & ab improbitate remotum innuit. Non ergo improbum generatim agnovit, ſed tantum improbũ, ut ita loquar, *per accidens*; quod ſi probe explicaveris, non aliud eſt, niſi ex eo poſſe quempiam indoctum, & imperitum erroris occaſionem ſumere. Porro nihil tã ſanctum aut probum eſt, ex quo erroris occaſionem non poſſit indoctus aliquis, & imperitus deſumere. Nec propterea id, ex quo deſumit, improbum dici poterit, ſi aliunde improbum non eſt; ſed probum adhuc erit, ſi per ſe probum ſit. Itaque (nec Carolus ipſe abnueret) impro-

probus non erit cultus imaginibus delatus, tametſi puſilli ex eo poſſint ſcandali, ſeu errandi occaſionem deſumere. Cavet porro Eccleſia, ne ſi quis in rē bonam irrepſerit dolus malus, aut error, ſerpat, neve id inficiat, quod rectum eſt. Et ſane ſicut priſcis ſæculis, ita temporibus etiam minus remotis pericula improbitatis ab imaginū cultu eadem Eccleſia ſubmovit: qua de re conſule, quæ Tridentina Synodus, & reliquæ deinceps Eccleſiaſticæ edictiones præſcribunt, & cavendum jubent, & manifeſto videbis, iis occurriſſe periculis Eccleſiam, propter quæ imaginum cultus Carolo diſplicebat: adeo ut ſi nunc viveret, eum purgatum a labe quavis, & remotiſſimum ab erroris periculo cernens, approbaret ipſe quoque, *nec ibi trepidaret timore, ubi non eſt timor.*

CAP. XXI.

Quantæ auctoritatis, atque exiſtimationis ſint ii, de quibus hactenus diſſeruimus, libri.

I. ETſi valde utilis, probabiliſque (niſi me mea fallit opinio) noſtra fuerit in ſuperioribus capitibus diſputatio, in qua oſtendimus, non admodum grave ex Carolinis libris ſuæ cauſæ patrocinium adſciviſſe Proteſtantes, quatenus minus aperte ii libri Sacrarum imaginum cultum oppugnant, quàm iidem Proteſtantes vellent, non ab re tamen erit, pauca quædam adjungere, quibus poſitis noſcat Lector, tanti denique non eſſe æſtimandos eos libros, ut quiſquis illorum ſit auctor, quiſquis illorum ſcopus, aut ſenſus, magnum negotium nobis imponant. Sic autem ſtatim propoſitum meum exſequor. Hos libros, tametſi

ab Carolo Magno compoſitos, evulgatoſque: tam etſi eos cum *conniventia*, ſeu *conhibentia* Epiſcoporum exaratos, atque editos facias: tamen a particulari homine Eccleſiaſticæ auctoritatis experte exaratos, atque editos eos fuiſſe, facile fateberis: cui quidem homini ſi conniverunt Epiſcopi, unde ſcis, conniviſſe eos potius, ne eum irritarent, quàm quod animis cum illo concordes eſſent? Sane illos Epiſcopos, qui antea a Carolo Manno, & Carolo (eodem ſcilicet, qui poſtea dictus eſt Magnus) ad Romanum Concilii, a Stephano III. (*) coactum, miſſi ſunt, cultui imaginum faviſſe, ex eo credibile ſit, quod procul dubio Epiſcopi Concilii illius (quod antea diximus (*)) imaginũ cultum probaverunt, nec illorum definitioni qui obſtiterit, ullum novimus. Ii porro Epiſcopi, quorũ *conniventia*, ſeu *cohibentia* Carolini libri editi ſunt, ignoti ſunt nobis, neque eos in Concilio fuiſſe coactos, neque aut cauſam, de qua agebatur, ſollicite, multumque exploraſſe, aut diligentem operam in ea impendiſſe compertum habemus. At quanta eſt hominis ſæcularis, tametſi Principis, qui Epiſcopos aliquos ſententiæ ſuæ habeat ſuffragatores, in rebus Eccleſiaſticis, diſciplinâque ſacrâ auctoritas? Enimvero celebratiſſima Juſtiniani, Zenonis, Anaſtaſii, Conſtantini Copronymi, aliaque Principum ſæcularium in Eccleſiaſticis litibus dirimendis edicta, tam etſi improba, facile excipies, ſi putas cogi nos poſſe ab Principis juſſionibus, quibus Epiſcoporum eidem Principi ſubditorum aliquod ſuffragium acceſſerit. Hunc ipſum porro Scriptorem, qui de Eccleſiaſtica diſciplina, ritibuſque ſacris judicat, qui Græcos Patres condemnat, & acerbe diſtringit, neque in græca lingua verſatum, neque in univerſæ Eccleſiæ moribus, ac conſuetudinibus admodum peritum dices, ſi quid habent veri ea, quæ tradidimus nos, & quæ Hadrianus Pontifex ad eum reſpondens, copioſe diſſerit. Qui quidem Hadrianus, ad quem idem Carolus veluti ad æquiſſimum judicem allegavit, eidem Carolo obſtitit, parteſque ſuas eſſe putavit, præcipua capita ex iiſdem libris ſeligere, ut ea reprehenderet, & probabili reſponſione refelleret. Hi porro Romani Pontificis conatus, & ſtudium ſane non leve, effecerunt, ut licet præſtantiſſimum, potentiſſimumque, ſi tu

(*) Appella, ſi vis, IV.

[*] cap. 13. §. 5. & cap. 17. §. 4.

tu vis, habuerint parentem iidem libri, contempti ſint tamen a poſteris, adeo ut eos pauciſſimi, præter Gallos ab illaudabili perſuaſione præoccupatos, allegarint, commendarintque. Et quamvis Galliæ præſules non ſtatim acquieverint Hadriani monitis (quod quidem tum ex aliis monumentis, tum certe ex ea Synodo, quæ Pariſiis imperante Ludovico Pio celebrata eſt, & de qua deinceps diſputabimus, aperte conſtat) tamen haud ita multo poſt Romanæ Eccleſiæ monitis paruerunt, illamque conſuetudinem, in quam totus Orbis conſpiraverat, amplexi ſunt, ideoque ſuo etiam exemplo oſtenderunt, ſequendum non eſſe eorum librorum auctorem, quum minus recte in Nicænos Patres invehitur.

C A P. XXII.

De Synodo Pariſienſi, imperante Ludovico Pio, adverſus imaginum cultum coacta.

Poſtquam indicavimus annum, quo ea Synodus celebrata eſſe dicitur, recenſentur potiſſimæ, quæ de ea inſtituuntur quæſtiones.

I. SEd rurſus adverſarii contra nos pugnant, urgentque decreta Synodi, imperante Ludovico Pio, a Galliarum Epiſcopis celebratæ: quæ quidem decreta eo peculiari libello comprehenſa, quem *Synodum pariſienſem de imaginibus* appellari mos eſt, delatum imaginibus cultum vehementiſſime condemnant.

II. Quamquã porro, quæ de Carolinis libris diſſeruimus, diſſolvere fortaſſe ea etiam poſſunt, quæ ex hac Pariſienſi Synodo petuntur argumenta, non ab re tamen

men erit, peculiarem tractationem de eadem Synodo inſtituere, cujus auctoritatem adeo commendant adverſarii noſtri, ut Orientis, Romanæ Eccleſiæ, adeoque etiam totius Italiæ conſuetudini, a qua fatentur Sacrarum imaginum cultum fuiſſe firmatum ſtabilitumque, anteponere non vereantur. Eâ de Synodo, quam quidem conſtat, imperantibus in Oriente Michaele, & Theophilo, in Occidente vero Ludovico Pio, & Lothario, &, niſi nos vetuſta fallit inſcriptio, anno 825 (*a*) fuiſſe celebratam, tria potiſſimum quæri ſolent. Num ementita ea ſit, & ab hæreticis conficta ſcripta illa, quæ eidem Synodo tribuuntur, ad conciliandam ſcilicet auctoritatem, & fidem Iconoclaſtarum erroribus. Quod ſi dederis, nec eam Synodum ementitam eſſe, nec conficta ea ſcripta, quæ illi tribuuntur, quæritur adhuc, num imaginum adorationem plane ſubmoverit: quæritur denique, cujus auctoritatis ea ſit. Ut porro id, quod principio propoſuimus, ſtatim aggrediamur, inquirimus: *Num ementita ſit ea Synodus, & ab hæreticis conficta ea ſcripta, quæ eidem Synodo tribuuntur.*

III. Vix Francoforti Wechelianis typis evulgata fuerat ea, de qua diſſerimus, Synodus, cum Viri præclari, & doctiſſimi in eam inſurrexerunt. Bellarminus egregius ſane, & cautus ſcriptor, continuo calamum in eam exacuit, pronuncians, aut ementitam fuiſſe illam, aut ſaltem depravata ea ſcripta, quæ præpoſito hujuſce Synodi nomine prodierunt (14). Bellarmino adhæſere Binius, (*b*) aliique non pauci, tum aliis quidem momentis, tum præſertim Bellarmini auctoritate commoti. Sic porro diſputant. Nonne ſe fictam

(*a*) *Synodus Pariſienſis, ann. DCCCXXV. Excellentiſſimis, ac Victorioſiſſimis, Deoque amabilibus Auguſtis Dominis Hludovico, & Hludhario Sereniſſimis Imperatoribus.*

(*b*) Binii verba conſule tomo IX. Conci. pag. 641.

(14) En quæ tradit Bellarminus (*): „ Anno 1596. prodiit Francoforti novus libellus cum hoc titulo, *Synodus Pariſienſis de imaginibus anno Chriſti DCCCXXIV. (*) ex vetuſtiſſimo codice deſcripta, & nunc primum in lucem edita.* Hoc autem præſenti anno, cum mihi is libellus ab amico oſtenſus eſſet, animadverti continuo nec vere Synodum eſſe, nec ſcriptum luce dignum. Quare, ne forte inſcriptio fallat incautos, operæ precium me facturum exiſtimavi, ſi libellum breviſſime confutarem &c. „

(*) in eo opuſculo, quod iſcripſit *Refutatio libelli, qui falſo Synodus Pariſienſis* inſcribitur. (eſtque appendix addita tractatui *de cultu imaginum* pag. 757. tomi 2. controverſia. edition. Vene. an. 1603. *apud Societat. mini.*)

(*) editio, qua ego utor, habet 825.

ctam prodit, ementitamque ea Synodus, quæ nullum Synodi indicium, aut notam habet? Porro ea, de qua nunc agimus, ſynodus (ſi ad hunc modum appellare eam volumus) nullum Synodi indicium, aut notam habet; ergo &c. An Synodi conficiuntur, in quibus nulla convocationis mentio fit? in quibus nulli conduntur canones? in quibus nemo ſtatutis decretis ſubſcribit? in quibus denique non aliud continetur, niſi ſcripta quædam a Synodorum conſuetudine, atque edictionibus plane diſſita? Nimirum in eo libello, qui *Synodus Pariſienſis de imaginibus* inſcribitur, hæc continentur. Epiſtola Michaelis, & Theophili Imperatorum Orientis nomine ad Ludovicum Pium ſcripta. Teſtimonia ex veteribus Patribus collecta, quibus probatur, neque frangendas eſſe imagines ſacras, (quod faciebant Iconomachi) neque colendas, quod ſtatuerat Nicæna ſecunda Synodus. Tertio epiſtola Summi Pontificis nomine a Francis Doctoribus ad Orientis Imperatores ſcripta, qua docemur, neque injuria afficiēdas, neque colendas eſſe imagines. Quarto epiſtola Ludovici, & Lotharii Imperatorum Occidentis (*) ad Eugenium Pontificem ejus nominis ſecundū, qua eum hortantur, ut legationem in Græciam mittat ad pacificandam Eccleſiam. Quinto epiſtola (*) eorundem Imperatorum ad Jeremiam, & Jonam Epiſcopos, quos Romam ad ſummum Pontificem mittunt, eoſque inſtruunt, qua ratione cum Pontifice ſe gerant, ut eum ad ſuam ſententiam deducant. Hoc tamen ſcriptorum genere carent Concilia reliqua.

IV. Atqui etiam cum veritate pugnant eadem ſcripta. Sane ea epiſtola, quæ Michaeli, & Theophilo Orientis Imperatoribus tribuitur, Michaelem deſcribit virum eximiæ pietatis, & religionis. Quis tamen ignorat, hunc ipſum Michaelem ſceleſtiſſimum fuiſſe? (*c*) Iconomachorum profecto ſic erroribus addictus fuit, ut Copronymi nefaria exempla, & flagitia æmularetur. Alieniſſimum quoque a cæde Leonis, qui illum in imperio præceſſerat, arbitraberis, ſi huic epiſtolæ habes fidem: quippe qui ait (*d*) improborum quorundam conjuratione miſere necatum fuiſſe Leonem. Tamen conjurationis in eum excitatæ principem extitiſſe eundem Michaelem, teſtes lo-

(*) pag. 123.

(*) *mandatum* voca, ſi libet.

(*c*) Vide quæ tradūt Zonaras to. 2. li. xv. pag. 105. & 106. editionis Venetæ; Pariſiēſis vero 134. & 135. & Cedrenus par. 2. pag. 391. & 392. editionis Venetæ, Pariſienſis vero 496. & ſubſeq.

(*d*) *a quibuſdam improbis conjuratione in eum facta ſubito occiſus eſt.* (in ipſo fere initio epiſtolæ Michaelis, & Theophili ad Ludovicum Francorum Regem &c.)

locupletes ſunt ii hiſtorici, quos nuper adduximus. Pacis etiam cupidiſſimum credes, ſi eam tantum epiſtolam conſulas: quippe accurate diligenterque cauſas exponit, ob quas Eccleſia in varias factiones tũ ſcindebatur, nec remedia diſſimulat, quibus tanto malo occurrere Epiſcopi poſſent. At eorum diſſidiorum auctor is fuit: quippe Nicæni II. decreta non improbavit modo, & contempſit, verum etiam tollere prorſus, atque abolere ſtuduit, fallaceſque cauſas, cur id faceret, attulit; ut ſcilicet ſuperſtitionem per imaginum cultum inductam, & late vagantem e fidelium animis extirparet. Quis enim ſuperſtitioſos eſſe negabit ritus eos, qui ab eo deſcribuntur? (15) Quæ quidem omnia conficta plane, atque ementita agnoviſsent continuo Frãci: quum tamen in eodem libello enarretur, adeo his fidẽ eos dediſſe, ut ad Pontificẽ ſcriberent, ut illum ab Hadriani præceſſoris illius, & Nicæni II. ſententia averterent, & ad Michaelis partes pertraherent.

V. Quod quidem ſtudium pertrahendi Pontificem in Michaelis opinionem, eumque abducendi ab Hadriani Pontificis, & Nicæni ſecundi decretis, alterum minime leve argumentum nobis præbet, ut fictam cenſeamus eam, de qua agimus, Synodum, & ementita ea ſcripta, quæ illi adſcribuntur. An credibile eſt, adeo deſipuiſſe Epiſcopos illos, ut putarent, rece-

(15) *Primum quidem honorificas, & vivificas Cruces de ſacris templis expellebant, & in eadem loca imagines ſtatuebant . . . . . . ab iiſdem imaginibus auxilia petebant. Plerique autem linteaminibus eaſdem imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant. Alii vero religioſum habitum monaſticum ſumere volentes religioſiores perſonas poſtponebant; qui prius comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant, adhibitis imaginibus quaſi in ſinum earum decidere capillos illorum ſinebant. Quidam vero ſacerdotum, & clericorum, colores de imaginibus radentes, immiſcuerunt oblationibus, & vino, & ex hac oblatione poſt miſſarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manus imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli vero ſpreta Eccleſia in communibus domibus tabulis imaginum pro altaris utebantur, & ſuper eas ſacrum miniſterium celebrabant, & alia multa his ſimilia illicita, & noſtra Religioni contraria in Eccleſiis fiebant, quæ a doctioribus, & ſapientioribus viris ſatis indigna eſſe videbantur.* (*)

(*) pag. 10. epiſtolæ Michaelis &c.

cedere poſſe Pontificem a præceſſoris illius, & Concilii generalis antea approbati ſententia? (e)

VI. At quibuſnam tandē rationū momentis ad id Eugenium impellere ſe poſſe ſperant? Nimirum collectis undique, aggeſtiſque Patrum teſtimoniis, in quibus expreſſam perſuaſionem ſuam ſe adinveniſse arbitrantur. Age vero, expendamus illa, examinemuſque diligenter. Pars eorum quædam inutilis eſt ad id oſtendendum, cujus cauſâ affertur: pars altera retorqueri facile poteſt in eos ipſos, qui illa allegant; pars denique tertia eam habet metam, quam ſi ii aſſequuti fuiſſent, de Eccleſiæ cauſa conclamatum etiam fuiſſet. Nihil tamen nos cogit, ut eos Epiſcopos ſic deſipuiſse dicamus. Sed jam primum oſtendamus. An non inutile ad id oſtendendum, cujus cauſâ affertur, id eſt, quod ex libro Auguſtini de hæreſibus allegant? Simonem nempe Magum juſſiſse, imaginem ſuam, & Helenæ meretriculæ, quam deperibat, adorari, ideoque per imaginum cultum in Eccleſiam idololatriam irrepſiſse. (f) perinde quaſi indigerent fideles edoceri, idololatricum eſse cultum, qui creaturis, veluti Diis, defertur. Si eam ipſam adorationē, quā hiſce imaginibus adhibebant Simonis aſseclæ, Simoni ipſi, & Helenæ adhibuiſsent, in idololatriam pariter incidiſsent; ſi vero Chriſti imagini, eâ, quam Eccleſia ſervat, ratione præſtitiſſent, ab idololatria remotiſſimi fuiſsent. Sed fortaſse inutile id etiam eſt, quod ex epiſtola ab eodem Auguſtino ad Dioſcorum ſcripta deſumunt. (g) Diſputat ſcilicet Auguſtinus adverſus eos Philoſophos, qui viſionem noſtram perfici ajebant per imagunculas quaſdam a rebus excerptas, & in oculos noſtros illapſas, & ad animum uſque pervenientes: quorum quidem opinionem, quoniam notiſſima ea eſt, & luculenter a Lucretio deſcripta, (h) hic exponere omitto. Sed quid commune habent eæ imagines cum his, de quibus agimus?

VII. Quod ſi ad partē alteram teſtimoniorum convertamur, quæ ſcilicet diximus retorqueri facile poſſe in eos ipſos, qui illa allegant; an non apertiſſime in eoſdem Epiſcopos retorqueri poſſunt ea teſtimonia, quæ capite XV. adducunt? (*) Profecto manifeſto, & indubitate relativus imaginum cultus in iis approbatur,

(e) Sane jubentur Epiſcopi Romam miſſi omnē adhibere operam, ut Romanum Pontificem in Theophili, & Michaelis illaudabiles ſententias deducant. Vide mandatum Jeremiæ, & Jonæ Legatis datum pag. 125., & 126.

(f) pag. 20.

(g) Ibidem pag. 21.

(h) lib. 4. v. 26. & ſequ. Vide etiam quæ hoc ſuper argumento tradit Gaſſendus ſectio. 3 Phyſi. membro poſterio. lib. 7. cap. pag. 382. edit. Lugdu.

(*) pag. 61.

(16) & iis etiam difficultatibus occurritur, quas adverſus Catholicos Iconoclaſtæ urgebant: denique varia genera adorationis recenſentur, e quibus unum tantummodo (præſtantius ſcilicet, & elatius ceteris) Deo reſervatur. Ea vero dum recenſentur, haud obſcure approbatur Nicæni II. auctoritas; ex eo nempe referuntur eadem adorationis genera. (17) Retorqueri etiam fa-

---

(*) pag. 70.

(*) pag. vero 72. ex S. Stephano Boſtrorum Epiſcopo hæc allegantur.

(*) pag. 80. ex actione 1. de ſignificatione adorationis.

(16) Pauca ex pluribus adducimus, ne videamur in re apertiſſima tempus terere. Ex Epiſtola Baſilii ad Julianum Imperatorem hæc referuntur. (*) *Pro quo* [ut ſcilicet Maria Virgo, Sancti Apoſtoli, Prophetæ, & Martyres *propitiatorem efficiant miſericordiſſimum Deum, & remiſſionem facinorum obtineant nobis*] *& figuras imaginum eorum honoro, & adoro ſpecialiter hoc traditum tam a Sanctis Apoſtolis, & non prohibitum, ſed in omnibus Eccleſiis noſtris eorum deſignantes hiſtoriam.* (*) *De imaginibus Sanctorum confidimus, quoniam omne opus, quod fit in Dei nomine, bonum eſt, & ſanctum. Aliud eſt enim imago, & aliud ſimulacrum . . . . Omnis enim imago in nomine Domini, aut Angelorum, aut Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut Martyrum, aut juſtorum ſancta eſt; non enim lignum adoratur, ſed is, qui in ligno commemoratur, & contemplatus honoratur . . . Quid ergo? nunquid non debemus adorare Sanctos Dei ſervos, & propter memoriam eorum conſtituere, & erigere imagines, quod non obliviſcantur. Sed dices, quia ipſe Deus præcepit, & non adorare nos manufactos. Dic itaque, o Judæe, quale ſuper terram non eſt manufactum poſt facturam Dei. quid ergo? Arca Dei, quæ ex lignis ſethim fabricata eſt, atque conſtructa, non fuit manufacta? & altare, & propitiatorium . . . . non fuerunt ex operibus manuum hominum, quæ Salomon fecit? & cur Sancta Sanctorum vocantur manufacta exiſtentia? Ita Cherubin . . . . non fuerunt ſtatuæ, & imagines Angelorum opera manuum hominum? Et quomodo non abjiciuntur? . . . . Decet enim iis* (Sanctis) *honor, & adoratio, & commendatio . . . quæ enim eſt adoratio, niſi honor tantummodo? Sicut & nos peccatores adoramus, & ſalutamus nos alterutrum ſecundum honorem, & dilectionem. Etenim Deum noſtrum aliter adoramus, & glorificamus, & contremiſcimus.*

(17) (*) *Adoratio multis modis intelligitur. Eſt enim adoratio ſecundum honorem, & amorem, & timorem, ſicuti adorantur principes, & illorum poteſtas. Eſt alia adoratio timo-*

facile poſſunt in adverſarios ea, quæ de Cruce ajunt. Etenim Crux, ſive ex ære, ſive ex ligno, ſive ex materià alià fabrefacta, creatura quædam eſt, ideoque ſi imagines adorari vetant, quia nulla prorſus creaturis, ſed Deo tantum adhibenda eſt adoratio, Cruces quoque adorare prohibebimur. Cruces tamen adorandas eſſe fatentur, diſtringuntque, & damnant eos, qui Crucibus amotis imagines ſubſtituebant. Quid? nonne eæ Cruces, quæ in altaribus collocantur, & ad adorandum fidelibus proponuntur, imagines quædam, & figuræ ſunt Crucis, in qua Chriſtus pependit? Itaque ſi imagines coli nequeunt, Cruces non adorabuntur omnino.

VIII. Quod vero pars quædã teſtimoniorũ illorum ad eum collineet ſcopum, quem ſi illa afferentes aſſequuti fuiſſent, de Eccleſiæ cauſa conclamatum etiam fuiſſet, ex eo palam evincitur, quod Eccleſiæ auctoritas prorſus rueret, ſi poſtquam generale Concilium a Pontifice approbatum fuit, peculiarique decreto firmatum, diſputari rurſus poſſet de eo dogmate, quod Concilium illud definivit. Tamen id fieri optant Epiſcopi illi, dum a Romano Pontifice expoſcunt, ut cultum ſacris imaginibus demat, quem quidem cultum iis adhibendum eſſe docuerant Concilium Nicænum II. & poſt illud, Hadrianus Romanus Pontifex.

IX. Sed age: hæc ipſa prætereamus: fraudis ſane, ſuppoſitioniſque argumenta eſse ſolent teſtimonia amputata, & corrupta. Porro ii, qui ementito Synodi Pariſienſis nomine, varia teſtimonia collegerunt, ut incautis eo apparatu illuderent, teſtimonia, quæ afferunt, detruncant, eamque reſecant partem, quæ imaginum cultui favet. An non vera

 elo-

timoris proprie, ſicut Jacob adoravit Eſau. Eſt iterum adoratio ſecundum gratiam, ſicut Abraham propter agrum, quẽ accepit a filiis Seth in ſepulturam Saræ mulieris ejus, & adoravit eos. Eſt iterum adoratio, cum creditur aliqua proteſtio adipiſci a ſupereminentibus, ſicut Jacob Pharaonem. Eſt vera, & certiſſima adoratio, quæ ſoli debetur omnipotenti, & Divinæ Majeſtati, ſicut dicit Scriptura: (*) Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. *Hanc autem adorationem ad nullam Creaturam licet transferre, nec in manufactis immutare.*

(*) Deute. 6. 13. & Matth. 4. 10.

eloquor? Allegatur (*) Sanɫi Gregorii epiſtola ad Januarium, (*i*) in qua vehementer reprehendit nonnullos, qui Beatæ Virginis imaginem, & Dominicam Crucem ad Judæorum Synagogam detulerant, & Januario Epiſcopo præcipit, ut ſublatam ex eo loco, eâ, qua par eſt, veneratione imaginem, atque Crucem in Eccleſiam referat. Hi tamen boni Collectores ea, quæ de imagine S. Gregorius præcipit, ſilentio premunt, & Crucis tantummodo mentionem faciunt: ne ſcilicet ex ipſo Gregorii teſtimonio innoteſcat, veneratione dignam exiſtimatam fuiſſe imaginem a S. Gregorio. (*)

X. His accedat altera, eaque non levis ſuppoſitionis nota, quam præbet elocutio, qua uti fingitur Romanus Pontifex. Barbara ea eſt, implexa, imperita, obſcuriſſima, adeo ut rectum in ea ſenſum fruſtra requiramus. Ita etiam Gregorii Magni ſententiam exponit, ut illam obſcuret & vel nullum, vel fortaſse etiam Iconoclaſticum ſenſum illi appingat. An ita decet Romanum Pontificem Imperatori ſcribere, & hac ratione de Eccleſiaſticis rebus illum inſtruere? At non minus Romanum Pontificem dedecet ad eumdem Imperatorem iis verbis ſcribere, quibus illum Eccleſiæ principem, præſidemque fateatur. At hæc conſcribere fingitur ad Michaelem, ac Theophilum Græcorum Imperatores Romanus Pontifex. (*k*) *O venerandi Mundi Principes, cum univerſa ſancta Dei, quam Domino diſpenſante, & committente gubernatis, Eccleſiâ* En quibus momentis innititur opinio eorum, qui cenſent, aut certo ſuppoſitam eſse eam Synodum, aut ſaltem ſuſpicari nos jure, meritoque poſse, tam eam Synodum, quàm ſcripta illa, quæ eidem Synodo tribuuntur, conficta eſſe, atque ementita.

(*) cap. 2. pag. 64., & 65.

(*i*) hæc 5. eſt libri 7. Epiſtolarum indicti. 2.

(*) In editione, quam ego habeo, reſpondet pag. 64. at Bellarminus (cap. 4. pag. 761.) eam Gregorii epiſtolam allegat ex pag. 87.

(*k*) pag. 116. ſub hoc titulo: *Conſilium*.

CAP.

CAP. XXIII.

Quibus rationum momentis refellatur ea opinio, quam ſuperiori capite retulimus.

I. TEmporibus tamen noſtris paucos habet ſuffragatores opinio hæc. Neque confictam eam, de qua diſſerimus Synodum, neque ementita ea eſſe ſcripta, quæ huic tribuuntur, omnes fere nunc putant, his quidem permoti argumentis. Vera eſſe præcipua, quæ in hac collectione narrantur, ac præſertim quæ de Græcorum legatis ad Ludovicum Imperatorem miſſis, & ab eo ad Romanum Pontificē, conſultationis cauſa, directis, ſatis aperte ſignificant hiſtorici eorum temporum, atque in primis Annales Ludovici (*a*). En quæ illi tradunt. ,,Imperator (Ludovicus) acceptis, quos perſido Brittonum populo imperaverat obſidibus, Rotomagum Civitatem.... reverſus eſt. Nam & illuc Legatos Michaelis Imperatoris ſibi occurrere juſſerat, cum quibus & Fortunatus Patriarcha Gradenſis regreſſus, ad ejus præſentiam venit. Sed legati Imperatoris literas, & munera deferentes, pacis confirmandæ cauſa ſe miſſos eſſe dicentes, pro Fortunato nihil loquuti ſunt. Inter cetera tamen ad legationem ſuam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ ſe Romam ire, atque Apoſtolicæ ſedis præſulem conſulere debere dixerunt. Quos cum Legatione eorum audita, ac reſponſo reddito abſolveret, ut ſe velle dicebant, Romam ducere juſſit. ,, Affinia diſcimus ex Aimoino Monacho. (*b*)

II. Scripta vero ipſa, quæ eidem Synodo tribuuntur, haud falſo illi fuiſſe adſcripta, his quidem indiciis innoteſcit. Eorum temporum orthographia, atque elocutio in iis manifeſto elucet. Quis enim tempo-

[*a*] ad annum 824. Integro horum Annalium exemplari deſtitutus, hæc exſcripſi ex fragmento præpoſito libello, de quo hic agimus, qui ſcilicet inſcribitur *Synodus pariſienſis de imaginibus &c.*

(*b*) Hujus librum iv. *de geſtis Francorum* cap. 92. legas opto. Hunc quoque Scriptorem ex eodem libello, *qui Synodus pariſienſis* inſcribitur, allego.

poribus noſtris nomina *Ludovicus*, *Lotharius*, & *Irenes* (ſeu *Irænes*) hoc modo ſcribat *Hludovicus*, *Hludarius*, *Herena*? Tamen in titulo ipſo epiſtolæ illius, quā Synodus ad Imperatores Ludovicum, & Lothariū ſcripſit, ſic duo priora nomina deſcribuntur: (c) mox vero *Herena* vocatur celeberrima Græcorū imperatrix Irenes. (*) Quis honeſtiſſimo aliquo titulo decorare Pontificem cupiens, *Almitatis* titulo eum decoret? Atqui in ea epiſtola, quam ad Pontificem Ludovicus, & Lotharius ſcribunt, ſic eum rogant. *Ideo rogamus, ut almitas veſtra*. (*) Sane Anaſtaſius Bibliothecarius non raro *almificos* eos Pontifices appellat, quorum geſta deſcribit, vocabulo derivato ex voce *almus*, affinique voci huic *Almitas*. At Sæculo XVI. quo confiсta eſſe ſuſpicaris hæc ſcripta, voces hæ inuſitatæ prorſus erant. Quis etiam phraſes alias his ſimillimas, quæ ſæculo octavo, nono, &, ſi vis, decimo, aut undecimo in uſu fuere, tam callet, ut effundere eas tam crebro in aliquo libro poſſit, ut lectoribus fucum faciat? His adde opuſcula principio, & fine carentia, periodos detruncatas, & deficientibus non paucis vocibus obſcuriſſimas, & ſenſus expertes? Nonne hæc vetuſtatis horum ſcriptorum, injuriarumque, quas a temporis edacitate paſſa fuere, indubitata ſunt argumenta?

III. Quod ſi hæc ab hæreticis ſæculi ſextidecimi tanta diligentia, ſolertiaque elaborata eſſe vis, ut imitati ſint prorſus ſæculi octavi locutiones, & phraſim; dic amabo, cur ab hæreticis ea ſcripta confiсta eſſe vis? An metuis iiſdē ſcriptis eorū cauſā juvari? At enī vero multo plus illis nocent, quàm eos juvent ſcripta hæc: etenim tametſi multa in eis collecta ſint Patrum teſtimonia, quibus quidem imaginum cultus reprobari videtur, & rejici, refertiſſima tamen etiam ſunt teſtimoniis aliis, quæ eidem cultui apertiſſime favent. In horum numero recenſeri haud dubie debet major pars eorum, (*) quæ comprehenduntur capite XV., ex quibus capite proxime ſuperiori nonnulla ſelegi, quæ hic recole, ſi tu vis. Nimirum in his expreſſiſſime approbatur cultus, qui ita imaginibus adhibetur, ut non in iis ſiſtat, ſed ad prototypum tranſeat. (*)

IV. At age, alia adjungamus. Favetne hæreticorum ſæculi XVI. opinionibus liber ille, qui manifeſto

nos

(c) *Excellentiſſimis, ac Victorioſiſſimis, Deoque amabilibus Auguſtis Dominis Hludovico, & Hludario Sereniſſimis Imperatoribus.*

(*) *quam pridem pro imaginibus erigendis Conſtantino Imperatori, & Herenæ matri ejus &c.* (pag. 1.)

(*) pag. 114. Id ipſum antea dictum erat iis verbis. *Ad veſtræ almitatis præſentiam.* Rurſus antea in epiſtola Ludovici nomine ad Pontificem ſcripta idē vocabulum haud ſemel occurrit. *Ab hinc vero, ſi a Deo conſervanda almitas veſtra* (pag. 98.) *Quid almitati veſtræ de tanta neceſſitate &c.* pag. 99.

(*) pag. 61.

(*) *quoniam imaginis honor ad primam formam tranſit* Baſili. ad Amphilo. pag. 69. *Athanaſius &c.*

nos docet, Romanam Sedem illibatam prorſus, & erroris expertem eſſe? qui tradit, a Romano Pontifice repreſſos jugiter fuiſſe errores omnes, defenſamque, ac ſtabilitam veritatem? qui ſignificat, diſcordias quaslibet, & diſſidia inter Fideles excitata ab eodem Romano Pontefice fuiſſe ſublata, pacemque reſtitutam: ad quem proinde veluti æquiſſimum, & ſupremum Judicem, & univerſalem Patrem, ſeu Papam, & Epiſcopis reliquis præſtantiorem confugiant oportet Chriſtiani, conſilii, & diſcendæ veritatis cupidi, ideoque etiam pergere debuiſſent legati ab Imperatore Theophilo miſſi? cui quidem Romano Pontifici ſe ſe ſubmittit Ludovicus, & coacta ex Galliarum Epiſcopis Synodus, quæ ejuſdem Pontificis auctoritate convocata etiam fuerat, quæque non pauca veterum teſtimonia collegerat, (e quibus plurima imaginum cultui mirum in modum favent) ut ad ea animadvertens Pontifex, promptius dirimeret litem, quæ rurſus in Oriente circa imaginum cultum exorta erat.

V. Porro hæc in eo libro tradi ſic ſtatim oſtendo. In ea epiſtola, quam fatentur omnes compoſitam fuiſſe a Galliarum Epiſcopis in ea Synodo coactis, ut Romani Pontificis nomine *ad Michaelem, atque Theophilum Imperatores Græcorum* mitteretur, ſic Pontifex ſcribens inducitur (*d*): *Apud omnes igitur hujus Sanctæ occidentalis Eccleſiæ, quæ ſe auctoritate beatorũ Apoſtolorum Petri, & Pauli, largiente Domino fidei, ſpei, & caritatis ſumpſiſſe exordiũ gloriatur, ita hactenus per eoſdẽ Apoſtolos protegente Spiritu Sancto, & ipſis intercedentibus, ac protegentibus ab omni hæreſi inlibata nunc uſque conſervata eſt, ut non ſolum ipſa ad quodlibet erroris diverticulum minime declinaret, ſed potius omnes a rectæ fidei tramite quoquo modo deviantes, per orthodoxos eorumdem ſucceſſores toto orbe terrarum ad rectitudinem potius revocaret. Teſtis enim hujus rei non quilibet angulus, ſed orbis terrarum univerſus, quia quotiens tales per Mundum perceptiones* (*e*) *motæ ſunt, quæ ad periculum fidei univerſalis Eccleſiæ imminere putabantur, ob inveniendam, inventamque conſervandæ Catholicæ fidei veritatem ſemper hoc univerſalis Eccleſia ob præſente hujus ſanctitatem ſedis pontifice, aut certe cum conſenſu illius, verbis, vel litteris porrecto corrigere, porrectumque ad conſervandum ſtatuere conſuevit. Simili modo etiam & in his, quæ ad con-*

(*d*) pag. 101.

(*e*) fortaſſis legendũ eſt *perſecutiones*: tamen legi adhuc poteſt *perceptiones*: falſis ſcilicet perceptionibus, & a veritate Catholica deviis obſtitêre Pontifices.

conſervandum in humanis actibus ejuſdem Eccleſiæ incontaminabilem ſtatum moderante, non qualibet doloſa, vel ſophiſtica, nec non duplici calliditate, ſed veritate ſubnixa ſimplici ratione, ipſaque diſcretione, honeſtate, utilitate pariter inradiata ratione, non ſolum noxia, vel nociva, verum quoque & ipſa ſuperflua, & non neceſſaria reſecare conſuevit, & ea, ut prædictum eſt, quæ ad ſalutem totius Eccleſiæ pertinere, & inſuper merito cavere non debuiſſet, differendo, & ordinando ſancire ſolita fuit, & hoc non tantum modo de cauſa fidei, vel ſicut præmiſſum eſt, de ſtatu humani generis, vel curſu rectitudinis, verum quoque de omni diſſenſione in Sancta Dei Eccleſia, quæ pacem illam turbare videbatur, quam Dominus Apoſtolis, & per Apoſtolos nobis omnibus vicariam præſentiæ ſuæ dereliquit dicens; (*) Pacem meam do vobis, pacem meã relinquo vobis. *Ubicunque per quodlibet pietatis argumentum pertingere potuit ſemper hujus ſanctæ ſedis Vicarii Apoſtolorum quædam mulcendo, quædam vero, ſi ita res popoſciſſet, ſublimi, ac veneranda auctoritate, ut dignum erat, docendo, pariterque prædicando ad pacis concordiam revocare ſtuduit.*

(*) Joan. 14. 27.

VI. In epiſtola vero priore ad Romanum Pontificem a Ludovico Imperatore ſcripta, (*) (quam quidem epiſtolam Legatis ipſis Romam miſſis fuiſſe traditam plerique putant) ea verba extant, quæ cum ad rem præſentem mirifice pertineant, ea hic exſcribere operæ pretium reor. *Unde ſicut dignum, & vere dignum, & juſtum eſt, ut præeunte Spiritus Sancti virtute, ille inter eos in nomine Domini talia correcturus, & ad viam veritatis ſanctiſſimo moderamine reducturus primus in hominibus arbiter occurrat, quem Deus omnipotens in ſede Apoſtolica collocare, eorumque Vicarium eidem Sanctæ ſuæ Eccleſiæ dare dignatus eſt, & ob hoc ei nomen ſpeciale in toto orbe terrarum ab eadem Sancta Dei Eccleſia præ omnibus Pontificibus decretum eſt, ut ſolus non ſua abuſione, ſed tantorum Apoſtolorum auctoritate* Univerſalis Papa *dicatur, ſcribatur, & ab omnibus habeatur. . . . . Et cum univerſus ei* (f) *Eccleſiaſticus merito obviare debeat, nullas tamen ſub hac conditione majori conſtringitur debito, quàm ille, qui tanto in ſede Apoſtolica illorum auctoritate pro eorum reverentia in univerſali Mundo, ac tali honorari meruit privilegio.*

(*) pag. 97.

(f) ideſt diſſidio, *de imaginum cultu* in Eccleſia exorto.

Qui

Qui tamen univerſalis *merito non dicitur, ſi pro univerſali Eccleſiæ ſtatu, viribus, quibus valet, non agonizatur. Hæc, Domine Pater, ac toto Mundo venerande, atque reverende Sanctiſſime Pontifex, ad inſinuandam in tanta re mentis noſtræ devotionem præmittere ſtuduimus. Ab hinc vero ſi a Deo conſervanda Almitas veſtra ita elegerit, non inſinuando, ſed admonendo, qualiter communis legatio noſtra ad illam Sanctam Dei Eccleſiam corrigendam* [g] *dirigi poſſit, ſubnectere curabimus, non ut ſanctæ, & a Deo datæ Sapientiæ veſtræ, quod abſit, altius, ſublimiuſque progrediendi terminum ponere præſumpſerimus; ſed ne id, quod exinde nobis omnipotentis Dei omnipotenti miſericordia ad obſequium veſtrum, ſalutem noſtram conferre dignata eſt, ſilentio tegeremus, ſicut filium decet, patris in gremio examinis veſtri, collocavimus, confiſi in Domino, quod ipſe vobis exinde, quod ſibi placitum, & acceptabile eſt, inſpirare dignabitur. Nos tamen non Synodum congregando, ſed quemadmodum a vobis poſtulavimus, licentiamque agendi percepimus, una cum familiaribus noſtris filiis veſtris . . . conſiderare ſtuduimus, quid Almitati veſtræ de tanta neceſſitate ſignificare potuiſſemus, qualiter idem populus a Deo per veſtram conſervandus orthodoxam Sanctitatem, ad veram concordiam revocari potuiſſet, ut vera pace conglutinari, & in hoc, & futuro ſæculo omnium Domino placere potuiſſent. Et quidquid exinde ſalubre, Domino inſpirante, invenire potuimus, Paternitatis veſtræ per præſentes filios veſtros, fratres noſtros quædam dictis, quædam ſcriptis intimando direximus.*

(g) de Græca ſeu Orientali Eccleſia procul dubio tum loquitur.

VII. Non ſolum autem ex verbis illis: *Nos tamen non Synodum congregando, ſed quem ad modum &c.* quæ quidem nuper attulimus, ſed ex aliis etiam expreſſius conſtat, & Synodum illam Pontificis auctoritate fuiſſe coactam, & illi ſubmiſſa fuiſſe ea, quæ Epiſcopi collegerant, teſtimonia. Quid enim apertius dici poterat iis, quæ mandatum Hieremiæ, & Jonæ, Ludovici legatorum ad Pontificem miſſorum continet? Ecce illa. (h) *Quia enim, ut noſtis, nos ab eo petere voluimus licentiam, quatenus has collectiones a ſacerdotibus noſtris fieri permitteret; & ideo non poterit prætermitti, quin oſtendatur, quod ex ipſius permiſſione collectum eſt.* (i) Eodẽ ſpectat ea Ludovici ad Eugenium Papam epiſtola, ex qua

(h) pag. 125.

(i) pag. 123.

qua pauca quædam deinceps delibabimus. Et de argumentis, quibus prior ſententia rejicitur, dicta ſint ſatis: nam quod attinet ad Patrum teſtimonia imaginū cultui faventia, & ab eâdem Synodo allegata, ea deinceps recenſebuntur.

CAP. XXIV.

Aggredimur argumenta Capite XXII. adducta.

I. SEd efficacius adhuc eadē ſententia rejicitur, ſi argumenta illa diſſolvas, quibus illa fundatur. Id pertentabo ſane, eum ſecutus ordinē, quo eadē argumenta propoſita ſunt. Nullum ais Synodi indicium, aut notā adinveniri in iis ſcriptis, quibus *Synodi Pariſienſis* titulus præfigitur. Quid ſi dicam, id minime neceſse fuiſſe, cum vera Synodus ea non fuerit, in qua de dogmate aliquo, vel de Eccleſiaſtica controverſia ad veterum Canonum Leges, & conſuetudines aliquid ſtabiliretur, definireturque: ſed ideo Synodus appellata fuerit, quod non pauci Epiſcopi permittente Romano Pontifice, & jubente Ludovico Imperatore propere collegerint quædam Eccleſiaſtica monumenta, ut ea expenderet Romanus Pontifex, & ſic facilius Græcis Legatis ſatisfacere poſſet, quibus quidem adjuncta ſunt alia, quæ ad eandem pertinent cauſam? Id non temere pronunciabo, ſed iis innixus, quæ ex ſecunda Ludovici Imperatoris ad Romanum Pontificem epiſtola didici. Ecce illa (*). „ Id circo „ prætermittere nequivimus, quin (*a*) tunc, quando „ Legati Græcorum nobis manifeſtaverunt, qualem „ ad vos deberent perferre legationem, ſumma cura, „ ac ſollicitudine tractaremus, quale vobis adjutorium „ in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuiſſemus. Et ob hoc a veſtra Sanctitate petimus, ut

„ ſa-

[*] pag. 123.
(*a*) fortaſſis legendum eſt, *quia tunc*.

„ Sacerdotibus noſtris liceret de libris Sanctorum
„ Patrum ſententias quærere, atque colligere, quæ
„ ad eandem rem, pro qua idem Legati vos conſulturi
„ erant, veraciter definiendam convenire potuiſſent.
„ Quas cum illi juxta conceſſam etiam a vobis li-
„ centiam ſolerter inquirerent, & divina opitulante
„ gratia, quidquid invenire tam brevi temporis ſpatio
„ potuerunt, collegiſſent, nobis ea perlegenda dire-
„ xerunt. Quibus perlectis, ea veſtræ Sanctitati le-
„ genda, atque examinanda per hos legatos noſtros,
„ Hieremiam ſcilicet, & Jonam, venerabiles Epiſco-
„ pos mittere curavimus. „

II. Quid etiam, ſi dicam, periiſſe non levem partem monumentorum ad Synodum hanc pertinentium, ut propterea mirari nos minime oporteat, ſi tempus expreſſiſſimum, quo Synodus illa celebrata eſt, ignoretur, & deſint multa ad convocationem ſpectantia? Reſecta fuere ſane, aut certe temporum injuriâ periere non pauca ex ſcriptis, quæ Synodus illa, & Ludovicus Imperator condiderant. Atque his quidem priorem probationem facile diſſolvimus. Venio ad alteram.

III. Cũ veritate pugnare ea, de quibus agimus, ſcripta, minime aſſentior. Michaelẽ illũ Græcorũ Imperatorẽ, qui epiſtolam ad Ludovicum Latinorum Imperatorem ſcripſit, haud multa pietate præditum fuiſſe, libentiſſime fateor. At novum ne eſt, ut ſub ovina pelle Lupus contegatur, & lateat? Sane eum ſummo ſtudio curaſſe, ut principio impietatem obtegeret ſuam, ex hac Cedreni narratione conſtat; (*b*) „ Ceterum ad Mi-
„ chaelũ imperio ita potitũ, reſque ſuo arbitratu con-
„ ſtituentem, Nicephorus nobilis Patriarcha epiſtolam
„ mittit, petens eâ ſacrarum imaginum inſtauratiorẽ,
„ & pietatis revocationem. Reſpondet Michaelus, ſe
„ neque ullum decretorum de fide convellere ſtatuiſſe,
„ neque etiam quicquam eorum, quæ tradita jam, &
„ confeſſa haberentur, damnaturum, vel mutaturum:
„ quivis ſecure id ſequeretur, atque ageret, quod ſibi
„ probaretur, atque liceret. Similia tradit Zona-
„ ras. „ (*c*) At neque omnino pravitatem ſuam occuluit: quippe ſemina quædam haud dubia ſparſit, quibus merito conjicere poſſis, ab impii Copronymi ne-

(*b*) pag. 391. editio. Venetæ pari. 498.

(*c*) to. 2. pag. 106. & 107. editionis Venetæ: pariſien. 135.

ſariis erroribus haud multum abſuiſſe. Sex quidem priores generales Synodos excipit, commendatque, at Nicænam II. præterit: Sanctos pro nobis intercedere fatetur, eorumque reliquiis venerationem delatam approbat (18); Imaginibus tamen adhibitum cultum minime approbat, immo cauſas non paucas adducit, cur eundem cultum oderit: ſuperſtitioſum quippe a ſe judicari, haud obſcure ſignificat, et apertiſſime Sacerdotibus iis ſe favere teſtatur, qui in Concilio coacti vetuere, coram imaginibus lucernas accendi, & thus adoleri: (19) Atque his ſane indiciis quid de imaginibus adhibito cultu ſentiret, innoteſcere facile poterat.

IV. Verum, ut reliqua in eadem objectione comprehen-

(18) „ Poſtulantes interceſſiones, & interpellationes inviolatæ dominatricis noſtræ Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum. Glorioſas autem, & Sanctas reliquias eorum, cum fide veneramur, & quidquid aliud a beatiſſimis Apoſtolis traditum, & a Sanctiſſimis Patribus in eiſdem ſex Synodis conſtitutum eſt, & confitemur, & tenemus. (*)

(*) pag. 12. epiſt. Michaelis, & Theophi. ad Ludovi.

(19) „ Sed & hoc veſtræ Chriſto amabili dilectioni manifeſtamus, quia multi de Eccleſiaſticis, ſeu & laicis viris alieni de Apoſtolicis traditionibus facti, & neque paternos terminos cuſtodientes facti ſunt inventores malarum rerum. Primùm quidem honorificas, & vivificas Cruces de Sacris templis expellebant, & in eadem loca imagines ſtatuebant, ponebantque lucernas coram eis, ſimul & incenſum adolebant, atque eas in tali honore habebant, ſicut honorificum, & vivificum lignum, in quo Chriſtus verus Deus noſter crucifigi dignatus eſt. . . . Propterea ſtatuerunt orthodoxi Imperatores, & doctiſſimi Sacerdotes locale adunare Concilium ad inquiſitionem ſuper his habendam, qui in id ipſum convenerunt Sancto Spiritu inſpirante. Talia ubique communi conſilio fieri prohibuerunt, & imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, & eas, quæ in ſublimioribus locis poſitæ erant, ut ipſa pictura pro ſcriptura haberetur, in ſuis locis conſiſtere permiſerunt, ne ab indoctioribus, & infirmioribus adorarentur, ſed neque eis lucernas accenderent, neque incenſum adolerent, prohibuerunt. (*)

(*) Ibidem pag. 9.

henſa aggrediar, non adeo exploratum, compertumque eſt, quem ad modum hic dicitur, Conjuratorum principem, auctoremque cędis Leoni Imperatori illatæ fuiſſe Michaelem: neque enim deſunt, qui ab objecto hoc crimine (ſi ita appellare eam necem vis) excuſent. Dixi, *ſi crimen appellare eam necem vis:* indicat enim haud obſcuris verbis Zonaras divino juſſu id illi fuiſſe indictum. Audite quæ Zonaras ſcribit. (*d*) *Miſer homo* (Leo) *obſurduerat, Deumque laceſſere pergebat. Eſt & Sanctus Taraſius jam ex hac ærumnoſa vita translatus cuidam in ſomnis viſus, qui Michaelem quendam inclamaret, eumque ad invadendum, & occidendum Leonem hortaretur.* At fac ſine ullo cæleſti juſsu auctorem necis Leoni illatæ fuiſſe Michaelem. Negare id ille poterat, ſeque hac ratione purgare apud Ludovicum in Occidente poſitum, cujus nihil, aut certe parum intererat, utrum Michael, an Leo, Græcorum potiretur imperio.

V. Majorem fortaſſe expoſcunt operam ea, quæ ſequuntur: Itaque tam et ſi ex his, quæ nuper diximus, dilui facile poſſent, volo tamen hoc in argumento abundare, minutiuſque, ac ſolertius id ſolvere, quod ex Michaelis, & Theophili epiſtola deſumpſerunt. Nempe ementita eſſe ais, quæ de ſuperſtitioſis quibuſdam ritibus, quos imaginum cultores in Eccleſiam induxerant, in ea epiſtola narrantur. Ementita eſſe fatebor & ego, ſi tu vis, nec propterea dicam, potuiſſe eum dolū percipi, detegique a Gallis Epiſcopis: quippe eos, uti crebro diximus, a Nicæni II. decretis, ſtatutiſque alienaverat peſſima interpretatio ejuſdem Nicæni Concilii: facile vero in crimen aliquid, erroremque lapſos credimus eos, a quibus noſter alienus eſt animus. At dic, obſecro, unde ementita ea eſſe probas? An quia ea traduntur, quæ minus veriſimilia tu cenſes? His tamen affinia, ex parte etiam ipſiſſima de Græcis tradunt probati auctores, e quibus hic unum ſeligo Pantaleonem, egregium latinorum dogmatum, ac rituum vindicem. (*e*) Hic ſane in eo tractatu, quem adverſus Græcorum errores edidit, hęc de effuſo, ſuperſtitioſoque a Græcis adhibito imaginibus cultu ſcribit. „ Nam quod in magno „ Conſtantini Palatio diligentiſſime obſervatur, hoc

lati-

(*d*) to. 2. libro 15. §. 21. pag. 105. editio. Vene. 133. Pariſien.

(*e*) Extat illius tractatus tomo 27. Biblio. Patrum Lugdu. pag. 589. in Biblioth. vero Pariſ. tomo 4. pag. 1265. at hæc, quæ allegantur, habes in editio. Lugd. pag. 610. in pariſ. pag. 1308. Vide etiam §. poſtremum hujuſce tractatus. *Quod ego Panthaleon. &c.*

„ latinos facientes coarguunt. In Eccleſia utique
„ dicti Palatii, ubi Sanctæ conſiſtunt Reliquiæ, San-
„ ctæ Dei Genitricis Imago poſt altare ſita, quam
„ quodam excellentiæ privilegio vocant *Dominam*
„ *Domus*, ſtatim a capite jejunii, in conclavi claudi-
„ tur uſque ad Magnum Sabbathum; panno illius
„ portæ operiuntur . . . . . Sanctæ Dei Genitri-
„ cis Imaginem, ut Filios parturiat, compellunt, ea-
„ que mediante, ipſam Domini Matrem, ut comma-
„ ter fiat, accerſunt hoc modo. Imagini Sindonem
„ connectunt; ut baptizatum puerum de manu Sacer-
„ dotis, ipſa ut commater, accipiat. Quam ſuper-
„ ſtitionem a ſe fieri ſermone profitentur. Sed quid
„ imago loquatur, aut fidem ſpondeat pro puero, aut
„ teſtimonium reddat Baptiſmi, niſi Deum contem-
„ nat, quis audeat aſſerere? Nullam ſuperſtitionis
„ ſpeciem volentes omittere, & vivos fratres haben-
„ tes odio, Sanctos per ſuas imagines invitos ſibi fra-
„ tres faciunt . . . . Cerei ad minus accendun-
„ tur duo, & perungitur oleo fictus frater, & ſan-
„ ctam amplectitur imaginem, quam auſus eſt dicere
„ fratrem.

C A P. XXV.

Speraſſe quidem Galliarum Antiſtites, ſeu, ſi vis, Ludovicum Imperatorem a Nicæni II. atque Hadriani anteceſſoris illius ſententiâ ſe poſſe Eugenium abducere: at ut id aſſequerentur, callida, ſed non inhoneſta conſilia adhibuiſſe.

I. VEnio nunc ad potiſſimam ſuſpicionis cauſam ex ea petitam, quod ſperarint Galliarum Antiſtites in ea Synodo coacti, Romanum Pontificem a Majorum illius, Gregorii II. Hadriani quoque, atque adeo OEcumenici Concilii a Romano Pontifice

jam

jam approbati decretis, definitionibuſque removeri poſſe, atque abduci: id vero ut aſſequerentur, non levem impenderint iidem antiſtites operam. At memineritis, volo, eam, de qua tunc agebatur, controverſiam, a Gallis Epiſcopis inter eas fuiſſe enumeratam, quæ *ſalva Caritate*, & *Fide* in utramque partem defendi poſſunt. (*) Nimirum exploratum nondum erat, Nicænam II. Synodum expreſſe approbatam fuiſſe a Romano Pontifice. (*a*) Sane diu etiam poſt Hadrianum, ideoque poſt potiſſimum hujuſce cultus defenſorem, Romani Pontifices inter OEcumenicas Synodos viſi ſunt Nicænam ſecundam non enumeraſſe. Nonne Nicolaus I. ſex tantum Generales Synodos enumerat? (*b*) *Auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli* (inquit ille) .... *atque venerandorum ſex univerſalium Conciliorum, omni clericatus officio exutus &c.* Rurſus ad Adonem Viennenſem reſcribens, ab eo tantum efflagitat, ut ſex generales ſynodos ab ſe excipi, approbarique fateatur? (20) Nicolai exemplum ſequitur Hadrianus II. etenim Carolo Calvo ſcribens (*c*), ſex tantum univerſales ſynodos recenſet. (21) Enimvero Romani Pontifices nunquam Gallos compulere, ut eandem ſynodum, ejuſque decreta exciperent: Quod ex multis quidem monumentis innoteſcere poteſt, ſed unum proferre hic libet; epiſtolam ſcilicet Anaſtaſii Bibliothecarii; (*d*) qua Synodum hanc Latinam a ſe factam ad Joan-

(*) *Salva per fidem, ſpem, & caritatem Eccleſia* (in epiſtola *nomine Romani Pontificis ad Michaelem &c.* pag. 103.)

(*a*) Vide quæ tradit hoc de argumento Natalis Alexander §. 8. pag. 792.

(*b*) Vide Nicolai I. epiſt. 7. pag. 1309. tomi IX.

(*c*) epiſt. 34. tomo X. pag. 443.

(*d*) To. VIII. pag. ſeu col. 676.

---

[20] *In petitione Pallii annuimus. Verum tamen iſtius modi occaſione nacta, non fuerat poſtulatio veſtra implenda, niſi recenſita intentione directa Scriptura cognoviſſemus, vos per omnia tenere velle, quod Sancta dogmatizat Eccleſia, ideoque volumus, pariterque Sanctitatem veſtram rogamus, ut ſub omni celeritate dirigatis, qualiter vos de ipſa quinta, & ſexta Synodo ſentiatis.* (*)

(21) *Sed de his nihil audemus judicare, quod poſſit Nicæno Concilio, & quinque ceterorum Conciliorum regulis, vel decretis noſtrorum anteceſſorum obviare. At de his, quod præfati Canones, & decreta decernunt, ipſique cum ipſis una vobiſcum congregati, cum noſtro Spiritu ſimiliter decernimus, & quod ſtatuunt, ſtatuimus, & quod judicant, judicamus.*

(*) quoniam epiſtolâ ipsâ careo, eam allego ex Natali Alexand. diſſer. 6. in ſæcu. VIII. §. 8. pag. 792. editio. pari. an. 1699.

annem Pontificem dirigit. *Quæ enim* (inquit illa) *ſuper venerabilium imaginum adoratione præſens ſynodus docet, hæc & Apoſtolica Sedes veſtra, ſicut nonnulla conſcripta innuunt, antiquitus tenuit, & univerſalis Eccleſia ſemper venerata eſt, & hactenus veneratur, quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum eſt harum utilitas revelata*. An vero putas, id neglecturos fuiſse Romanos Pontifices, ſi inter Generales Synodos ſtatim enumerata fuiſſet Nicæna ſecunda? Hinc ſi eam Synodum Adrianus I. approbavit, privato, non ſolemni, publicoque judicio id egiſse ajebant Galli.

II. Eandem porro extitiſſe rationem ajunt multi, ob quam Romana ipſa Eccleſia in ſuis ſcriniis eam Synodum latina interpetatione donatam minime haberet, cum tamen octavam Synodum ſervaret. Id ſane Anaſtaſium Bibliothecarium compulit, ut eam quoque latine redderet, (22) vetere interpretatione neglecta, quæ nec integra, nec proba erat. Quamquam idem Anaſtaſius Bibliothecarius minime diſſimulat, quędam accidentalia, ut ita appellem, in ea Synodo approbari a Græcis, quæ Latini non excipiunt. En cur Gallicani Antiſtites ſpem concipere animo potuere, fore, ut a Nicæni II. decretis nonnihil deflecteret Eugenius; cur etiam ſibi in animum induxere, eundẽ Romanũ Pontificem hæc ſcripturũ fuiſſe ad Græcos Imperatores: [f] *Maxime vero in eo, quod ejuſdem miſerrimæ diſſenſio* (g) *ea ſit materia, ſine qua, ſicut multis videtur, ſalva per fidem, ſpem, & caritatem incunctanter, & in hoc ſæculo, & in futuro ſalvari poteſt Eccleſia. Quorum ſenſus, & ſententia talis eſt. Quid fidei, ſpei, & caritati obeſſe potuiſſet, ſi imago nulla toto Orbe terrarum picta, vel ficta fuiſſet? &c.*

III. Nec continuo, ſi Gallorum Antiſtitum conſilio adhæſiſſet Eugenius, inconſtantiæ, levitatiſque accuſatus

[e] Vide pag. ſeu col. 675.

(f) in epiſtola nomine Romani Pontificis ad Michaelem, atque Theophilum Imperatores Græcorum pag. 103.

(g) *diſſenſionis* omnino legendũ eſt.

(*) col. 674.

(23) (*) *Auxiliante Domino hanc viſus ſum interpretari Latinis, indecens, & incongruum cenſens, veſtram maxime omniũ Eccleſiarum Magiſtram, Romanam videlicet Eccleſiam, eadem Synodo defraudari, cum videam poſteriori, id eſt octava, magnificentiſſime decorari.*

tus fuiſſet. Ad diſciplinam, rituſque Eccleſiaſticos pertinebat quæſtio illa. Quis porro dubitet, variarine poſſint, nec ne, Eccleſiaſtici ritus, quando quidem certiſſimũ eſt, ſæpiſſime eos fuiſſe variatos? An non frequentia hujuſce variationis exempla præbent jejunia, vigiliæ, Miſſæ, & ſexcenta hujus generis alia, quæ ſi velim recenſere ſingula, in immenſum oratio excreſcet? Hæc ſcilicet ineſt in Eccleſia prudentiſſima perſuaſio, ſi ritibus ad hominum utilitatem, ſanctificationemque inſtitutis minus recte utantur homines, aut eos auferendos, & abolendos eſse, aut aliqua ſaltem ex parte immutandos. Variavit quoque, cum periculoſos eſse conſpexit eoſdem ritus, & ab eo deviantes fine, cujus cauſà fuerant inſtituti. Cum ergo periculoſum eſſe putarent Galliarũ Antiſtites cultum imaginibus delatum, eoque (quod didicerant ex Michaelis, & Theophili epiſtola) abuterentur non pauci, qui ſuperſtitioſum reddiderant eundem cultum, conſultius eſſe arbitrabantur, aut eum prorſus tollere, aut certe fines aliquos limiteſque illi præſcribere: quod cum ab Eccleſia non raro fuiſset factum, hic quoque fieri facile poſse arbitrati ſunt. Tametſi vero artificio aliquo, callidoque conſilio apud Pontificem uti jubeant legatos ſuos, vafritie tamen, doloque malo carere videntur mandata iis data. Et ſi cuncta perpenderis, eas tantum artes adhibere jubentur, quas probi etiam viri adhibere conſueverunt. (23) Quod

(23) „ (*) Illud tamen ſummopere prævidete, ut ea illi de „ his oſtendatis, quæ rationi de imaginibus habendæ „ per omnia conveniunt, & quod ipſe, vel ſui minime „ rejicere valeant. Sed & vos ipſi tam patienter, ac mo- „ deſte cum eo de hac cauſa diſputationem habeatis, ut „ ſummopere caveatis, ne *nimis reſiſtendo*, eum (*) in ali- „ quam irrevocabilem pertinaciam incidere compel- „ latis, ſed paulatim verbis ejus, quaſi obſequendo „ magis, quàm aperte reſiſtendo, ad menſuram, quæ „ in habendis imaginibus tenenda eſt, eum deducere „ valeatis. Et ideo potius efficere contendatis, ut ne- „ gotium, de quo agitur, ad meliorem, quàm ad pe-

„ jo-

(*) pag. 126. id poſtrema.

(*) Romanum Pontificem.

ſi hæ ipſæ artes tibi diſplicent, noveris volo id emendaſſe aliqua ſaltem ex parte Ludovicum (cujus nomine videtur datum mandatum illud *Hieremiæ*, *&* *Jonæ Epiſcopis*) quum hæc expreſſiſſima ad Romanum Pontificem ſcripſit: *Non ideo tamen de noſtris miſſis illuc* (Conſtantinopolim ad Græcorum Imperatores (*b*)) *dirigendis interrogamus, quaſi neceſſarium nobis videatur, aut nos veſtros miſſos hanc legationem per ſe perficere dubitemus, ſed potius propter hoc eos vobis offerimus, ut ſciatis nos in omnibus eſſe paratos, quæ hujus Sacratiſſimæ Sedis neceſſitas, aut voluntas poſtulaverit.* Paulo ante hæc ad eundem Pontificem ſcripſerat: *Quos* (*i*) (Legatos ſuos Jeremiā, & Jonā) *non ob hoc ad veſtræ almitatis præſentiam commemoratis ſententiarum collectionibus miſimus, ut hic aliquo veluti magiſterii officio fungerentur, aut huc docendi gratia directi putarentur: quia ſicut jam commemorati ſumus nos debitores exiſtere, ut huic Sacratiſſimæ Sedi in quibuſcunque negotiis auxilium ferre debeamus. Ideo, & hos miſſos, & quas deferunt literas, ſi quid vobis adjutorii conferre potuiſſent, dignum duximus &c.* Et hoc de argumento dicta ſint ſatis.

(*b*) pag. 125.

(*i*) pag. 124.

CAP.

„ rem ſtatum, Dei adjutorio, perducatur. Poſtquam
„ vero hanc rationem de earundem imaginum cauſa
„ conſummaveritis, ſi tamen hoc ad nihilum Romana
„ pertinacia (*) permiſerit, ut ratio inter vos habita
„ aliquo bono, & convenienti fine claudatur &c. „

(*) id eſt conſtantia, atque animi firmitas, uti interpretantur Baronius, & alii.

CAP. XXVI.

Argumenta §§. VI. VII., & VIII. Capitis XXII. propoſita diſſolvimus.

I. PORRO auſterus homo es, dum me cogis, ut firmitatem, & robur tuear probationum illarum, quibus Epiſcopi ii nituntur. Si id a quovis Scriptore expoſceres, quàm paucæ ſupereſsent, quas tu non contemneres, probationes! Sed nihilominus tuis juſſibus obſequor, ajoque probationem primam minime ineptam fortaſſe eſſe ad eum, quem ſibi præfixerant, finem aſsequendum. Scilicet Epiſcopis illis propoſitum erat, ut oſtenderent, imaginum cultum, niſi prudentia, ac pietate regeretur, inducere facile poſſe incautum hominem in ſuperſtitionem, atque errorem. (*a*) Id porro evincit a Simonianis delatus Magiſtri ſui, illiuſque meritriculæ imaginibus honos: induxit enim eos in ſuperſtitioſam, atque adeo idololatricã conſuetudinem. Id ſane Simonis diſcipulis eveniſſe aſſequor ex Epiphanio (*b*) (24), & Auguſtino (*c*) (25). An in allegando hujus modi exemplo Epiſcopos iſtos erraſſe putas?

II. Quàm vero apte Auguſtini ad Dioſcorum ſcribentis epiſtolâ utantur, ii viderint, qui eadẽ epiſtola utuntur. Ceterum fortaſſe eo collineant, ut evincant, erraſſe jam pridẽ alios, dum ad illuminandos homines neceſsarias putarunt imagines, quæ ad eum finem neceſſariæ mi-

(*a*) *Contra eos, qui indebito cultu eas* (imagines) *colunt, & adorant*. cap. 3. pag. 20.

(*b*) *de hæreſ.* lib. 1. tom. 1. hæreſ. 21. *de Simonianis* n. 3. interprete Petavio.

(*c*) *de hæreſ.* n. 1.

(24) *Nec iis contentus imaginem quandam, quam ſui effigiem eſſe dicebat, diſcipulis tradidit, qui eum ſub ſpecie Jovis adorant. Aliam Helenæ figuram, cujus modi pingi Minerva ſolet, iiſdem diſcipulis obtruſit, quam peræque fanatici illi venerantur.*

(25) *Imagineſque & ſuam, & ejuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorum ſimulacra, auctoritate publica conſtituerat.*

minime erant. Si ita eſſe vis, concludere facile poterant errare eos, qui ad illuminandas hominum mentes, imaginum ſubſidium expoſcebant. Sed hæc conjiciendo propoſui: neque enim, quod nuper dixi, neceſſe arbitror ſingulas horum Epiſcoporũ ratiocinationes, concluſioneſque expendere, eaſque firmiſſimas demonſtrare.

III. Tranſeo ad eam partem, in qua condemnantur hi Epiſcopi, quod ea allegarint teſtimonia, quæ facile adverſus eos intorquentur, aut certe ab eo aberrant ſcopo, ad quem collineare illi putant. Sic autem illis occurrimus. An non relativũ tantũmodo imaginibus delatum cultum approbarunt Pariſienſes Patres? At adverſus eos, qui eum cultum propugnant intorqueri ea teſtimonia non poſsunt, ſi quidem in his expreſſiſſime traditur cultus, qui non in imaginibus ſiſtat, ſed ad eorum prototypa referatur. Intorqueri ea quidẽ poſsunt in eos, qui contendunt, nullum prorſus vel relativum cultum eſse imaginibus deferendum; ſed non tam improba horum Patrum erat opinio.

IV. Neque metuendum id eſt, quod ex cultu ab iis Epiſcopis Cruci adhibito, dempto vero imaginibus, deſumitur. Fac, (nec temere id arbitraberis, quando quidem ſimillimum id veri eſt, & iis potiſſimum innititur teſtimoniis, quæ hi Patres Capite XV. allegant) abſolutum tantum modo cultum ademiſse Imaginibus; adeo ut illis relativum, ab adoratione tamen vera valde remotum (*d*) tribuerint, [& certe quantum inculcant, Sanctis venerationem eſse adhibendam, tantum etiam negant, ullam in imaginibus ſanctitatem inhærere, ob quam coli mereantur.] (*e*) Fac etiam, cultũ abſolutum ab iis Patribus adhibitum fuiſſe Cruci illi, in qua pependit Dominus Jeſus, ut pote ſanctificatæ contactu Sanctiſſimi illius Corporis: fac demum, putaſse illos, ſigno Crucis fuiſse a Deo tributam virtutem quandam ſanctificantem, propter quam Dæmones pelluntur, & Sacramenta conficiuntur: tum continuo noſti, cur Sanctæ Cruci deferri ſinunt cultum eum, quem demunt imaginibus, & non leve diſcrimen intereſse dicant Crucem inter, & imagines. Demunt ſcilicet abſolutum cultum, & vim ſanctificantem imaginibus, utrumque Cruci dant:

(*d*) ad adorationem veram Creaturis quibuslibet, ideoque Sanctis, eorumque imaginibus adimendam pertinere videntur ea Patrum loca, quæ ſæpe, ſed præſertim cap. V. pag. 31. afferunt.

(*e*) *Nunc contra eos, qui indebito cultu eas* [imagines] *colunt, & adorant, & Sanctas nuncupant, & ſanctimoniam ſe per eas adſequi fatentur.* (in titulo capitis III. pag. 20.)

dant: quod ne temere dictum putes, audi quę præfigant capiti XIV. titulum (*f*), & quam ejuſdem tituli probationem adducant. „ Primo reſpondendum eſt, quia, „ Chriſtus non in imagine, ſed in Cruce ſuſpendi „ elegit, quando genus humanũ redimere voluit, & „ ideo Sancta Mater Eccleſia toto Orbe terrarum „ inter cetera innumera Crucis Sacramenta, quæ a „ Sanctis Patribus multipliciter longe lateque per „ univerſum Mundum enumerata ſunt, decrevit li„ citum eſse univerſis Catholicis ob amorem ſolius „ paſſionis Chriſti, ubicumque eas viderint, inclinan„ do, ſi voluerint, venerari, & inſuper die ſancto, „ quo paſſio Domini in univerſo Mundo ſpecialiter „ celebratur, cum omni devotione univerſum ordi„ nem ſacerdotalem, ſeu cunctum populum proſtra„ tum adorare. Deinde etiam illud ſpecialiter, non „ contra licite habentes, ſed contra illicitum cultum „ imaginibus exhibentes, opponendum eſt, quod ſupra„ dicta univerſalis Eccleſia tam ſacris fontibus con„ ſecrando, quamque etiam baptizandis, vel bapti„ zatis, eodem ſigno Sanctæ Crucis conſignando, „ vel benedicendo uti decrevit, omniumque fidei „ catholicæ cultoribus frontes, & pectora ſua poſt „ abrenunciationem Satanæ pompis, & operibus ejus, „ certiſſima fide contra omnes inſidias diaboli munire „ docuit, gladioque inexpugnabili dextras cuncto„ rum fidelium armare ſtuduit. Dic, quæſo, contra „ fas eccleſiaſticum adorator imaginum, quid tale „ huic ſimile ab Eccleſia Catholica in toto orbe ter„ rarum de imaginibus ſanctum eſt? & licet hæc ma„ gna ſint, quid de conſecratione Corporis, & San„ guinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti dicturi ſumus, „ quæ utraque in ſacris Miſsarum ſolemniis, ex quo „ conſecrari cœperint, uſque in finem pene ſine inter„ miſſione, Crucis ſignaculo benedicantur, nec eſt „ quiſquam tam ſapiens, vel inſipiens, qui ullo mo„ do hanc conſecrationem aliter ſe poſse perficere „ Deo placite præſumat, niſi hoc ſemper ejuſdem San„ ctæ Crucis ſignaculo conſecrare ſtudeat. Quid etiam „ ſicut de univerſo humano genere, ita pene de cunctis „ humani generis operibus ſeu cotidianis actibus ejus cō„ plectendo dicere valebimus. In omnibus, quæ die, no„ cte, mane, veſpere, & melius fortaſſe dicitur omni tem-

„ po-

(*f*) *Contra eos, qui ſignum Sanctæ Crucis in teſtimonium adſumunt, ut eis ita licitum ſit adorare imagines, ſicuti lignum Sanctæ Crucis.* (pag. 59.)

„ pore, agere conſuevit. Quid eſt, quod in his o-
„ mnibus, quod ad ſalutem ejus, ſive in hoc ſæculo, ſi-
„ ve in futuro pertinere poſſit, ſine ejuſdem Crucis ſi-
„ gnaculo incipere, actitare, vel conſummare velit?

V. Id porro admirationem ingerere tibi non debet: temporibus enim minus a noſtra ætate remotis non defuere inter Theologos Catholicos, qui relativum tantummodo cultum impertientes imaginibus, abſolutum tribuêre Cruci: qua de re cum alibi copioſe diſputaturus ſim, hic agere ſuperſedeo. Quod ſi diligenter ea expendas, quæ ii tradunt, intelliges ſane, putaſſe eos, Crucis ſignum ipſum cultu quodam dignandum eſſe, quo cultu imagines afficiendæ non eſſent; quia Crucis ſignum ipſum virtutem quandam, & excellentiam habet, quam omnino non habent imagines, & hinc proveniſſe, ut a primis Eccleſiæ ſæculis non modo adhibitum illud ſit in Sacramentis, ſed venerationem etiam obtinuerit a Chriſtianis; cum in imaginibus multo aliter contigerit. Rectene, an ſecus hæc traderent, præſentis inſtituti non eſt definire: quod ad eam, qua de agimus, controverſiam attinet, ſatis eſt, eos inconvenienter non fuiſſe locutos.

(*) §. 8.

VI. Nunc denique ſubſequens expendamus: (*) illud ſcilicet, in quo ajunt temere popoſciſſe Epiſcopos eos a Romano Pontifice, ut cultum ſacris imaginibus demeret: quem quidem cultum iis adhibendum eſſe docuerat Concilium Nicænum II & poſt illud Hadrianus Pontifex. At memineris volo, me paulo ante dixiſſe, & id nunc repeto, eos Epiſcopos minime recenſuiſſe inter generalia Concilium Nicænum II. neque putaſſe *ex Cathedra* (ut dici mos eſt) tum locutum fuiſſe Hadrianum: (*) ideoque putaſse etiã, ſe minime ab horum auctoritate cogi poſſe, ut eas conſuetudines amplecterentur, quas ipſi reprobabant. Erravunt, fateor in utroque; ſed *facti*, ut cum Juriſtis loquar, non *juris*, is *error* fuit, ideoque venia dignus.

(*) cap. 25.

CAP.

C A P. XXVII.

Solvimus duo poſtrema argumenta, quibus quidem creditum eſt evinci, ſuppoſita eſſe, atque ementita ea ſcripta.

I. QUi ſuperiores ſuſpiciones, atque argumenta facile diſſolvimus, multo majorem impendamus oportet operam, ut reliqua diſſolvamus: illud ſcilicet, in quo accuſantur hujus Synodi Patres, quod reſecta, detruncataque, allegarint nonnulla Patrum loca: illud quoque quod ex epiſtola a Romano Pontifice ad Græcos Imperatores ſcriptâ repetunt. Sic porro primum diſſolvo. Non omiſſa eſt prorſus ſacræ imaginis mentio in iis ſcriptis, quando quidem hæc allegantur Gregorii verba: [a] *Petrus, qui ex eorum* (Judæorum) *ſuperſtitione ad Chriſtianæ fidei cultum, Domino volente, perductus eſt, adhibitis ſibi quibuſdam indiſciplinatis, ſequenti die baptiſmi ſui, hoc eſt Dominica ipſa feſtivitate paſchali, cum gravi ſcandalo, ſine veſtra occupaverit voluntate* (Synagogam Judæorum), *atque imaginem illic genitricis Dei, Dominique noſtri, & venerandam Crucem, vel byrrũ albũ, quo fonte ſurgens indutus fuerat, poſuiſſe*. Ubi vero omiſſa eſt, id vel Scriptoris imperitiæ, vel potius temporis edacitati tribue: alteri enim ex his cauſis adſcribo, quod non ſolum omiſſa ſit imaginis mentio, verum etiam ſubſtituta ſit vox *Crucem*, (26) quam nec latina ſintaxis, nec ſenſus ſubſtitui patitur, voci *Cruce*, quã in S. Gregorii epiſtola legimus (27). At quis frau-

(a) cap. xv. pag. 64.

(26) *Conſiderantes hac de re veſtræ voluntatis intentum, ac magis judicium, hortamur affatibus, ut ſublata exinde cum ea, qua dignum veneratione, atque Crucem debeatis, quod violenter ablatum eſt, reformare, & cetera.*

(27) *His hortamur affatibus, ut ſublata exinde cum ea, qua di-*

fraudem in iis Patribus ſuſpicetur, qui rurſus integra Gregorii verba, in quibus Crucis expreſſa ſit mentio, allegant? Conſule paginas in margine indicatas, videbiſque me vera eloqui (*).

(*) *cum ea, qua dignū eſt, veneratione, imagine atque cruce debeatis &c.* pag. 18. rurſus pag. 112. *cum ea, qua dignum eſt, veneratione imagine, atque cruce &c.*

II. Priorem difficultatem ex Eugenii epiſtola deſumptā (*) ſuſtulit Baronius, (*b*) quum monuit, epiſtolam illam re vera ab Eugenio non fuiſſe conſcriptam, ſed a Gallis Epiſcopis exaratam, miſſamque ad Pontificem, ut eam approbatam deinceps mitteret cum Ludovici Imperatoris legatis ad Græcos Imperatores. Si quid ergo in ea epiſtola continetur, quod tibi diſpliceat, non continuo id Pontifici adſcribe, ſed ſive Ludovico, ſive Gallis Epiſcopis, qui vehementer cupientes diſſidia tollere inter Græcos propter imaginum cultum excitata, Pontifici ſupplicarunt, ut eā epiſtolam ſcriberet, quam ipſi exaraverant, quæque conveniens Pontifici judicata ab iis eſt. Quamquam hæc ipſa epiſtola ſuos habet defenſores. Fatentur hi, ſtylum illius epiſtolæ inconcinnum quandoque apparere, implexumque; at id amanuenſibus tribuunt, vel, ſi vis, vetuſtati exemplaris, ex quo deſcripta ea eſt, & typis edita. Indubitatum eſt ſane, pleraque perſpicue, multa etiam, quantum ea ferebat ætas, eleganter fuiſſe compoſita. Itaque ſi labefactata occurrunt alia, & perverſa, non iis debent aſcribi, qui reliqua ſatis apte, immo diſerte ſcripſere. Sic primam difficultatem hi evitant.

[*] §. x.

(*b*) ad annum 825.

III. His monitis altera difficultas exſolvitur. Apertiſſime ſuam ſententiam expoſuit Eugenius, quum hæc protulit. *Oro autem, & obſecro* (*) *in univerſo Mundo, ut beati prædeceſſoris mei Domini Gregorii Papæ utar verbis, fratres, & Domini mei: in quantum peccatores fratres mei, in quantum juſti, Domini mei, quantum ex me humiliter ſupplico, quantum vero ex tanta auctoritate ſublimiter moneo, ut nemo me hoc loco propter me deſpiciat, quia & ſi ad invitandum nequaquam dignus appareo, magna eſt tamen virtus caritatis, pacis, & unitatis, ad quam vos alta poteſtate, in vice beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti invi-*

(*) ſubſtitue *vos*.

dignum eſt veneratione, imagine, atque Cruce, debeatis, quod violenter ablatum eſt, reformare.

vitare præſumo . . . . . Quam ob rem oro , vel moneo, ut primo me ſummi Dei Eccleſiæ filii Michael , & Theophilus , glorioſi vero , & ſublimiter a Deo exaltati imperatores Romanorum una cum univerſo Catholico , nobiliſſimoque Senatu , ac populo vobis a Deo ad gubernandum credito , ut ea , quæ pro ſalute veſtra ex auctoritate beati Petri , cui Dominus , & Deus noſter Jeſus Chriſtus claves committere dignatus eſt regni Cælorum . . . . admonere , & exhortari , & inſinuare neceſſarium duximus , patienter audiatis , animumque Deo placitum veſtrum , non ad contemnendum , ſed ad obediendum , & conſervandum præparare ſtudeatis . Illene , qui ab Imperatoribus expoſcit , ut *ad obediendum* præparatum animum habeant , illorum juſſibus ſe ſe ſubmittet , putabitque eos ad regendam Eccleſiam fuiſſe a Deo electos , qui ait ſe *in vice beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli in nomine noſtri Jeſu Chriſti* , atque *ex tanta auctoritate* illos ad pacem invitare ?

IV. Eccleſiæ itaque , quam ab eis rectam ait , nomine , populum Chriſtianum intelligit , quem quidem ii , uti Principes gladii poteſtatem habentes , gubernabant ; minime vero Clerum intelligit , neque illis impertitam eam dignitatem , atque jus innuit , quod *populi Principes* , id eſt Epiſcopi , atque in primis Romanus Pontifex in Eccleſia habent . Regitur ſcilicet a duabus poteſtatibus Eccleſia ; ſæculari , quæ , uti diximus , jus gladii habet ; & Eccleſiaſtica , quam qui obtinent , ea ſic uti jubentur a Chriſto , *ut qui major eſt , fiat ſicut minor , & qui præceſſor eſt , ſicut miniſtrator* . (c) Et eam , niſi fallimur , ob cauſam Gregorius Magnus (quod in hac ipsâ epiſtolâ dicitur) Imperatorem Dominum ſuum appellat , ſe vero ejus ſervum , cui obedientiam adhibebat . (27)

(c) Lucæ 22. 26.

(27) *Piiſſimus , atque a Deo conſtitutus Dominus noſter . . . . Quam ob rem providentiſſime piiſſimus Dominus noſter . . . . . . quod quidem ego opto , atque , quantum ad me attinet , ſereniſſimis juſſionibus obedientiam præbeo .* [*] At addere etiam libet id , quod ex Joanne Diacono (*) diſcimus : *tanta* ſcilicet *humilitatis* fuiſſe Grego-

(*) libro 4. epiſto. D. Gregorii Magni epiſ. 32. quæ ad Mauritium Auguſtum data eſt . Dallæus *de imagin.* lib. 4. cap. 6. alia multa, tũ ejuſdẽ Gregorii, tũ aliorum veterum teſtimonia huic ſimillima allegat .

(*) lib. 4. n. 58.

V. Cur vero aut miraris ſtylum illius epiſtolæ, aſperum atque incomptum, aut objicis explicationem in ea epiſtola Gregorii verbis adhibitam, quaſi præpoſteram, imo propendentem in Iconoclaſtarum, aut ſaltem in eorum errorem, qui imagines venerari nolebant? Implexa ſunt quædam, fateor, obſcuraque in iis verbis. Sed ut prætercam conſuetudinem illorum temporum: unde ſcis, auctori potius id eſſe tribuendum, quàm amanuenſibus, aut exemplaribus temporum edacitate abſumptis? Catholica prorſus, nec Gregorio indigna ea eſt explicatio, ſi vocem *adorare* in rigoroſa ſignificatione ſumas. Vetat enim adorari veluti divinitatem aliquam imaginem ipſam Gregorius, qui Deum tantummodo vera adoratione dignatur. Quis vero e nobis id negat, immo quis inter illos, qui pro relativo imaginum cultu ſtant, quorum opinioni nos certe adhæremus, ullum cultum ipſi imagini adhibet?

CAP.

gorium Magnum, *ut omnes quidem Sacerdotes, fratres, & comminiſtros: clericos autem diverſi ordinis dilectiſſimos filios: at vero laicos viros Dominos, & fœminas Dominas in ſuis litteris nominaret.*

C A P. X X V I I I.

Paucis complectimur ſumma capita probationum, quibus ſeverior opinio, erroris accuſans Pariſienſes Patres, innititur. Probationibus iis opponimus argumenta illa, quibus inducuntur alii, ut ab errore eoſdem Patres vindicent.

I. SI quid eſt in iis, quæ hac de Synodo inſtitutæ ſunt controverſiæ, præcipuum, noſtriſque laboribus, & ſtudio dignum, illud eſt, quod nunc examinandum aggredimur: num ſcilicet imaginum cultum prorſus reprobarit Synodus illa. Operoſum ſane, & valde difficile eſt, aliquid certi tradere. Cum enim Patrum in ea convocatorum ſententia aliunde dignoſci vix poſſit, quàm ex eorum ſcriptis, aut, ſi vis, ex probabilibus conjecturis, & hæc ſcripta ambigua videantur eſſe, quæque in utramque partē deduci poſſint, conjecturæ autem fortaſſe non leves utrique parti faveant, in tanta rerum obſcuritate vix aliquid mihi apparet, quod exploratum vere ſit, compertumque. Sane, ne quid diſſimulem, plerique in eam viſi ſunt deſcendiſſe ſententiam, quæ putat, imaginum cultum averſatos fuiſse illos Patres. Ad id moveri ſe ajunt primo quidem ex apertiſſimis quibuſdam ejuſdem Synodi verbis: neque enim tantummodo Nicæni ſecundi, & Romanorum Pontificum edictionibus obſiſtit hæc Synodus, verum etiam *illicitum* eundem cultum appellat, illoſque condemnat, qui docebant, merito coli imagines, quoniam colitur crux: vetat quoque thus adoleri imaginibus, & lumina accendi. Approbant quoque boni ii Patres, Theophili, & Michaelis Græcorum Imperatorum vaferrimam, atque impudentem epiſtolam: quam quidem, tametſi Iconoclaſtarum opinionibus ubique reſperſam, tanti tamen ii fecerunt, ut pro-

pterea ad Romanum Pontificem ſcripſerint, eum deprecantes, ut Græcorum Imperatorum deſiderio obſequeretur. Quod ut aſsequerentur, quam non pertentarunt artem, aut quem malum dolum omiſerunt? Teſtimonia collegere, ex quibus eruere ſibi viſi ſunt, ab imaginum cultu idololatriam in Eccleſiam irrepſiſſe: alia addidere, quibus ſuperſtitionis, aut certe inutilitatis eundem cultum accuſarent. Blanditias quoque adhiberi jubent cum Romano Pontifice, quibus delinitus a præceſsorum ſuorum laudatiſſima conſtantia diſcedat, & Imperatorum Nicænam Synodum odio habentium opinioni faveat. Hæc porro a nobis temere non fuiſse prolata, tum Bellarminus evincit [ab his quippe argumentis inductus eſt, ut ficta crederet ea ſcripta: ne ſcilicet fateretur, a Catholica veritate prorſus diſceſſiſse eos Patres] tum alii multi, quorum hic argumenta non refero, quoniam ſi pauciſſima immutes, ea ipſa ſunt, quæ ſuperioribus capitibus expendimus.

II. Sed neque ad iſta confugere neceſse habemus, qui apertiſſima loca in eo libello invenimus, in quibus quilibet cultus ſacris imaginibus adhibitus condemnatur. Nonne in epiſtola, quam a Romano Pontifice ad Michaelem Imperatorem mitti cupiebant, hæc occurrunt? (*) *Atque ita auctore Deo, uterque inlæſa (a) ſervatur, dum & habere volens propter (b) cautelam inliciti contemptus, ſalvus permanere indubitanter poterit. Atque ita miſerante Deo, majorum noſtrorum imaginibus vel picturis morem imitantes, in jubendo, vel prohibendo, in habendo, vel non habendo, in colendo, vel non colendo, inlæſus (c) hactenus hac de cauſa Domino opitulante nos tranſiſſe, & ipſo gubernante tranſituras nequaquam dubitamus. Quam ob rem monendi ſunt omnes, qui illas habere volunt, ne amando, vel quolibet modo orando, vel complectendo, ultra quam oportet cultum eis inlicitum ullatenus impendant . . . . . Ideo ergo totius huius rationis talis eſt ſumma, ut qui volunt, propria memoria, vel ſana doctrina in locis competentibus, abſque ullo illicito cultu pictas, vel fictas habeant imagines.* (d) Et mox de Sereno Maſſilienſi illo Epiſcopo, quem redarguit Gregorius Magnus, ſermonem habentes, occaſionem ex eo deſumunt appellandi *ſuper-*

(*) pag. 107.
(a) error aliquis dictionis in his verbis ineſſe videtur.
(b) *præter* ſubſtitui vult Baronius
(c) hæc quoque lectio mendoſa eſſe videtur.
(d) pag. 109.

perfluum imaginarium cultum, monendique, rectiſſime ſe geſſiſse Gregorium Magnum, dum vetuit coli imagines, & confringi, & extra Eccleſiam projici, tametſi Serenus *confregerit, & extra eandem Eccleſiam funditus projecerit, ut hoc facto a cultura, vel adoratione inlicita populum compeſceret*. Denique in *Conſilio*, quod Romani quidem Pontificis nomine dant, hæc ſcribunt: (e) *Contueamur Diabolum in hujus vitæ excurſu in bivio ſtantem, ubi Imperator e duobus unum ad eligendum indeclinabiliter cogitur, aut cultui illicito favendo, imaginibus contra jus Eccleſiaſticum cervicem flectere, aut certe hujuſmodi cultoribus contradicendo, vel non favendo ingratus exiſtere . . . Elegit* (Imperator ille, de quo antea locuti fuerant) *ultra quàm unquam Deo placuit, vel placere debeat, imaginum cultui deſervire, ut eiſdem, qui hoc electum habebant, potuiſſet placere*. (e) pag. 121.

III. Quod ſi Eccleſiaſticorum Scriptorum auctoritatem his vis adjungere, præter Anaſtaſium Bibliothecarium antiquum, & probatiſſimum ſcriptorem, Sirmondum virum clariſſimum in eorum numero recenſe, qui hos Patres erroris accuſant. Redarguit quoque illos litteratiſſimus Pagi, putatque, venerationem imaginum exoſam habuiſse. Eadem fuit, eſtque noſtris ipſis temporibus virorum doctiſſimorum ſententia, quorum ſeriem hic texere, & loca adducere ab re foret. En in ſummâ præcipua capita probationum, quibus ea opinio innititur.

IV. Obſiſtit tamen his mitior alia, quæ vindicari adhuc poſse ait Pariſienſes Patres ab eo errore, quo infecti erant aliqui e Gallis. An non expreſſiſſima quædam teſtimonia afferunt, quibus traditur, utiliter & merito confici imagines, quoniam non in ipſis imaginibus ſiſtit cultus, ſed ad prototypa aſcendit? Videntur etiam eorum approbare opinionem, qui haud abſimilem Cruci, & imaginibus honorem [extrinſecum, ut puto] deferendum eſse pronunciarunt. Id enim merito conjicimus ex quibuſdam S. Gregorii Papæ verbis, ab eo Concilio allegatis: tam etſi enim præpoſtera, perverſaque horum lectio proponatur; (quod procul dubio amanuenſibus, aut vetuſtati exemplaris, ex quo deſcripta ſunt, ut typis ederentur hæc ſcripta, tribuen-

buendum eſt) tamen [quod nuper dixi] & Cruci, & ſacris imaginibus deferri honorem jubent. En illa. (*f*) *At ubi ſic cœpiſti conſtitui, ſicut ipſe Deus tibi monſtravit, præeſſe præcipiens in caſtra Chriſti, & regni glorioſum certe, & notum ſignum, vivificam dico Crucem, magnum adverſus mortem, ejus magnitudinis triumphum, ubi Mundi quadripartiti Orbem terrarum perſcripſi, diſtinguens perſcriptis, ita & ſanctam imaginem omnium Dominæ, & Sanctæ Dei genitricis, cujus vultum deprecantur divites plebis.* Subſequentibus vero & relativus imaginum cultus, & quantum Deiparæ acceptus ſit cultus imagini ſuæ delatus, traditur. *Etenim Sancta, ſicut Patribus videtur, quæ ſic a vobis pie bonorata donavit retributiones. Nam imaginis bonor ad primam formam tranſit ſecundum Magnum Baſilium.* Stephani etiam Boſtrorum Epiſcopi teſtimonium allegant, (*g*) mirum in modum imaginum cultui favens, quod quidem cum alibi retulerim, hic repetere non eſt neceſſe. Objectiones etiam declinant, aut ſi vis, præveniũt, repelluntque, cum varia adorationũ genera recenſent, e quibus ſupremum Deo reſervant. (28) (*h*) Denique, ne multa afferam, apertiſſime fatentur, nos Sanctos orare poſſe, & adorare (*i*) per eorũ imagines. Nec temere id a me dictum putes. Quid expreſſius proferri poterat iis verbis, quæ ex Gregorii Papæ Epiſtola Synodica adducunt? (*) *Quanto debemus puro cordis anniſu ipſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſanctamque ſemper Virginem ejus genitricem Mariam, Apoſtolos quoque, vel omnes Sanctos Dei per eorum ſacras effigies, atque imagines colere, adorare, & ad propitiandum nobis petere, & relaxare delicta.*

(f) pag. 65.
(g) pag. 72.
[h] pag. 89.
(i) id eſt colere, venerarique.
(*) pag. 68.

V.

(28) (*) *Adoratio multis modis intelligitur. Eſt enim adoratio ſecundum honorem, & amorem, & timorem, ſicut adorantur principes, & illorum poteſtas. . . . Eſt iterum adoratio, cum creditur aliqua protectio adipiſci a ſupereminentibus, ſicut Jacob Pharaonem. Eſt vera, & certiſſima adoratio, qua ſoli debetur omnipotenti, & divina Majeſtati, ſicut dicit Scriptura:* Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.

(*) pag. 89.

V. Quod ſi conjecturis fidimus (cur vero iis fidere renues, quando quidem iis etiam fidunt, qui primæ ſententiæ adhærent?) minus, quam fere putetur, iis etiam temporibus Gallos Epiſcopos cultum imaginum fuiſse averſatos, ex eo diſcimus, quod ab Hincmaro petiere iidem Epiſcopi, ut librum ederet, quo conveniens traderetur modus colendi imagines: quem quidem librum ipſe conſcripſit; teſtante Flodoardo (k) Hincmarum *flagitantibus Coepiſcopis fratribus ſuis, librum ſcripſiſſe, qualiter imagines Salvatoris noſtri, vel Sanctorum ipſius venerandæ ſint*. Ex quibus verbis haud immerito eruimus, non modo Hincmarum, ſed reliquos etiam Galliarum Epiſcopos minime abhorruiſſe a colendis imaginibus, ſed tantummodo optaſſe, ut parcior illis, non effuſus, aut immoderatus (qualem ex nuper adductis teſtimoniis quidã Græci illis deferebant (*)) cultus adhiberetur: hunc enim omnino habere videntur ſenſum verba illa, *Qualiter imagines Salvatoris, vel Sanctorum ipſius venerandæ ſint*: neque enim rem negant, ſed tantummodo rei modum præſcribunt.

VI. Nec longe ab eâ ſententiâ Walphridus abfuit: quippe hæc pronunciat: (l) *Quia & earum* (imaginum) *varietas nec quodam cultu immoderato colenda eſt &c. Notandum eſt, quod ſicut quidam eaſdem imagines, ultra quàm ſatis eſt, venerantur; ita alii, dum volunt cautiores ceteris in religione videri, illas ut quaſdam idololatriæ ſpecies reſpuunt . . . & ſub Gregorio Tertio Romæ ſynodus ſit facta ſupra condictam, ut dixerunt, hæreſim* (m): *in qua firmatum eſt, ut Sanctorum imagines ſecundum priſcum Catholicæ Eccleſiæ ritum, reſtituerentur*. Si itaque facta ſecundum priſcum Eccleſiæ ritum Romanæ Eccleſiæ ſub Gregorio III. decreta excepit, cultũ imaginũ approbavit; nã Romanæ Eccleſiæ, Gregorio etiã III. Pontifice, decretis idem cultus eſt approbatus.

VII. Walphrido Dungalum adjunge, cujus quidem præclara hoc ſuper argumento verba referre, operæ pretium reor. (n) „ Neque Sanctorũ imagines in parieti„ bus pictas, neque eorum corpora in ſepulcris con„ dita, ſicut Deum adoramus. . . . Sed tantum eos, „ quorum effigies, vel corpora ſunt, in Deo venera„ mur, & per eorum interceſſiones divinũ nobis poſtu„ lamus adeſse ſubſidium. „ Et rurſus. (o) „ His er-

„ go

(k) lib. 3. hiſtor. Rhemenſis cap. 29. pag. 721. tomi 16. Biblioth. Pat. Pariſ.

(*) cap. 22. §. 4. annot. 15. & cap. 24. §. 5.

(l) in libro de rebus Eccleſiaſti. cap. 8.

[m] Iconoclaſtarum.

(n) *adverſus Claudium Taurinenſem* pag. 201. tomi 14. Biblioth. Patrum Lugdu.

(o) ſub finem tractatus, ideoque pag. 223.

„ go omnibus ſuperius comprehenſis, certiſſime, & „ evidentiſſime patet, picturas ſanctas, & ſanctam Domini Crucem, & ſacras electorum Dei reliquias dignis, ac congruis honoribus a Catholicis, & Orthodoxis in Deo, & propter Deum venerari oportere, „ non ut ſacrificando eis divinus honor, & cultus, ſoli Deo omniũ creatori debitus, ſit a quoquã deferendus, ſed ut in ejus amore, honore, laude, & gloria ſua ſancta, inſignia, & honorabilia vaſa, prout decet, „ ſingula eorum a fidelibus, & religioſis ſalva fide, & „ non ficta honorentur, & amplectantur.„ Et dubitare adhuc poteris, poſtquam hæc audieris, num inter Gallos Theologos extiterint aliqui, qui Nicænæ Synodi decretis aliqua ſaltem ex parte ſe accommodarint?

CAP. XXIX.

Recenſentur reſponſiones, quæ argumentis a rigidiore ſententiâ adductis adhiberi conſueverunt; ac ſtatim diſſolvuntur ea, quæ primùm fuere propoſita.

I. AT quoniam non levis defenſio mitioris ſententiæ in ſolutione eorum argumentorum, quibus altera innititur, ſita eſt, præſto ſunt illi, qui eidem mitiori ſententiæ favent, & pro virili decertant, ut difficultates a rigidiore objectas diſſolvant. Sic porro diſſerunt. Tametſi ea Græcorum Synodus, quam ſæpe exagitant Pariſienſes Patres, Nicæna II. ſit, quãvis etiam Hadriani edictionibus obſtiterint iidem Patres, non

non continuo tamen eos ego reprehenderim. Nonne, dum ab illius, quam *Græcorum* Synodum appellant, ſententiâ diſcedunt, jurgiis parcunt, & contumeliis? imo eos Nicænam II. ipſam allegaſſe, ſimillimũ veri eſt, dum ex actione ſeptimâ ſignificationem adorationis exponunt? (*a*) Gregorii etiam II. epiſtolas duas mirũ in modum imaginum cultui faventes citant (*b*). Hadrianum quidem ſugillant ii Patres (*c*), Irenem quoque, (*d*) & Conſtantinum illius filium. At Hadrianum veluti privatum doctorem, ea, quæ reſcripſit ad Carolum, propoſuiſſe arbitrati ſunt; ideoque ſe minime compelli putarunt, ut illius opinionem amplecterentur. Irenem vero, & Conſtantinum reprehendunt, quod crediderint ab his coactos fuiſſe Fideles, ut imagines adorarent: (31) cum tamẽ Eccleſia tum vetuſtiſſimis, tum proximis etiã ſæculis in Fideliũ poteſtate reliquerit, ut, ſi eis liberet, imagines colerent, ſin minus, ab iis colendis abſtinerent: dum̃odo utilem faterentur eſſe eum cultum, & pium. (*e*) Sane Romanus Pontifex poſt reprehenſam a Gallis, in Carolinis libris, Irenem, & Conſtantinum, poſt querelas adverſus Hadriani epiſtolam excitatas, Galliarum Epiſcopos ad Apoſtolicam Cathedram conſilii cauſâ confugientes minime repulit: ſed rurſus ea de re, in Synodo, (ut probabilis fert opinio) Romæ coacta diſputari permiſit. Id mihi colligere videor ex illis Epiſcoporum ad Ludovicum Imperatorem verbis: (*f*) „ Venerabilis namque Freculfus Epiſcopus ſubtiliter, prudenterque, qualiter ipſe, & Adegarius ſocius illius de hac re cum Domino Apoſtolico, & cum venerandis Epiſcopis, & miniſtris illius egiſſent, viva voce parvitati noſtræ innotuit. „

(*a*) pag. 89. Vide etiam profeſſionem fidei Nicenæ in fine acti. ſeptimæ.

(*b*) Hæ ſunt Epiſtola ad Germanum, pag. 65. & ſynodica, pag. 67. Harum prima græcâ interpretatione donata allegatur actio. 4. Concilii II. Nicæni. Vide pag. 931. Secundam expreſſiſſimis verbis hæc continentem minime inveni, ſed affinia his inveni in epiſtola I. ad Leonem Iſauricũ, cujus quidem epiſtolæ ſimillimam alteram Synodicam S. Gregorium ſcripſiſſe, valde probabilis multorum opinio eſt.

[*c*] pag. 3.

[*d*] ab iis appellatur Herena.

(*e*) Vide, quæ tradit hac de re Tridentinum, & nos ad Tridentini verba animadvertimus. diſſerta. 1. cap. 4. præſertim §. VII.

(*f*) pag. 3.

(*) *in Conſilio*. pag. 121.

(*) *metu* legendum puto.

(31) (*) „ Herenam videlicet cum filio tam peſtifera inluſione „ decipiens, ut abſque ulla miſericordia, vel metus „ (*) ſuperinſpicientis omnipotentis Dei majeſtate, „ talis ab eis promulgaretur ſententia, ut omnis homo eorum ditioni ſubjectus imagines adoraret, aut „ certe exilio, pœniſque diverſis cruciaretur, & ſi „ non adquieſceret, ab univerſali Eccleſia anathema„ tis vinculo ſegregatus [illegible].

II. Quod ſi veluti privatus auctor reſcripſit ad Carolum Magnum Hadrianus, cogi non poterant Carolus, & Galliarum Epiſcopi, ut conſuetudinem eam amplecterentur, quæ tametſi Romæ ſervaretur, tamen, quantum conjicimus, nondum in Gallias fuerat introducta (32). Nicænam vero Synodum, ut paulo ante dictum eſt, non inter generales, ſed inter provinciales recenſebant; illique opponebant Francofordienſem, quæ pravâ interpretatione (quod etiam alibi diximus) decepta, erraſſe putavit Nicænam; paremque Deo, & imaginibus cultum in eâ fuiſſe præſcriptum. Sed de his ſatis alibi egimus. (*)

(*) cap. 12. §. 6. &c.

III. Nunc argumenta reliqua perſequor, ob quæ inter hoſtes cultus ſacris imaginibus delati recenſentur hi Patres. Quæ de cultu adhibito Cruci, & imaginibus dempto; deque cura, ne lumina coram imaginibus accenderentur, objiciunt, commodam jam habuerunt explicationem. (*) Theophili epiſtolæ ſi fidem habuerunt, minime ex eo evincis, exoſum habuiſſe cultum quemlibet imaginibus delatum. Fucum ſcilicet fecit Ludovico, haud ſuſpicioſo viro, ſtrophis ſuis Theophilus, in qua etiam opinione eum detinuere Legati ab eo miſſi, qui ſe promptiſſimos præbuere, ut Romanũ Pontificẽ ea de cauſa adirent. Theophili ſane epiſtola ita contexta eſt, ut non quemlibet, ſed ſuperſtitioſum tantummodo cultum videatur is execrari: cui proinde ut hi Patres gratificarentur, Romanum Pontificẽ deprecati ſunt, ut eidem Theophilo, quæcunque poſſet, indulgeret; idque ut aſſequerentur, non inhoneſtas artes adhibuerunt, nec dolos malos ſtruxerunt, ſed id iniere conſilii, quod rari condemnabunt: illo quo de argumento paulo ante egimus. (*) Neque movere nos debet, quod *illicitum* cultum hunc appellent; id enim ſtatim diſſolvemus.

(*) Vide caput 26. §. 4. & 5. Etiam caput 20. §. 3.

(*) cap. 25.

IV.

(32) [*] *Sed cum prudenti relatu illius cuncta cognoviſſemus, qualiter partim veritatis ignorantia, partim peſſima conſuetudinis uſu bujus ſuperſtitionis peſtis illis in partibus inoleviſſet &c.* Et alibi. (*) *Atque ita miſerante Deo majorum noſtrorum imaginibus, vel picturis morem imitantes, in jubendo, vel probibendo &c.*

(*) pag. 3. & 4.

(*) pag. 107.

IV. Venio nunc ad paragraphi ſecundi objectiones, illaſque ſic diluo. Adeo ea epiſtola, quam a Romano Pontifice Græcis Imperatoribus Epiſcopi illi mitti cupiebant, mitiori ſententiæ non nocet, ut aliqua, quæ eidem ſententiæ faveant, ineſſe in ea videantur. Ceterum noverint, qui hæc objiciunt, non Romani Pontificis, ſed Gallorum ad Romanum Pontificem ſcribentium verba fuiſſe objecta (*), quæ quidem verba ſi diligenter expendas, manifeſto comperies, non a quolibet imaginũ cultu abhorruiſſe eos Patres, ſed ab eo, qui nimis effuſus foret, quo ſcilicet oraremus, complectemurque imagines ipſas, & eodẽ dilectionis affectu, quo Deum, & proximũ diligere jubemur, eas amaremus. Is ſcilicet videtur verbis his ineſſe ſenſus: (*) *Quam ob rem monendi ſunt omnes, qui illas habere volunt, ne amando, vel quolibet modo orando, vel complectendo, ultra quàm oportet, cultum eis inlicitum ullatenus impendant*. Frænos itaque, ut ita loquamur, immoderato imaginum cultui injicere nituntur, quo certius Græcorum quorumdam, quorum, ut crebro diximus, errores deſcripſerat Theophilus, illaudabiles ritus effugerent; non cultũ ipsũ tollere, abolereque ſtudent. Quis porro ſanæ mentis homo eos laudet, qui orent imagines ipſas, qui eas ita complectantur, & ament, ut eos adhibeant ritus, quos Theophilus, & Pantaleon, quorum jam verba retulimus, deſcripſerunt?

(*) id docemur in libro ipſo pag. 105. in cujus calce ad verba illa *Oramus ergo Sanctiſſime &c.* hæc notantur: *Epiſtola Francorum, & Gallorum* ad Pont. Roma.

(*) pag. 107.

V. In eo, quod mox ex Gregorii Magni epiſtola allegant, immorandum minime eſt. Quam enim difficultatem nobis injiciunt aut Severus confringens, ejicienſque ex Eccleſia imagines, ne eas adorent populi, aut Gregorius Magnus Serenum ea de re coarguens, monenſque, manufactũ adorari non poſſe? Quo Gregorii monita ſpectent, ſatis alibi ediſſeruimus, (*) ineptũque videretur, & ad controverſiam, de qua nunc agimus, dirimendam parum conducens, ſi copioſius eo de argumento hic diſputaremus.

(*) cap. xi.

VI. Quod poſtremo loco in eodem §. 2. objectum eſt, propter obſcuritatẽ, oppoſitionẽque dictorũ, diu torſit, torquetque etiam nunc Virorum clariſſimorum ingenia: videtur enim primo loqui hic Scriptor de Leone Iſaurico, quem ſacrarum imaginum hoſtem, confractoremque norunt omnes; tum continuo de altero ſermonem

habet, qui ne illis diſpliceret, qui illum ad imperium evexerant, immoderato imaginum cultui favit: & quod magis obſcuritatem auget, multa poſtea adjungit, quæ nullum omnino ſenſum habere videntur. Sed quæcunque alii putent, ego quidem arbitror, verba ea, caſu fortaſſe huc illapſa, aut Michaelis eſſe, aut ſaltē Ludovici Imperatoris, ſtrophis Michaelis plus nimio fidem habentis: multa quippe procul dubio in eo libello permiſcentur. Habet porro ex ſuperioribus Lector, quanam ratione hæc, aliaque id genus illuſtret. Ad paragraphum tertium venio.

VII. Neque omnes Gallos, neque hos Pariſienſes Patres expreſſe redarguit Anaſtaſius. Virorum præclariſſimorum eoſdem Pariſienſes Patres accuſantium auctoritas, fateor, multa eſt. Sed non deſunt Viri pariter præclariſſimi, qui eos ab errore vindicent. Quis vero prohibere nos poteſt, ne mitiori horum ſententiæ accedamus, præſertim cum non auctoritate, & recentiorum ſuffragio, ſed rationum momentis, & pondere dirimi hujus modi quæſtiones ſoleant, jubeatque Chriſtiana pietas, quàm poſſumus mitiſſima interpretatione, veterum Theologorum dicta lenire. Ceterum ſi cuipiam interpretationes iſtæ minime placeant, ea conſulat, adhibeatque, quæ *ad Carolinos libros* alibi tradita ſunt.

CAP.

C A P. XXX.

Cujus auctoritatis ſit ea Synodus, de qua hactenus diſſeruimus. Levem admodum eſſe hujus Synodi auctoritatem primùm pronunciamus, tum paucis innuimus, quid de reliquis Gallis eorum temporum Scriptoribus dicendum ſit.

I. EX his omnibus, quæ de Pariſienſi hac Synodo diſputavimus, manifeſtũ efficitur, quid reſpondendum ſit ad poſtremam quæſtionem, in qua ſcilicet inquiritur: *cujus auctoritatis ſit* ea Synodus, de qua hactenus diſſeruimus. (*) Collige, quæ ſuperioribus capitibus diximus, liquidoque innoteſcet, potiſſimũ curam Epiſcoporum in ea Synodo collectorum fuiſſe, ut teſtimonia colligerent, adjumento, ſi loqui ita volumus, futura Pontifici, ut rurſus motam de imaginum cultu a Græcis litem dirimeret: (*) quæ quidem teſtimonia non admodum multo dierum ſpatio (*) collegerunt. Quibus tamen, ut recte animadvertit Baronius, minime inductus eſt Pontifex, ut a Nicæni II., Majorumque ſuorum ſententia, & a Romanæ Eccleſiæ conſuetudinibus diſcederet, Græcorumque deſiderio voluntatique obſequeretur. Nullam itaque, quam noverimus, ad Theophilum legationem miſit, veteremque conſtantiam retinuit Eugenius, cui reſtitiſſe Ludovicum, & Galliarum Epiſcopos, nullo argumento diſcimus; immo valde probabile eſt, illud, quod promiſerant Pontificis decreto, & voluntati obſequium, re ipſa eos detuliſſe. Hujus igitur Concilii auctoritas levis admodum eſt. Quis enim multum deferet Concilio illi, quod ex paucis fortaſſe Epiſcopis conſtans, celerrime, fortaſſe etiam tumultarie, præſcripta Patrum teſtimonia collegit, preceſque, quas ad Pontificem adhibuit, irritas eſſe vidit? Æſtiment illud, quanti volent, commendentque, & extollant Heterodoxi: nos ſane non admodum grave momentum in ejus auctori-

(*) Vide caput 21. §. 2.

(*) Vide caput 23. §. 7. & 8.

(*) *quidquid invenire tam brevi temporis ſpatio potuerũt, collegiſſent*: [pag. 123.]

ritate ineſſe volumus, nec majorem illi præſtantiam dabimus eâ, quam Ludovicus ipſe illi tribuit, dum Romani Pontificis judicio ſubdidit. (*)

II. Et de Pariſienſi hac Synodo dicta ſint hactenus: in cujus quidem ſententia, atque auctoritate examinanda ſi diutius quàm ego optaveram, vos & expectabatis, immoratus ſum, id tribuite litteratiſſimo ac probo Viro, (*) qui a me tametſi feſſo, atque ad itineris metam properanti, hoc amicitiæ officium efflagitavit. Quid porro de reliquis Gallis ſcriptoribus per id tempus viventibus dicendum ſit, conjicite ex dictis; eandem enim, quam Carolinorum librorum auctor, & Synodus Pariſienſis, ſæpe etiam mitiorem ſententiam ii quoque propoſuiſſe ſunt viſi: quam ob rem ſi probabili aliqua explicatione leniri poſſunt aſperiora quædam dicta & Carolinorum librorum, & Synodi Pariſienſis, cur leniri non poterunt nonnullæ minus caſtigatæ locutiones Jonæ Aurelianenſis, Agobardi, aliorumque Gallorum Scriptorum, quorum tamen præſtantia, atque auctoritas tanta non eſt, ut Synodo Generali, & Romanæ Eccleſiæ, immo totius Italiæ, & Hiſpaniarum conſuetudini præferri debeant? Conſule, ſi vis, quæ de his auctoribus tradidere Natalis Alexander, (*a*) Mabillon, (*b*) & Pagius, (*c*) ad quos quidem Lectorem delego.

(*) Vide caput 23. §. 6. & 7. *Eos* (legatos) *vobis offerimus, ut ſciatis nos in omnibus eſſe paratos, quæ hujus ſacratiſſimæ ſedis neceſſitas, aut voluntas poſtulaverit* (in epiſto. Ludovici, & Lotharii ad Eugenium pag. 125.)

(*) Julius Benaglia is eſt, Auguſtianus, *Viſitatoris* munus nuper aſſecutus.

(*a*) diſſer. VI. ad ſæculum Eccl. VIII. §. 11., & ſequen.

(*b*) Præf. I. in ſæculum IV. Benedicti. §. 3. n. 23., & ſubſeq.

[*c*] in Critic. ad annum 825.

CAP.

CAP. XXXI.

Diſſolvuntur ea, quæ ex vetuſtis Scriptoribus, nihil materiale, aut inanimum coli a nobis poſſe affirmantibus, deducuntur.

I. SEd tametſi ſuperiores Scriptores imaginum cultui minus adverſantes, quàm Proteſtantes cuperent, oſtenderimus, non continuo hi ſe victos fatentur. Alios plurimos, quos nobis opponant, ſe habere confidunt. Objicit ſcilicet nobis Dallæus (a) omnes, qui *nihil materiale: nihil corporeum: nihil inanimum* a ſe coli, immo nec coli poſſe affirmarunt. Horum porro teſtimonia ſi recenſeamus, infiniti propemodum erimus, præſertim cum ab ipſis Eccleſiæ exordiis id affirmarint Fideles, eandemque Fidei Confeſſionem deinceps conſtanter retinuerint, & profeſſi ſint omnes. Atque hæc quidem Veterum Confeſſio, præcipuum eorum fundamentum erat, qui effuſæ in imaginum cultum venerationi obſtiterunt, nec numero, nec doctrina contemnendi.

II. Leve tamen hoc eſse perditæ cauſæ præſidium, Catholici affirmant. Atque ad objectum quidem argumentum valde probabilem, ut mea fert opinio, reſponſionem hanc habe. Eorum, qui *nihil materiale*, *nihil corporeum*, *nihil inanimum* coli poſse affirmarunt, duo veluti genera ſunt. Ac primum quidem priſci Doctores adverſus Gentiles diſputantes id ſæpiſſime tradiderunt, inculcaruntque. Recte quidem, ac merito: refellendus enim illorum erat error, qui veram *adorationem* ſimulacris, atque Imaginibus ipſis deferebant. Quo de argumento ſatis alibi egimus (b), idque indicat Dallæus ipſe, dum multa Patrum teſtimonia id edocentia recenſet.

III. Alii vero, qui eodem argumento utebantur, ne honor ille, quem a priſcis uſque ſeculis, ſacris imaginibus Catholici deferebant, iiſdem imaginibus adhi-

(a) *de imagini.* lib. I. cap. 2. pag. 61, & ſeq. editio. Genev. an. 1641.

(b) cap. XI. §. 2. 3. &c.

adhiberetur, facile hoc monito repulſi ſunt. Vera adoratio ea non eſt, quam deferimus imaginibus, ſed extrinſecum quoddam honorificentiæ argumentum, præſtantiæ, ac merito illius debitum, qui in ea imagine exhibetur, & a nobis honoratur. Hinc, quidquid ſecus Theologi Galli adverſus Nicænos diſputantes putare ſint viſi, [c] relativus, non abſolutus, neque in imaginibus ſiſtens is cultus eſt, qui imaginibus adhibetur. Hoc vero extrinſecum honoris genus rebus inanimis, ac materialibus deferri rectiſſime poſſe, ex eo liquido conſtat, quod inanima ac materialis erat arca, inanimæ, ac materiales Cherubinorum eam velantium imagines, & tamen, Deo ipſo jubente, non levi honoris, atque adeo cultus genere afficiebantur a Judæis. Horum Doctorum verba hic non affero, tum quia notiſſima ea ſunt, tum etiam quia eo de argumento aptior alibi redibit ſermo. Et ad præſentem Dallæi objectionem hactenus. (d)

(c) Eo ſpectare videntur ii Scriptores, quos Dallæus (*de imagi.* lib. 4. cap. 5. pag. 513. &c.) affert.

(d) Ea porro, quæ a Dallæo pag. 21. de imaginum conſecratione a Pontificiis peracta, & ab eo irriſa, atque impetita dicuntur, hic omittimus, nam capite poſtremo ea de re agemus.

CAP. XXXII.

Diſſolvuntur ea, quæ ex auctoritate Armenorum, atque Alemanorum, imaginum cultui [referente Niceta hiſtorico] obſiſtentium objiciuntur.

I. SEd nondum confectum negotium eſt. Alia pariter objiciunt, quibus quidem ſe oſtendere poſſe ſperant, Nicæno II., Adriano quoque, & Pontificibus reliquis pro [illegible] cultu ſtantibus, integros populos obſtitiſſe. Atque hos quidem eos recenſent, qui Albigenſes, [illegible], Waldenſes appellati ſunt, alii

aliosque hujus generis multos, quos ab imaginum cultu alieniſſimos fuiſſe conſtat. Ne porro redarguantur, quaſi eos tantum objiciant, quos hæreticos fuiſſe dicimus, alios pariter adverſus nos urgent, atque in primis Armenos, & Alemannos, quos ſæculo ipſo XII. Pontificiorum ritus, ac late fuſam ſuperſtitionem, quæ vulgus in imaginum cultum proclive reddiderat, ſummum in modum odiſſe, ex his Nicetę hiſtorici verbis aſſequimur. (*a*) *Hi enim* (de Armenis loquitur) *uni omnium tranſitum Alemannorum, non hoſtium incurſionem, ſed amicorum adventum judicabant; & commercia inter ſe agitant, & in pleriſque dogmatibus conſentiunt. Quippe apud Alemannos, & Armenios ſacrarum imaginum adoratio æque interdicta, & azimis utrique utuntur.*

II. Nihil tamen Pontificiorum cauſæ iſta nocent. Si iis, quos tu enumeraſti hæreticos, alios adjungi jubes, facile obſequar, neque enim per ea tempora defuere, qui perverſo dogmate, ritibuſque aberrantibus Catholicam veritatem pervertere ſtuduere. Sed quis a peſſimorum hæreticorum (ſic enim appellare merito poſſumus eos, qui Manichęorum errores, & impiam ſectam innovarunt) quis, inquam, a peſſimorum hæreticorum auctoritate ſe flecti ſinat, adeo ut id amplectatur, & ſervet, quod ipſi approbant? An non potius propterea etiam turpis apparet ea opinio, quod tam improbos habuit defenſores, ac vindices? Hæreticos porro fuiſſe eos, quos tu allegaſti, manifeſto oſtendunt errores, quibus illi adhæſerunt: qua de re ſi dubitas, ne te ad multos rejiciam, (*b*) ea conſule, quæ hoc de argumento tradidit Clariſs. Boſſuet (*c*). Sed quoniam putavere nonnulli, a Manichæorum erroribus remotos fuiſſe illos, quorum meminit Nicetas, & tamen imaginum cultui eos adverſatos fuiſſe teſtatur, diligentius id examinemus, videamuſque quàm recta horum opinio ſit: non quo earum nationum, quas tu objeciſti, auctoritatem ego formidem, cum plane noverim, multitudinem eorum, qui Eccleſiæ monitis minime obtemperant, in nullo pretio eſſe habendam, ſed quod pro certo habeam, eos, quos *Alemannos* Nicetas nuncupat, non in eo tantum a Romanæ Eccleſiæ conſuetudine receſſiſſe, quod hæc imagines colat, illi vero cultum hunc averſarentur, ſed in aliis fortaſſe non levibus.

[*a*] In anna. *de Iſaaco Angelo*. lib. 2. n. 3. pag. 212. edit. Vene. Pariſi. vero 258. Porro Iſaacus Angelus Orientis imperiũ anno 1185. aſſecutus eſt, decemque fere annis retinuit.

(*b*) in Bibliotheca Patrum facile invenies Scriptores, qui de his hæreticis egerunt.

(*c*) *in hiſtor. Varia.* lib. XI.

III. Ideo vero pro certo id habeo, quia Nicetas ipſe id mihi apertiſſime videtur tradere, cum de Alemannis, quorum meminit, hæc ait. *Cum Armenis in pleriſque Religionis dogmatis conſentiunt : alia quædam Orthodoxis Chriſtianis improbata, opinionis errore, pro legitimis obſervant*. Quibus quidem verbis, alienationi ab imaginum cultu, errores alios ab iiſdem Alemannis fuiſſe adjunctos; expreſſe tradit.

IV. At quoniam *Alemannos* omnes tam turpiter erraſſe neque Nicetas, neque alius deinceps ſcriptor affirmat, inquirere merito poſſumus, quænam Alemannorum natio peculiariter iis Nicetæ verbis deſignetur. Expendamus rurſus, obſecro, eadem verba, iiſque indiciis, quæ ille præbet, pertentemus, num hoc hominum genus adinvenire poſſimus. Tria præcipua indicia, hujuſce hiſtorici verbis traduntur; ad quæ quidem reliqua revocantur. Mutuum inter nationes illas duas (*d*) commercium; uſus azimorum in Euchariſtia: in eoſdem errores conſenſio (33); quibus quidem indiciis aliud, quod ex primo videtur conſequi, adjungere poſſumus; peritiam nempe itinerum ac viarum Regionum haud procul ab Alemania poſitarum, & ad imperium Orientale ſpectantium: adeo ut tam etſi Græci præcludere tentaſſent per montium anguſtias, & juga Alemanorum exercitui iter, vias tamen alias facile hic repererit, per quas, mirantibus Græcis, Philoppopolim pervenerit, atque occuparit. (34) Arbitror porro, ſi ex conjectura rem aſ-

(*d*) Armenos, & Alemannos.

(33) *Hi enim uni omnium tranſitum Alemannorum non hoſtium incurſionem, ſed amicorum adventum judicabant : & commercia inter ſe agitant, & in pleriſque dogmatis conſentiunt : quippe apud Alemannos, & Armenios Sacrarum imaginum adoratio æque interdicta eſt, & azimis in Sacris utrique utuntur, & alia quædam Orthodoxis Chriſtianis improbata, opinionis errore, pro legitimis obſervant*. (*)

(*) Nicetas ibidem.

(34) *Verum Rex illo arborum vallo ita impeditus eſt, ut ex anguſtiis nullo negotio evaſerit ; immo quod facetius eſt, alia via Philoppopolim penetravit : ibique vallo munito Romanis imprudentibus loca præoccupavit, a quibus prohibebatur, quorumque cauſa anguſtia obſtruebantur, Philoppopolim impreſſus &c.* (*)

(*) Nicetas ibidem.

aſſequi poſſumus, Alemaniæ nationes Bulgariæ finitimas, Bulgarorum Principibus olim fortaſſe ſubjectas, a Niceta indicari. Scilicet hæ nationes ſive naviculis per Iſtrum ad mare Euxinum, ſive equis turmatim deductæ facile cum Armenis commercia agere poterant; ideoque probe noſſe vias regionum illarum, quæ Conſtantinopolitanis Principibus ſubjectæ Armenos inter, & Alemannos Bulgaris finitimos intermediæ erant. Hæ porro nationes azimo conſecrabant, more ſcilicet per ea certe tempora ad Latinos omnes ſe protendente.

V. Audi porro, quænam rationum momenta me induxerunt, ut putarem, iiſdem, quibus Armeni irretiti erant, erroribus, hos pariter Alemannos fuiſſe irretitos. Armeniam jam pridem, & per ea quoque tempora, quibus Fridericus Imperator (de cujus in Orientem expeditione loquitur Nicetas) Paulicianorum ſectâ, veluti vetuſtiſſimi Manichęorum erroris novo ſurculo, fuiſſe infectam, indubitata res eſt. (e) Ab hac vero provincia in alias quidem Chriſtiani Orbis partes, ſed potiſſimum in Bulgariam irrepſiſſe, cum alii multi tradant, tum præſertim expreſſiſſime docent Petrus Siculus (*), Reinerius (f), & Boſſuet (g), ad quos Lectorem delego. Quo quidem conſtituto, quid veriſimilius dici poterit, quàm quod ea labes, quæ Europam pene totam infecit, primùm eas Alemaniæ regiones infecerit, quæ Bulgariæ affines ſunt, & propinquæ? Sicut enim adnitente Copronymo ab Armenia (35) in propiores Europæ regiones, tum in Bulgariam illapſa eſt, ita a Bulgaria in reliquas provincias, veluti contagione ſerpente, eam irrepſiſſe arbitror, ideoque primùm quidem propinquas, tum eas, quæ aliquo intervallo diſtabant, demum remotiſſimas occupaſſe, atque infeciſſe.

VI. Cave vero putes, id poſterioribus tantum temporibus eveniſſe. Medio fere ſæculo XI. ea hæreſis Saxoniam ipſam jam permearat. Audi quid ex Baronio didicerim. (b) *Eodem anno Imperator, cum Goslariæ*

 na-

(e) Vide quæ eo de argumento tradunt Petrus Siculus (pag. 824. tom. 16. Biblio. Pat. Pariſ.) Cedrenus pag. 341. editio. Vene. &c. Baronius tom. XI. ad an. 1016. n. 6.

(*) Ibidem.

(f) contra Valdenſes cap. 6. tom. 4. Bibliot. Patr. Pariſ. par. 2. pag. 759. *Eccleſia Albanenſis . . . Eccleſia Bulgariæ, Eccleſia Druganiciæ. Et omnes originem habuerunt a duabus ultimis.*

(g) in hiſto. *Variatio.* lib. XI. n. 16. 24., & 25. &c.

(b) ad an. 1052. n. 19. Eadem tradit Boſſuet §. 27. in quo quidem Hermanum Contractum, & Centuriatores allegat.

(*) Cedrenus parte 2. *compend. hiſtori.* n. 221. pag. 366. editio. Vene. pariſ. vero 463.

(35) Anno XI. *Conſtantinus Theodoſiopolim, & Melitinam recepit . . . . . . uſuſque peſtis præſcriptione cognatos ſuos Armenios, & Syros hæreticos ad ſe receptos, Bizantii, & in Thracia collocavit: qui in hunc uſque diem in hæreſi tyranni perſiſtunt: ab iiſdem & Pauliciana hæreſis latius propagata eſt.* (*)

natalem diem Domini celebraret, audivit ibi eſſe hæreticos Manichæos ..... eos omnes repertos patibuli ſuſpendio necari juſſit.

VII. Porro hoc genus hominum, ſive quod armis aſſuetum (neque enim Paulicianorum ſecta a militia abhorrebat, immo magnam ea de re ſibi famam comparaverat (*k*)) hoc, inquam, genus hominum, ſive quod armis eſſet aſſuetum, ſive ut imminens excidium evitaret; (flammis enim devovebantur hæreſi obſtinate addicti) Fridericum Imperatorem adverſus Turcas proficiſcentem ſecutum, ab Armenis veluti amicum ſuſceptum eſt, quod ex Niceta jam allegato didicimus.

VIII. Atqui ab his hæreticis Sanctos, Deiparam, atque adeo Chriſtum ipſum fuiſſe deſpectos, ex laudatiſſimis monumentis aſſequimur (*l*). Imagines quoque Crucis ii oderant. [*m*] An vero ſacras Imagines ab iis cultas, atque in honore habitas dices, qui Sanctos, Deiparam, atque adeo Chriſtum ipſum, illiuſque Crucem averſabantur? Hos itaque deſignavit Nicetas cum ea tradidit, quæ nobis objecerunt. Quanta porro perditiſſimorum hæreticorum auctoritas eſt, ut ab ea ſe terreri Catholici ſinant?

IX. Hæc propterea pluribus proſecutus ſum, quod noverim, hoc Nicetæ loco adverſus Catholicos abuti conſueviſſe Proteſtantes (*n*), atque ab eo deceptos fuiſse nonnullos, ceteroqui catholicos, & cordatos viros. (*o*) At Nicetæ hac in re auctoritatem imminuere atque elevare nonnulli ſtudent, dum de Armenis ipſis (de quibus minor dubitandi locus, quàm de Alemannis videtur eſſe) hæc affirmat Nicephorus (*p*): *Imagines Sacras honorant quidem*. Quod vero ad Alemannos pertinet, generatim monent, his Græcorum accuſationibus fidem non eſſe habendam: quippe & temere, & ſæpe calumniati Latinos ſunt, quaſi hi ſacras imagines colere recuſarent (*q*). Sed tametſi hæc Latinorum adverſus Græcos querela rectiſſime fundata ſit, quod ad Armenos tamen attinet, cum integro fere ſeculo poſt Nicetam vixerit Nicephorus, hujus dicta Nicetæ teſtimonium minime attenuant: Eo enim, quod inter Scriptores iſtos interceſſit tempore, antiquas hæreſes fortaſſe imminuerunt.

(*k*) Quantum bellica virtute valuerint Pauliciani, tradit Cedrenus parte 2. pag. 425. editio: Vene: 541. Pari: Pertinere etiam huc facile poterunt, quæ de Bulgarorum victoriis docet Scriptores, quos recenſet Morery *in Lexico* ad vocem *Bulgaria*.

(*l*) recole quæ diſſertatio. 2. cap. 6. §. 1. diximus: his ea adde, quæ tradidit Boſſuet lib. XI. *Variatio*. §. 21.

(*m*) Petr. Siculus parado. 4. pag. 817. to. 16. Biblio. Patr. Pariſ.

(*n*) Dallę: *de imag.* li. 4. cap. 7. pag. 573. Kempius *de oſculis* differta. 6. §. 16. pag. 166.

(*o*) in conſultatio. ar. 21. pag. 592. tomi 4. Oper. Hugonis Grotii.

(*p*) lib. 18. cap. 53.

(*q*) Vide Manuelis Calecæ librũ 4. contra Græcos pag. 452. to. 26. Biblio. Patr. Lugdun. ſub titulo *de ſacris imaginibus &c.* quæque ad hunc locum adnotant editores.

DE

DE IIS MODIS, QUIBUS VENERATIO SACRIS IMAGINIBUS ADHIBERI CONSUEVIT.

DE antiquitate, ac jugi illa conſuetudine, quam ſervavit, ſervatque etiam num Eccleſia, dum Sacris imaginibus venerationem adhibet, ſuperioribus capitibus ſatis diximus. Diſcutiendi nunc peculiariter ſunt modi, quibus eandem venerationem iiſdem ſacris imaginibus deferimus. Porro ii ipſi videntur eſſe, quibus ſacras reliquias colimus: ideoque imagines conſuevimus proponere ad venerandum: eas in publicis ſupplicationibus, &, uti dici mos eſt, proceſſionibus, ſolemniter deferre: honoris causâ oſculari: ante eas proſterni: cereos, thus, aliaque odora accendere, atque adolere.

CAP. XXXIII.

De ea conſuetudine, quæ nobis eſt, ut Imagines proponamus ad venerandum.

I. INnuimus alibi (*), haud improbandam illorum eſſe ſententiam, qui cenſent, ideo imagines in abſidibus, aliisque editioribus Eccleſiarum locis fuiſſe pictas, ut a populis commode inſpici, et coli poſſent. Atque illorum quidem conjecturam veriſimillimam cenſeo, eamque mirum in modum comprobant quædam Hadriani Pontificis verba, quæ hic prætermittere minime debemus. Ecce itaque illa. (a) *Sanctus Silveſter Papa, & Conſtantinus Chriſtianiſſimus Imperator venerati ſunt ſacras imagines, & cum nomine Chriſtianitatis palam coram omnibus fideliter, atque mirabiliter eas oſtenderunt, & a tunc uſque hactenus Sanctorum Pontificum, videlicet Silveſtri, Marci, & Julii miræ magnitudinis Sanctæ eorum Eccleſiæ apud nos ſunt depictæ tam in muſivo, quamque in ceteris hiſtoriis cum ſacris imaginibus ornatis.*

(*) diſſ. 9. cap. 68. §. 16.

(a) in epiſto. ad Carol. M. *in defenſ. Nicæni* II. ſect. 3. cap. 19. pag. 1591. to. 8. Conci.

II. Quod ſi expreſſa ipſa monumenta perquiris, quibus mos hic comprobetur, ſtatim ea proponere aggredior. Porro, qui certis monumentis innixa putant ea, quæ a nobiliſſimo Principe de Edeſſena imagine (de qua alibi fuſe diſſerui [b]), litterarum monumentis prodita ſunt, antiquiſſimum teſtimonium id quod agimus, mire evincens, ſe habere ajunt. Scilicet imago hæc primis ipſis Eccleſiæ temporibus e loco ſublimi propoſita eſt, eoque in loco collocata, in quo antea idolum conſtiterat, ut ſcilicet ipſa coleretur a populo, qui antea idolo ibi poſito venerationem præſtiterat. (c) At quoniam non æquam apud omnes exiſtimationem obtinuit oratio illa, ad monumenta alia vertendus eſt ſermo.

(b) differt. 9. cap. 30. & ſubſequentibus tribus.

(c) Recole verba orationis ipſius allata cap. 2. hujuſce X. diſſertationis §. 5.

III. Atqui fidem procul dubio non denegabis hiſtoricis illis, qui eandem Edeſſenam Imaginem velis pla-

ne

ne denudatam per caſtra deductam narrant, ut ab illius aſpectu ad eam venerandam inducti, confirmatique militum animi, timorem, quem conceperant, abjicerent, vel ſæva odia iraſque deponerent; & ad mitiora conſilia deducerentur. Hiſtoricorum hæc referentium nunc verba non refero, quod alibi ea retulerim. (*d*) Hic ea recolat Lector.

IV. Vin' alia hujuſce moris exempla? Ecce illa. *De Veronica* (ideſt de ea Jeſu Chriſti Imagine, quæ Romæ in S. Petri Baſilica, ſummo cum honore ſervatur, diciturque Veronica, quod vera Jeſu Chriſti icon, ſeu imago putatur eſſe) (*e*) de Veronica, inquam, ea ſcriptis prodidere Bzovius (*f*), Jo: Villanus (*g*), & Mabillon, (*h*) quibus certo aſſequaris, eam dudum populis ad venerandum fuiſſe propoſitam.

V. Vetuſtiora porro exempla ii proferre ſe putant, qui vela hic memorant ante imagines poſita. Etenim propterea vela ante imagines poſita fuiſſe ajunt, ut iis imagines obtegerentur; ita tamen, ut ſolemnioribus aliquibus diebus auferrentur; iis ſcilicet quibus ſolebat populus ad eaſdem imagines confluere, ut eas veneraretur. Atque horum quidem velorum frequens apud Anaſtaſium occurrit mentio. Loca aliqua in margine indico. (*i*) Conſuevere vero Fideles, cum a Sacris Imaginibus vela auferebantur, eas honoris, venerationiſque argumentis proſequi. Hinc merito conjicimus, ad hunc morem reſpexiſſe Gregorium Turonicum, cum hæc ait: (*k*) *Qui* (Epiſcopus) *protinus juſſit deſuper expandi velum, & ſic obtecta nunc pictura ſuſpicitur. NAM ET SI PARUMPER DETEGATUR AD CONTEMPLANDUM, mox demiſſo velo contegitur, ne detecta cernatur*. Sane jam pridem conſueviſſe Fideles ſacras imagines, ablato, quo tegebantur, velo colere, & venerari, palam diſcimus ex Ordine Romano XI. a Mabillonio evulgato. Expreſſa illius verba deſcribo. (*l*) *In vigilia Sanctæ Mariæ, mane Dominus Papa cum Cardinalibus, diſcalceatis pedibus facit VII. genua, & aperit imaginem, & oſculatur pedes Domini, & deponit juſum cantando*: Te Deum laudamus: *quod conſtituit Leo IV. Papa*. Num vero Dominum Jeſum tantummodo

ea

(*d*) diſſer. 9. cap. 36. §. 2.

(*e*) Vide quæ advertit Clariſs. Ruinart ad caput 22. libri 1. *de glo. Marty.* Grego. Turo.

(*f*) ad an. 1216. n. 27.

(*g*) lib. 8. cap. 36.

(*h*) *Iter. Italic.* pag. 86., & pag. 265. tom. 1. *Muſei Italici*.

(*i*) in Leone III. ſect. 409. *Velum tyrium majus, quod pendet ante imaginem .... vela modica, quæ pendent ante imagines argenteas .... velum majus, quod pendet ante imaginem Salvatoris*. Et ſectione ſubſeq. ideſt 410. *Velum album holoſericum .... quod pendet ſuper imagines aureas*.

(*k*) *de glori. Marty.* cap. 23.

(*l*) n. 71. pag 151. to. 2. *Muſei Italici*.

ea imago repræſentaret, an potius Virginem Mariam ſinu complexam Dominum Jeſum, incertum habeo; ſed eorum ſane non eſt improbanda ſententia, qui imaginem Mariæ ſinu complectentis Dominum Jeſum eo in loco indicari ajunt (*m*).

VI. Quid vero ſi narrationem quandam addidero, quam proponunt Belethus, & Durandus? tametſi enim his Scriptoribus non admodum in Græcorum ritibus, & conſuetudinibus verſatis, [*n*] rem quoque populari quadam fama vulgatam, nec ſibi probe compertam (*o*) narrantibus, fidem hac ipſa in re ſeveriores Critici abrogent, referri tamen hic meretur, quatenus eum morem indicat, de quo diſſerimus. En itaque, quæ narrat Belethus, (*p*) cujus verba fere exſcribit Durandus. (*q*) *Agitur ſeptima die de B. Maria Virgine, quod non temere ita conſtitutum accepimus; miraculoſum enim habet initium: nam quum olim Conſtantinopoli in quadam Eccleſia imago Beatæ Virginis habebatur, ante quam velum quoddam dependebat, quo tota ea cooperiebatur, contigit, ut ſexta ſemper feria velum hoc a veſperis ab imagine nullo movente decideret, & divino miraculo quaſi deferretur in cælum, ita ut jam plene, ac perfecte ab omnibus conſpici poſſet, & deinde rurſus in Sabbato veſperis abſolutis ad eandem imaginem deſcenderet, ibique permaneret uſque ad proximum diem Veneris.*

VII. Hic etiam nonnulli afferunt ea, quæ Clariſſ. Chifletius *de linteis Chriſti ſepulchralibus* differens ſcriptis prodidit: ſæpe ſcilicet fuiſſe ad venerandum propoſita ea ſacra lintea, in quibus expreſſa eſt rudis quidem, & pene informis, ſed tamen aliqua ſacri corporis Chriſti ſpecies, & talis ſane, ut eam ob rem eadem lintea in imaginum numero facile recenſere poſſimus.

VIII. Hæc porro in hoc argumento delibaſſe ſit ſatis: cum enim conſentiant omnes, illud ipſum honoris genus, quod Reliquiis defertur, imaginibus etiam deferri conſueviſſe, dubitabit profecto nemo, num imagines populorum venerationi propoſitæ ſint, cum palam conſtet, id erga Reliquias fuiſſe præſtitum. Ad alia itaque properemus.

(*m*) in hac profecto ſententia fuit Mabillon, quippe in indice tomi 2. *Muſei Italici* verba hæc appoſuit: *imagini S. Mariæ Papa facit VII. genua*: tum Lectorem ad locum, quem nuper allegavimus, rejicit. Et quid ſane veriſimilius, quàm quod Beatæ Virginis imago foret illa, quæ *in Vigilia S. Mariæ aperiebatur?*

(*n*) e. g. narrat Durandus lib. 1. cap. 3. n. 2. Græcos imagines pingere *ſolum ab umbilico ſupra &c.* cum tamen integras hominum imagines procul dubio efformarint, & nos ſane in græcis Codicibus noſtræ Bibliothecæ haud paucas integras imagines habeamus.

(*o*) Conſtat id ſane ex verbis illis *in quadam Eccleſia*: perinde quaſi ignorari poſſet, in quanam Eccleſia tam celebre miraculum ageretur.

(*p*) *Ratio. divin. offi.* cap. 51.

(*q*) *Ratio. divin. offi.* lib. 4. cap. 1. n. 31.

CAP.

C A P. XXXIV.

De eo ritu, quo honorifice in publicis Supplicationibus, & uti eas appellare conſuevimus, Proceſſionibus, ſacras imagines deferimus.

I. PUtarunt, fateor, nonnulli haud vetuſtum eum eſſe morem, qui cum haud infrequens reliquis Urbibus ſit, frequentiſſimus ſane Bononiæ eſt, ut ſcilicet ſolemni pompa ſacras imagines in publicis ſupplicationibus, & ut eas appellare conſuevimus, *proceſſionibus* deferamus. At eum ad priſca ipſa Eccleſiæ tempora haud immerito referre poſſumus. Cum enim noverimus, eadem honorificentiæ argumenta, quæ ſacris Reliquiis adhibentur, imaginibus etiam deferri conſueviſſe, & indubitatum ſit, ſacras Reliquias vetuſtiſſimis ipſis Eccleſiæ temporibus ſolemni pompa in publicis proceſſionibus fuiſſe delatas (*a*), quis vertere in dubium poterit, num eodem honore ſacras imagines proſecuti ſint Fideles? Num vero expreſſa ipſa hujuſce moris exempla afferri jubes? Ecce illa. Proditum eſt ab eximio Sigonio, Gregorium Magnum, ut afflictis Romanorum rebus, divino implorato præſidio, opem ferret, ſolemnem ſupplicationem inſtituiſſe, in qua vetuſtiſſima Beatæ Virginis imago celebri pompa delata eſt. (*b*) Id ipſum narrat Baronius. (*) Quo auctore id didicerit Sigonius, neſcire me non inficior, ſed dubitare minime poſſumus quin a probatiſſimo exceperit. Baronius porro veteres libros Rituales, & Ordinem Romanum allegat.

II. Errare ſane eos, qui hiſtoriam hanc propterea in dubium vertunt, quod putent iis temporibus morē eum nondum in Eccleſiā fuiſſe inductum, aſſequimur ex Beda, qui ingreſſum Auguſtini ab eodem Gregorio in Angliam miſſi deſcribens, hæc habet. (*) *Roboratus ergo confirmatione beati patris Gregorii Auguſtinus cum famulis Chriſti, qui erant cum eo, redit in opus verbi, pervenitque in-*

(*a*) Recole quæ capite 24. & ſeq. diſſertationis XXXI. diximus.

(*b*) Sigoni. de Regno. Italiæ lib. 1. pag. 51. novæ editio. Mediolan.

(*) ad an. 590. n. 18.

(*) lib. 1. hiſto. Angli. cap. 25.

in Britanniam. Erat eo tempore rex Edilberthus in Cantio potentiſſimus. . . . illi non dæmoniaca, ſed divina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, litaniaſqae canentes pro ſua ſimul & eorum, propter quos, & ad quos venerant, ſalute æterna Domino ſupplicabant. (*)

III. Recole hic etiam, quæ ex Chronico Andreæ Danduli alibi adduxi (*c*), quæque eam, de qua agimus, rem, mirum in modum juvant: oſtendunt enim, deterritos Fideles Mariæ opem, proceſſione cum ejus imagine inſtitutâ, imploraſſe: petentibus vero ſubſidium, eandem Virginem facile tribuiſſe, diſperſis nempe, excitata ejus ope procella, Saracenorum navibus.

IV. Quantum vero ſpei in humilibus iis proceſſionibus, in quibus celebratiſſimæ imagines ad excitandam populi devotionem deferrentur, collocare conſueverint Fideles, non modo ex allatis, verum etiam ex aliis exemplis aperte conſtat. Vin' ea producã? Pareo libens. Heraclio imperante, Conſtãtinopoli minitantibus Perſis, Deiparæ imagines fuiſſe publica ſupplicatione circumlatas, aſſequimur ex Græcorum Triodio (*d*). Afferri etiam hic apte id poteſt, quod ex Ordine Romano XI a Mabillonio evulgato diſcimus: atque ipſa quidem hujus Ordinis verba hic proferre æquum cenſeo (*e*). *In Aſſumptione Sanctæ Mariæ Dominus Papa cum omni curia facit veſperum. . . . . Cardinales, & Diacones accipiunt imaginem Jeſu Chriſti, & abſtrahunt de Baſilica S. Laurentii cum omni populo, portantes eam per campum lateranum juxta baſilicam Sancti Gregorii. Crucem ſtationalem portat regionarius poſt eam: poſt quam proceſſio curiæ ordinate procedens, cantando pſalmos... Præfectus cum duodecim viris accipit a curia* XII. *faculas. Oſtiarii vero alias* XII. *portantes accenſas ante imaginem. Dum imago tranſit per campum, cubicularii ſtant in culmine Sancti Gregorii, tenentes duas faculas accenſas, quas imagine tranſacta, extinguunt faculas. Cumque imago venerit ad Sanctam Mariam Novam, deponunt eam ante Eccleſiam, & lavant pedes ejus de baſilico* (*f*) . . . . *Populi vero laudantes, & benedicentes Dominum, tollunt eam inde, & portant ad Sanctum Adrianum, & ibi lavant pedes. Exeuntes autem de Eccleſia, redeunt per viam, qua*

(*) Simillima habet in fine capitis.

(*c*) differ. 9. cap. 54. §. 7.

(*d*) verba Triodii in latinum verſa tibi præbet Gretſerus lib. 1. *de ſacris proceſſio.* cap. 11. to. 5. editio. Ratiſ. pag. 32.

(*e*) n. 72. pag. 151. to. 2.

(*f*) Num ut imago abſtergeretur a pulvere, num ut præpararetur ad ſacra oſcula a populo excipienda, an potius utramque ob cauſam, judicet Lector.

qua venerunt, & ponunt eam per arcum in Lathone, quia antiquo tempore magna perſecutio erat ibi Diaboli. Deinde tranſeunt juxta Domum Orphei propter baſiliſcum, qui tunc temporis latitabat ibi in caverna, cujus fœtore, & ſibilo homines ibi tranſeuntes infirmabantur, & moriebantur. Idcirco Sergius Papa (g) *conſtituit hanc proceſſionem in hac tanta feſtivitate: quatenus per laudes tantorum populorum, & interceſſionem Sanctiſſimæ Virginis Mariæ apud Deum, populus Romanus ab his perſecutionibus liberaretur.* Atque hanc quidem proceſſionem deſcriptam arbitror in vetuſto alio Romanæ Eccleſiæ Rituali, cujus alibi meminit idem Mabillon (*h*).

V. Ut iminens ingentis excidii periculũ averteret Stephanus III. inter alia pietatis argumenta, ad quæ confugit, proceſſionem etiam, in qua ſacra imago ſolemniter deferretur, agendam ſtatuit. Id ſane Anaſtaſius hiſce ipſis verbis memoriæ prodidit. (*i*) *Rurſuſque antefatus Sanctiſſimus Pater congregato univerſo Romano cætu taliter eos paterno amore admonuit, inquiens: Quæſo vos, filii chariſſimi, pro noſtrorum delictorum mole, Domini imploremus clementiam, & ipſe noſter erit adjutor . . . In una vero dierum cum multa humilitate ſollicite procedens in letania cum ſacratiſſima imagine Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, quæ antheropſita* (*k*) *nuncupatur. Simulque, & cum ea alia diverſa ſacra miniſteria* (*l*) *recipiens, proprioque humero ipſam Sanctam imaginem cum reliquis Sacerdotibus, idem Sanctiſſimus Papa geſtans, nudiſque pedibus tam ipſe, quàmque univerſa plebs incedentes in Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis, quæ ad Præſepe nuncupatur, poſito in omnium capitibus populorum cinere, cum maximo ululatu pergentes, miſericordiſſimum Dominum noſtrum deprecati ſunt.*

VI. Præſtat autem alia Anaſtaſii verba adjungere. (*) *Præclarus, & celeberrimus dies advenit, in quo beatæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ Aſſumptio celebratur. Tunc præfatus, & Univerſalis Papa a Patriarchio cum hymnis, & canticis ſpiritualibus, SANCTA PRÆCEDENTE ICONA, ad Baſilicam S. Adriani Martyris, ſicut mos eſt, cum omni Clero perrexit &c.* Pergit porro ad narrandum, quomodo hoc pietatis argumento baſiliſcus antea infeſtus (*) fugatus ſit.

VII. His exemplis accedant alia, vetuſta illa quidẽ, ſed quàm vetuſta illa ſint, difficile poſſumus ſtabilire: Ete-

(g) Quiſnam ſit Sergius ille, cujus hic eſt mentio, habes ex Anaſtaſio Biblioth. his verbis. *Conſtituit, ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, ac Sancti Simeonis, quod hipapanten Græci appellant, Litania exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat.* ſect. 164.

(*h*) in cõmentario in Ordinem Romanum pag. xxxiv. to. 2. *Muſei Italici*.

(*i*) de Stepha. III. ſect. 233.

(*k*) *Acheropita*, niſi plane fallimur.

(*l*) aliter, idque melius, *myſteria* (id eſt reliquias, aut, ſi vis, imagines ſacras).

[*] in Leone iv. ſectione 504.

(*) Vid. ſect. 503.

nim deſumpta illa ſunt ex Ordinibus Romanis, quos Mabillon evulgavit, in quibus præſcripti ritus non raro vetuſtiſſimi, interdũ minus vetuſti ſunt. Referã itaque illa. De eorum antiquitate judicet Lector. In Ordine Romano XI hæc præſcribuntur. (*m*) *In Purificatione Beatæ Mariæ . . . . Mane ſtatio ad S. Mariam-Majorem. Exeunt* XVIII. *imagines a Diaconis, & cum Clericis, & populo veniunt ad S. Adrianum, ubi fit Collecta*. Idem fere mox repetitur his verbis: (*n*) *In Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis... Mane fit Collecta ad Sanctum Adrianum, ubi Dominus Papa convenit cum omnibus ordinibus palatii: & expenſis cereis benedictis cum* XVIII *imaginibus Diaconorum diſcalceati pergunt proceſſionaliter ad S. Mariam-majorem, ſicut dictum eſt in Purificatione*. Similia reperuntur in Ordine XII (*o*)

(*m*) n. 29. pag. 131. tom. 2. *Muſei Italici*.

(*n*) n. 32. pag. 133. & n. 33. pag. 134.

(*o*) §. v. n. 10. pag. 172. & 173.

VIII. Quàm ſit antiqua proceſſio illa, cujus mentio fit in Typico S. Sabæ, me ignorare fateor. Illius tamen verba referre juvat, cum illius inſtitutio recens procul dubio non ſit. (*p*) *Finito matutino* (Dominicæ Orthodoxiæ, in qua quidem commemorationem reſtitutarum imaginum Græci faciunt) *proceſſionem inſtituimus cum Sacris Crucibus, venerandiſque imaginibus; imuſque ad deſtinatum locum, in quo Synodi Decretum legi debet*.

(*p*) cap. 32.

IX. Alia ſi addidero, videbor fortaſſe inutilem agere operam. Quis enim ignorat, ſubſequentibus temporibus frequentiſſimas fuiſse eas proceſſiones, in quibus ſacra aliqua imago deferretur? Pleniſſimi ſunt hiſtoriarum libri, pleniſſimi Rituales: abundat vero præ ceteris Italiæ Urbibus hiſce exemplis (quod antea dixi) noſtra Civitas, quæ jam pridem (Rogationum præſertim tempore) cum alias quidem, tum præſertim eam, quæ a Luca Evangeliſta picta dicitur, Deiparæ imaginem, aliquibus ab hinc ſeculis, feſto devotoque apparatu deferre ſolet, & circumducere. Mirari porro minime debemus, ſi tam frequens fuerit ritus iſte: nam præter quã quod honori maxime illi vertitur, cujus imaginem celebri pompa deferimus, flectitur ſane eo aſpectu ad pietatis ſenſus Fidelis populus, qui propterea preces, pſalmos, hymnos in iiſdem proceſſionibus concinere conſuevit, & Dei miſerationes, humili, contritoque corde depoſcere.

CAP.

CAP. XXXV.

Vindicamus ab objectionibus eum, de quo nuper diſputavimus, ritum.

I. UNum ſupereſt, quod hic agamus: ut ſcilicet primo quidem Auguſtini teſtimonium, quod creberrime objicitur, atque inculcatur a Proteſtantibus, illuſtremus, tum vindicemus a reprehenſionibus ea, quæ adduximus, exempla. Contendunt ſcilicet adverſarii noſtri, mirum in modum diſplicuiſſe Auguſtino proceſſiones omnes, in quibus ſimulacra quævis, atque imagines circumferuntur, quatenus hæ faciunt, ut pompa illa & ſpecie allecti, illuſique populi cultum deferant ſimulacris ipſis, atque imaginibus, ideoque iis ſuperſtitioſam venerationem adhibeant. Auguſtini porro cum ſumma ſemper fuerit in Eccleſia auctoritas, ea facit, ut putemus, obſecutos illius monitis fuiſse populos, ideoque eos nullas olim egiſſe imaginum proceſſiones. Quis vero eum morem, averſantibus veteribus omnibus Auguſtini monito territis, commendabit, paucis iis protectus exemplis, quæ ex iis ſeculis deſumpta ſunt, quibus procul dubio a primæva puritate, Eccleſia defecerat? Sed ipſa denique Auguſtini verba producamus. *Hoc enim facit* (inquit S. Doctor (*a*)), *& quodam modo extorquet* [cultum] *illa figura membrorum, ut animus vivens in ſenſibus corporis, magis arbitretur ſentire corpus, quod ſuo corpori ſimillimum videt, quàm rotundum ſolem, undaſque diffuſas, & quidquid non eiſdem lineamentis formatum conſpicit, quibus illa formata ſunt, quæ viventia videre conſuevit*. Et mox (*b*) apertius etiam; *Plus valent ſimulacra ad curvandam infelicem animam, quòd os habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quàm ad corrigendum, quòd non loquentur, non videbunt, non audient, non adorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt*. Hæc adverſarii.

(*a*) n. 5. ſermonis 2. in pſ. 113.

(*b*) ideſt n. 6.

II.

II. Sed ne hilum quidem proficiunt. Temere ſcilicet Auguſtinus, atque imprudenter in reprehenſionem illius, de quo diſſerimus, ritus adducitur. Verum id eſſe fateor, quod idem Auguſtinus pronunciat; a ſpecie ſcilicet ipſa, & ſimilitudine quadam, & conformitate humanorum membrorum, quibus Deorum ſimulacra fingebantur, præſertim quum pompa quadam, & celebri apparatu circumferebantur, deceptos fuiſſe incautos quoſdam, & ſimplices homines, adeo ut facile devolverentur ad ea ipſa colenda ſimulacra, quæ tamen inertia, & ſenſus expertia conſpiciebant. At quid hæc ad rem noſtram? Nonne id ipſum fere tradidit auctor libri Sapientiæ (*), cujus monitis quis e Pontificiis obſiſtit? An ipſas Sanctorum ſtatuas, & imagines, quas in proceſſionibus ſolemni pompa deducimus, quaſi viventes colimus? An ab ipſis, quaſi nos audiant, beneficia petimus? An non potius, ideo humanis membris Sanctorum imagines efformamus, ut ad eorum memoriam facilius, ac vehementius excitemur? Ornamus vero, & cum pompa deducimus, tum alias quidem ob cauſas, quas jam recenſuimus, tum etiam ut pompa iſta, & apparatus nos ad eos venerandos deducat, qui amici ſunt Dei, & cum illo regnant noſtri patroni, & fautores: quos ipſos, atque adeo Eccleſiam, plane novimus omnino nolle, divinum illis deferri cultum; adeo ut temere verearis (ſi vereris) divinos illis honores propter eam pompam, & apparatum a nobis adhiberi.

(*) cap. 13. v. 13. &c. & cap. 14. v. 15. &c. Adde quæ tradit Baruch. 6. 3. &c.

III. At contemnis exempla ea, quæ ſuperiori capite adduximus, quaſi minus antiqua, atque adeo ad id, quod agimus, minus apta: cum enim reprehenſus ſit (inquis) hic ritus a viris optimis, cur juvat illius exempla commemorare? Audirene vis, (en quomodo nos urgere pergunt adverſarii)? Audirene, inquam, vis Viros etiam optimos ritum hunc redarguentes? ſtatim obſequor, duosque tibi allego præſtantiſſimos (Pontificiorum quidem ipſorum judicio) Theologos, Michaelem Epiſcopum Mersburgenſem, & Caſſandrum; quorum primus a Caſſandro in rem ſuam allegatur: alter vero, ideſt Caſſander, hæc ſcribere minime dubitavit (c). *Quamdiu ſerico, auro, & gemmis ornatæ ſtatuæ, in templis, & aris conſtituentur, & paganico more in humeris circumferentur, ſuperſtitionis finis ſperandus non eſt.*

(c) in conſulta. arti. 21. pag. 593. to. 4. Ope. Hugo. Grotii.

IV.

IV. Ut dem, non æque antiqua afferri poſſe exempla proceſſionum earum, de quibus nunc agimus, atque illa, quæ nobis præbent proceſſiones, in quibus Sanctorum reliquiæ ſolemni pompa delatæ ſunt, ut id, inquam, dem, fatearis tamen neceſſe eſt, haud nova illa eſſe, quæ in rem præſentem attuli. Præterquam quod neque vetuſta omnia monumenta ſuperſunt, neque ea omnia quæ ſuperſunt, recolere ego potui; conjicere vero facile poſſumus ex iis Proceſſionibus in quibus reliquiæ deferebantur, jam pridem Fideles minime abhorruiſſe ab iis proceſſionibus, in quibus par honor imaginibus adhibetur. (*d*) Peculiaris tamen, ne quid diſſimulem, ratio fortaſſe extat, quæ Epiſcopos, & Fideles reliquos movit, ne eas, de quibus agimus, proceſſiones, vetuſtiſſimis temporibus frequentes haberent. Caverunt ſcilicet ne eos ritus obſervarent, qui Gentilium ritibus ſimillimi dici poſſent. Caverunt quoque, ne eos obſervarent, in quibus periculum, tametſi leviſſimum, idololatriæ ineſse quiſpiam ſuſpicaretur. Quis porro ignorat, Gentiles Deorum ſuorum ſtatuas ſolemni pompa, atque apparatu deferre conſuevisſe? (*) Potuiſſent vero ii, ſi vidiſsent æquali pompa Sanctorum ſtatuas a Chriſtianis circumferri, facile putare, poſse ſe quoque cum laude Deorum ſuorum ſimulacra æquo honore proſequi, quoniam Chriſtiani erga Sanctorum imagines id faciebant. Illi vero, qui nuper a patria ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem deducti erant, ſi rudes, & ſimplices, ad antiquos errores ſenſim fortaſse rediiſſent, ſibique in animum induxiſsent, in ſtatuis ipſis, & ſimulacris præſtantiam quandam, & virtutem ineſse, quam merito honorare venerarique poſsemus. Eccleſiarum porro præſides admodum circumſpecti, & prudentes, quamvis celebratiſſimum illud reſpondere poſsent: (*e*) *Illud fiebat idolis, & id circo deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt*; conſultius tamen putarunt, ſi hæc ipſa removerent pericula, & paucas admodum proceſſiones inſtituerent, in quibus imagines celebri pompa deferrentur. At ſublato eo timore, vetuſtiſque aboletis erroribus, non modo eas egit, laudavitque proceſſiones Eccleſia, in quibus Reliquiæ deferrentur, ſed eas etiam inſtituit, approbavitque, in qui-

(*d*) Recole quæ diſſert. 8. capite 24., &c. diximus.

(*) Baruch. VI. 3. &c. Sulpici: Sever. *de Vita* S. Martini cap. XII. aliàs 9.

(*e*) Hierony. adverſ. Vigilan. cap. 3. in Veron. editio. n. 8.

quibus ſacræ imagines celebri pompa circumferrentur. An propterea eadem Eccleſia reprehendenda, aut nuper inſtitutus dicendus ritus ille, qui originem ſuam ad vetuſta ipſa ſecula refert? . .

V. Sed idem ritus diſplicuit (inquis) Epiſcopo Merſpurgenſi, & Caſſandro. Erras tamen (ut candide, quod ſentio, pronunciem) ſi ab Epiſcopo Merſpurgenſi proceſſiones reprehenſas cenſeas. Legi ego diligenter locum illum, ad quem reſpexiſſe Caſſandrum arbitror: nempe Concionem XXIV. inter eas, quæ *de decem præceptis* inſcribuntur. Fatetur quidem, *aliquas ſuperſtitiones* (*f*) *plus ſatis toleratas eſſe in Eccleſia*; ſed quis hoc non fateatur, cum jam pridem edocuerit Auguſtinus, nonnulla eſſe in Eccleſia, quæ non approbat illa, ſed emendare ſtudet? (*) Docet quoque, *neutiquam propter ſe ipſas coli, vel adorari debere, nec ſanctiores putandas eſſe in ſe ipſis, nec aliter uſurpandas, quam uſurpentur litteræ in codicibus*. Id porro ii omnes docent, qui pro relativo imaginum cultu ſtant: at quod ad proceſſiones attinet, ne ullum quidem expreſſe de iis habet verbum: immo haud obſcure docet, ea externa venerationis argumenta iiſdem imaginibus deferri laudabiliter poſſe, quorum cauſa *proceſſiones* videtur reprobare Caſſander. Audi ſane quid ille eloquatur. *Sed inquies: Palam conſpicimus homines nonnunquam capita nudare, & genua flectere coram ſimulacris: hoccine juſtum videtur? Reſpondeo. Recte id fieri equidem pronuncio, ſi ſyncero, puro, & recto fiat animo. . . . Quis igitur mihi vitio vertat, ſi caput aperiam, in genua procumbam, ut hoc ipſo Deo gratum me declarem? Non enim imagini propter ſe ipſam hoc honoris exhibeo, ſed illum potius veneror in imagine, quem ea deſignat: ille enim ſanctus eſt: Atqui imago per ſe nihil habet ſanctimoniæ præter ſanctum, & pium uſum .... Habemus imagines ob refricandam memoriam... Sunt igitur imagines Chriſti, ſi ſic eis utamur, & bonæ, & utiles, immò & neceſſariæ. Eodem modo de imaginibus Sanctorum ſentiendum eſt &c.*

VI. Caſſandrum vero fateor proceſſionibus, de quibus agimus, haud multum faviſſe, ſed unius, tametſi laudatiſſimi viri, opinio conſuetudini ab Eccleſia approbatæ præponi non poteſt. (*g*) Indulgendum quoque aliquid eſt Viro Proteſtantium cum Catholica Eccleſia

(*f*) pag. 134., & 135. *catech. Catholi.* latinitate donati a Tilmanno Bredembachio, editique Colon. an. 1562.

(*) Auguſti: de moribus Eccleſiæ Catholicæ n. 76., & alibi etiam.

(*g*) Damaſc. n. 26. ora. 1. *de ſacr: imag. Quod a paucis, & raro fit, vim legis in Eccleſia non habet. Nam ut Gregorio Theologo placet, una hirundo non facit ver, nec unius ſententia tanti roboris fuerit, ut univerſa Eccleſia. . . traditionem poſſit evertere.*

cleſia conciliandorum cupidiſſimo, ideoque metuenti, ne eos ritus, in quos errores aliqui interdum irrepſerant (quam etiam ob rem eos oderant Proteſtantes) nimia conſtantia retinerent tuerenturque Catholici, ideoque ſpem præcluderent pacis illius, quam ille vehementer amabat, exoptabatque. Ceterum minime dubito, quin ſi abuſus illi, quos Caſſander deſcribit, in proceſſiones vere irrepſiſſent, nec eos aliter tollere Eccleſia poſſet, proceſſiones ipſas fortaſſe aboleret: affini quippe ex cauſa ſacras vigilias ſuſtulit (*).

(*) Vide tradita Diſſer. 6. cap. 24. & 25. præſertim §. 5. poſtremi hujus capitis.

C A P. X X X V I.

De more, quo Catholici ſacris imaginibus oſcula figunt: ante eas genua flectunt, ac proſternuntur.

I. HÆc ſimul complector, quod paucis de his omnibus differere volo; propterea vero in unum caput redegi ea omnia, quę ad hoſce ritus commendandos afferenda duxi, quia ſi ſingulis peculiare aſſignarem caput, breviſſima ea fierent. Quod ad oſcula pertinet, ea quidem diſplicuiſse Carolinorum librorum auctori indicat ille cap. 21. libri 4., dum hæc ait ,, Hortantur ,, ergo illi ſe mutuo, ut digni efficiantur ad oſcula, ſive ,, adorationes rerum ſenſu carentium dicentes, *In tale* ,, *oſculum dignos enim nos ipſos faciamus adorationis, ut non* ,, *accedentes indigni, Ozæ ſupplicium ſubeamus.* Nos deni- ,, que dignos nos faciamus ad adorandum divinam ma- ,, jeſtatem, immo ab eo digni efficiamur, a quo eſt bene ,, velle & perficere, & ut veri adoratores, non ſecun- ,, dum eorum vanitatem &c.

II. Placet porro hic producere celebratiſſimum quendam Anaſtaſii Bibliothecarii locum: quamvis enim ex

eo tantum diſcamus, Dominicæ Cruci venerationis cauſâ fuiſse pia oſcula impreſsa, cum aliunde tamen conſtet, externa honorificentiæ argumenta & Cruci, & ſacris imaginibus æqualia prorſus fuiſse adhibita (*), aptus proinde is locus erit ad oſtendendum eum, de quo agimus, morem. En quæ ſcriptis tradiderit Anaſtaſius: [b] *Quæ etiam* (Crux reperta a Sergio) *ex die illo pro ſalute humani generis ab omni populo Chriſtiano die exaltationis S. Crucis in Baſilica Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, oſculatur, & adoratur.*

III. Ne vero quis ſuſpicetur, eo tantum die, *quo inventæ Crucis* memoria recolitur, eidem Cruci oſcula imprimere conſuevisſe Fideles, monent nos Eccleſiaſtici Scriptores, Crucem in die Paraſceves, Fidelium venerationi palam propoſitam, piis oſculis fuiſse cultam. Affirmat id, ne multos afferam, Belethus, vetuſtæ hujus conſuetudinis præclarus teſtis, his verbis: *Poſtea autem adoratur* (Crux), *ideſt cum reverentia oſculatur. . . .* (c) *Oſculata Cruce &c.* Sed hoc de argumento aptius alibi. (*)

IV. Quamvis autem aptiſſimum ad eum, de quo agimus, ritum comprobandum id judicem, quod nuper de Cruce dixi, non propterea vetuſtis aliis monumentis careo. An levem cenſes Concilii Generalis definitionem? Ecce porro illam. (d) *Definimus in omni certitudine, ac diligentia, ſicut figuram precioſæ, ac vivificæ Crucis, ita venerabiles, ac ſanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus, & teſſellis, quàm quæ ex alia materia congruenter in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis, ac veſtibus, & in parietibus, ac tabulis, domibus, ac viis: tam videlicet imaginem Domini Dei, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quàm intemeratæ Dominæ noſtræ Sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum ſimul, & almorum Virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam, & deſiderium,* AD OSCULUM, *& ad honorariam his adorationem tribuendam.*

V. Approbavit autem hunc ritum Romanus Pontifex Adrianus, dum hæc ait: (e) *Quantum enim frequenter per imaginariam reformationem videtur, tantum qui eas aſpiciunt, aſſurgunt ad primæ formæ memoriam, & dilectio-*

(*) Ut alia omittam, conſule ea, quæ ex Nicæno II. §. 4. dicemus. Adde quę docet Adrianus in Epiſt. ad Carol. M. ſect. 2. cap. 10. pag. 1583. *quemadmodum ſigno precioſæ, & vivificæ Crucis*, &c.

[b] in Sergio ſect. 262.

(c) cap. 98.

(*) in Appendice *de Cruce*.

(d) Synodi. Nicæn. II. actio. 7. *in definitio.* VII. pag. 1206.

(e) in epiſtola ad Carol. M. *pro defenſio. Sacra. imagin.* ſect. 2. cap. 9. pag. 1582.

lectionem, & ut bis oſculum & honorariam ſalutationem reddant.

VI. Atque hunc quidem morem, niſi fallimur, abolere ſtuduerunt ii Epiſcopi, qui Michaeli imperatori nimio plus indulgentes, imagines ex humilioribus locis, in quibus eas commode oſculabantur populi, in editiora tranſtulere, in quibus ſcilicet eas oſculari non poſſent. Eo nempe reſpexiſſe arbitror Michaelem ipſum, cum hæc ait: (f) *Talia ubique communi conſilio fieri prohibuerunt, & imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, & eas, quæ in ſublimioribus locis poſitæ erant, ut ipſa pictura pro ſcriptura haberetur, in ſuis locis conſiſtere permiſerunt, ne ab indoctioribus, & infirmioribus adorarentur &c.*

(f) in epiſtola præpoſita libello, quæ *Synodus pariſienſis de imaginibus* inſcribitur. pag. 11.

VII. Obſecuti ſunt tamen vetuſtæ conſuetudini, & Nicænorum Patrum monitis Romani Pontifices, dum palam ſacris imaginibus pia oſcula impreſſerunt. Audire præſtat, quæ Ordo Romanus XII. inter eos, quos evulgavit Mabillon, tradit; facit enim apertiſſime ad rem præſentem (g). *Poſt orationem induitur uſque ad Dalmaticam; & exſurgens ingreditur ad adorandum Salvatorem. Aperit imaginem, oſculatur pedes Salvatoris .... Poſt oſculationem Salvatoris cum omnibus aliis deinde redit ad ſedem; & dat pacem archidiacono redeunti ab oſculo pedum ejus imaginis.... ſecundus quoque diaconus oſculatis pedibus Salvatoris &c.*

(g) §. xv. n. 32. pag. 184. to. 2. *Muſei Italici*; ſub hoc titulo: *Quid Dominus Papa facere debet in die Paſcha.*

VIII. Minus antiquum illud eſt, quod præbet Ordo Romanus XIV. inter eos, quos idem Mabillon typis tradidit: referri tamen meretur (b). *Poſtea Capellano præſtante ſibi librum miſſalem, oſculetur* (Pontifex) *imagines, quæ debent eſſe depictæ in eodem libro ante canonem Miſſæ.*

(b) pag. 304. tomi 2. *Muſei Italici.*

IX. Nec deeſt, quæ ſuffragetur huic mori, probabilis ratio. Oſcula enim vel honoris, atque obſequii, vel benevolentiæ, & pietatis argumenta ſunt quædam, quæ cum Sanctis ipſis deferre non poſſimus, eorum imaginibus, quæ *ſupplementa abſentiæ* propterea ab aliquibus appellantur, deferimus. Pulchre Leontius Neapoleos Cypri Epiſcopus (i): *Sicut Jacob acceptam a filiis ſuis tunicam variam, & ſanguinolentam Joſeph deoſculatus eſt cum lacrymis, & propriis oculis hanc circumpoſuit, & non veſtimentum amans, vel honorans, hoc fecit, ſed per id æſtimans* Jo-

(i) ſermone 5. *contra Judæos, & de imaginibus Sanctorum* allegato actione IV. Conci. II. Nicæ. pag. 883. ſed quæ hic affero, habes pag. 887. & 1399.

Joſeph oſculari, & in manibus eum habere: ita & Chriſtiani univerſi imaginem Chriſti, vel Apoſtolorum, aut Martyrum tenentes, aut ſalutantes carne, animâ ipſum Chr ſtum æſtimamus, vel Martyrem ejus retinere.

X. Novi equidem, objectum aliquando fuiſſe Latinis, perinde atque Armenis, quod imagines minime oſcularentur; ac de Armenis quidem hæc tradit Nicephorus (k): *Imagines ſacras honorant illi quidem, ſed non oſculantur: ac digito tantum eas contingentes, huic oſculum figunt.* Latinos autem hac accuſatione ſugillabant: *Crucem uno digito attingentes oſculantur, & ſacras imagines renuunt oſculari.* (l)

XI. Sed quantum poſtrema hæc reprehenſio foret injuſta, ea ipſa declarant, quæ paulo ante retulimus. Sed neque oſcula ſacris imaginibus denegaſſe credendi ſunt; quando quidem eas *uno attingentes digito, & huic oſcula figentes*, eas quodam modo oſculabantur: erat enim id alterum oſculi genus, ac veluti forma, venerationẽ non levem teſtificans. Sane Veteres hujuſmodi oſculo ad cultum Numinibus ſuis adhibendum præſertim utebantur. Hinc Minucius: (m) *Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſius ſolet, manum ori admovens, labiis oſculum preſſit*: Apuleius quoque (*): *Nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit, nullum templum frequentavit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere* (n). Atque his quidem monitis in rectum ſenſum, communemque conſuetudinem deducitur ille ipſe Armenorum mos, quem proinde immerito carpit Nicephorus.

XII. Antequam claudo tractationẽ hanc, libet exponere Lectori, quod VI. Kempii diſſertationem legenti occurrit. Quædam ſcilicet Metrophanis verba habet ille, quæ hic ſtatim ſubjicio (o). *Sunt autem nonnulli apud nos, qui in tali adoratione, ſeu religioſo oſculo diſcrimen valde laudabile facere velint. Si enim imago, quæ propoſita eſt, Domini fuerit, pedes ejus oſculari cupiunt; ſi vero ſemper Virginis Matris ejus; manus; ſi denique Sancti cujuſpiam; faciem. Quam differentiam laudant, & amplectuntur, qui inter nos probatiſſimi ſunt, & maxime ingenioſi: inter Dominum enim, & ſervum, diſcrimen ſit, oportet.* Num loca ea, quæ in margine noto, huic mori faveant, an non, Lector judicet. [*]

XIII. Ea vero ipſa ratio, quæ movet nos, ut ſacra oſcula

(k) lib. 18. cap. 53.

(l) *tractatus Conſtantinopolitan. Patr. Prædicato.* referente Chriſtiano Lupo in Conci. Nicæn. II. cap. v.

(m) In Octavio pag. 12. editio. Hachianæ Lugduni Batavo. 1672.

(*) in apolog. 1. prope finem.

(n) Plura habent hoc de argumento Kempius *de oſculis* diſſer. præſertim VII. §. 6. & interpretes Minucii ad locum allegatum.

(o) Ea refero ex §. 8. diſſerta. VI. Kempii, qui ea ſe referre affirmat *ex Confeſſione Eccleſiæ Orientalis edita a Metrophane Critopulo*, & a Joanne Hornejo Helmeſtadii anno 1661. typis data.

[*] Conſule cap. 33. §. 5. Caput 34. §. 4. Caput 36. §. 7.

imaginibus imprimamus, nos etiam cogit, ut ante Chriſti, & Sanctorum imagines genua flectamus, & proſternamur: Chriſtum quippe, & Sanctos iis imaginibus repræſentatos eo obſequio honoramus, aſpectu ipſo, ac præſentia imaginum earum ad tam laudabile obſequii genus veluti incitati ac compulſi.

XIV. Mirum itaque non eſt, ſi Viri dignitate, ac pietate præſtantes hujuſcemodi honorificentiæ argumenta imaginibus detulerunt (p). Noverunt ſcilicet, hæc minime reſervata eſse Deo, ideoque Sanctis ipſis deferri poſse. Noverunt quoque, Sanctis ipſis revera adhiberi ea obſequia, pietatiſque argumenta, minime vero in imaginibus ipſis ſiſtere; adeo ut immerito veriti ſint nonnulli, ne hæc Sanctorum imaginibus deferentes, viderentur quoddam adorationis genus imaginibus ipſis tribuere. Vah nimis pavidam ſuſpicionem! Sed hac de re ſatis alibi. Ad alia itaque properemus.

(p) De Gregorio M. ante ſacras imagines ſe proſternente ſatis diximus §. 12. capitis XI. Romanum Pontificem palam genua ſepties flectere coram imagine conſueviſſe, alibi oſtendi. Vide §. 5. capitis 33.

CAP. XXXVII.

De more, quem Catholici ſervant, dum ante Sanctorum imagines cereos, & alia lumina accendunt: thus quoque, aliaque odora concremant, adolentque.

I. CUm multas quidem ob cauſas Nicæni II. Patres non modo ab Iconoclaſtis, verum etiam a Gallis Scriptoribus, Caroli Magni, & Ludovici Pii ętate, delatum imaginibus cultum reprehendentibus, accuſati ſint, tum præſertim verſum illis eſt crimini, quod cereos,

os, & lumina ante Sanctorum imagines accendere, & thus, aliaque odora cremare, laudabile duxerint. Diſplicuit ſcilicet mirum in modum non minus Iconoclaſtis, quàm iis, de quibus diximus, Gallis uterque ritus, & ſuperſtitionem in utroque inhærere docuerunt. Michael ſane, & Theophilus Conſtantinopolitani Imperatores inter graves querelas, quas habebant adverſus eos, qui Nicæni II. decretis parebant, poſtrema non erat, *quod hi ponebant lucernas coram eis* (imaginibus), *ſimul & incenſum adolebant*: (a) quas quidem accuſationes præceſserant acerbiores aliæ, quas in Carolinis libris offendimus: etenim cum ſæpe ritus ille condemnetur, acerbius tamen & vehementius capite tertio libri quarti diſtringitur.

II. Sed valde librorum illorum auctor decipiebatur. Etenim ſi ſapuiſſet, facile percepiſſet, nec abſolutum, nec Deo reſervatum eſſe honorem illum, qui thymiamate, & cereis accenſis adhibetur: populi enim jam pridem Chriſtianæ religioni dediti (quod quidem ex Nicæna II. Synodo novimus) ipſis Imperatorum imaginibus honorem eum deferebant.

III. At ubi, inquis, id tradit Nicænum II.? Diu perquiſivi locum illum, quem capite 15. libri 3. (b) carpit Carolinorum librorum Scriptor, & expreſse eum invenire non potui. Fronto Ducæus (*) Hadriani epiſtolam allegat. Eam utique legi, & nullam *cereorum*, & *thymiamatis* mentionem inveni. Putant alii indicari eum Chryſoſtomi locum, (ſi Chryſoſtomo ſermonem hunc tribuis) qui ab Hadriano, (*) & actione 4. Nicæni II. allegatur (c), & ſic inſcribitur: *In lavationem feriæ quintæ*: etenim ad hunc modum ſe habet ſermo ille: (*) *Nam quando imperiales characteres, & imagines in civitatem introducuntur, obviam veniunt principes, & vulgus cum laudatione, non tabulam honorantes, neque perfuſam cera picturam, ſed characterem Imperatoris: ſic creatura non terrenum habitum, ſed cæleſtem figuram veneratur.*

IV. Deſunt itaque (niſi horum conjectura nos fallit) in Græcis ipſis Nicænæ Synodi exemplaribus, quæ nunc habemus, verba a Carolino Scriptore allegata: quod num amanuenſium negligentiæ tribuendum ſit, an alteri cuipiam cauſæ, noſse minime potui. Sane Chryſoſtomi editionem a Clariſs. Montfauconio elabo-

(a) pag. 10. Rurſus mox. *Sed neque eis lucernas accenderent, neque incenſum adolerent probibuerunt.*

(b) En ipſum titulum capitis: Contra eos, qui dicunt, *ſi enim imperialis effigies, & imagines emiſſas in civitates, & provincias obviabant populi cum cereis & thymiamatibus, non cera profuſam tabulam honorantes, ſed Imperatorem: quanto magis oportet in eccleſiis Chriſti depingi imagines Salvatoris noſtri Dei, & intemerata matris ejus, & ſanctorum omnium?* Almericum inter eos, quibus diſplicuit coram imaginibus thus accendi, recenſet Natalis Alexan. in ſecul. 13. cap. 3. art. 2. pag. 76. edit. Pariſ. 1699.

(*) Fronto Ducæus in notis ad Gregorii II. epiſtolam Leoni Iſaurico datam, nota 6. (pag. 667. & 668. tom. 8. Conci.) poſtquam allata in margine verba attulit, hæc ait: *Quæ verba citata eſſe arbitror ab Hadriano Papa* in epiſto. *ad Conſtan.* act. 2. *Synodi* VII. ex ſerm. *in V. diem Paſcha.*

(*) in epiſto. *ad Conſt.* pag. 758.

(c) pag. 910.

(*) interpretationē

Ana-

boratam conſului, ut ejus collatione, extarent necne in ipſo Chryſoſtomi ſermone ea verba, noſsem: at ſpes me fruſtrata eſt: neque enim in tot illis voluminibus ſermonem hunc inveni.

V. Eo tamen, ut morem hunc comprobemus, minime egemus; & ut ab eo incipiam ritu, cujus primum memini, ab eo ſcilicet, quo ante Sanctorum imagines cereos, & lumina accendimus, hic tu recole quæ capite 30. diſsertationis VIII. tradidi: cùm enim (quod crebro dixi) conſueverint Fideles iiſdem honoris argumentis reliquias, & imagines proſequi, cum alibi manifeſto oſtenderim, antè reliquias lumina fuiſse accenſa, conjicere facile poſsumus, hoc honorificentiæ genus non fuiſse imaginibus denegatum.

VI. Quod ſi expreſsa ipſa exempla poſcis, quibus perſpicias, id jam pridem fuiſse uſitatum, pareo libens, & hic notiſſimos Venantii Fortunati verſus affero, quibus mos iſte, atque adeo emolumentum, quod ex eo more eidem Venantio provenit, deſcribitur. Ecce illos (*):

Inde Ravennatem placitam pete dulcius Urbem.
* * * * * * * * * *
Eſt ibi Baſilicæ culmen Pauli, atque Joannis.
Hic paries retinet Sancti (*) *ſub imagine formam,*
Amplectenda ipſo dulci pictura colore.
Sub pedibus juſti paries habet ante feneſtram.
Lichnus adeſt, cujus vitreâ natat ignis in urnâ.
Huc ego dum propero, valido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce feneſtræ,
Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicus blando fugat unguine morbos,
Non oblita mihi mea lumina munere Sancti,
Nam redit ante oculos oculorum cura fidelis.
Et memor illud ero, dum luce, & corpore conſto.

VII. Quod ſi oleum, quod *S. Martyris* (Stephani) Auguſtinus (*d*) appellat, ex lampade ante imaginem aliquam S. Martyris deſumptum fuerat, (quod nonnulli ſuſpicantur, quamvis velint alii, denominationem illam deſumpſiſse ex eo, quod S. Martyris reliquiis fuerit admotum, aut ex lampade ante ſacras ejuſdem Martyris reliquias fuerit deſumptum (*e*);) ſi oleum, inquam, illud, quod *S. Martyris* Auguſtinus appellat,

Anaſtaſii Bibliothecarii ſequor: nam recentior interpretatio vertit: *in pelvim* pag. 910. to.8. Concil. Lectorem tamen monitū volo, hunc ipſum ſermonem allegari in Côcilio Pariſienſi, de quo jam egimus (cap. xv. pag. 68.) nec tamen quidquam in eo haberi *de thure, thymiamate, & cereis*. Solet etiam allegari Optatus Milevitanus ſub finem libri 3. ſed reverà id, de quo agimus, minime tradit.

(*) ſub finem libri IV. *de Vita S. Martini* pag. 772 tom. 8. Biblio: Pat. Pari;

(*) (Martini.)

(*d*) lib. 22. *de Civitate* cap. 8. n. 18.

(*e*) Recole dicta capite 4. diſſertationis VII.

pellat, ex lampade ante imaginem S. Stephani accenſâ deſumptum fuerat, profecto vetuſtum habes ad hanc, de qua diſserimus, conſuetudinem comprobandam, exemplum.

VIII. Quantum vero Sanctis acceptus eſset hujuſmodi mos, miracula non levia teſtantur. Ut paulo ante narrata omittam, aliud narrat Joannes Moſchus (*f*), cujus verbis ab Ambroſio Camaldulenſi latinitate donatis utor. *Habebat ſenex* (Joannes Abbas Anachoreta) *in ſpelunca imaginem immaculatæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis* . . . . *Quoties abire volebat ad locum aliquem, vel per vaſtam ſolitudinem, ſive Hieroſolymam ad adorandam Sanctam Crucem, & venerabilia loca* . . . . *reficiebat candelam, & accendebat, ut ſibi conſuetudo erat, atque ad orationem ſtans, & Deo, ut ſuum iter dirigeret, ſupplicans, dicebat ad Dominam, intendens in imaginem ipſius: Sancta Domina noſtra Dei Genitrix, quia longũ iter iturus ſum diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamque ne extinguatur, juxta propoſitum meum ſerva. Ego enim in adjutorio tuo comitante, iter arripio. Hiſque ad imaginem dictis egrediebatur, peractoque propoſito itinere revertebatur, aliquando poſt menſem, ſæpe etiam poſt duos, vel tres menſes, nonnunquam poſt quinque, vel ſex, & ita reperiebat integram candelam, & ardentem, ſicut eam, cum iter arriperet, dimiſerat, & nunquam hanc a ſe ipſa extingui vidit, neque de ſomno ſurgens, neque a peregrinatione rediens, neque ex eremo in ſpeluncam pergens* (*g*). Quamvis porro narrationem hanc irridere ſoleant Proteſtantes, & contemnere veluti nugas, & a bonis Monachis inventas fabulas, ego tamen fidem illi habere non renuo, non modo quia eam retulit *Dionyſius presbyter Sanctæ Eccleſiæ Aſcalonitarum, & Sacrorum vaſorum cuſtos*, quem, ut puto, in bonorum Monachorum numero non recenſebis, verum etiã quia nihil eſt, quod me compellat, ut Deo, ac Virgini minime acceptam putem eã ipſam Joannis Monachi ſimplicitatẽ, quam tu deſpicis, quæque Virgini illud obſequii genus, quod pauperrimus Monachus poterat, eũ offerre coegit, eandemque Virginem ſimplicibus quidem, ſed tamen caritatis, pietatiſque pleniſſimis verbis alloqui: *Sancta Domina &c.* An neſcis,

jam

(*f*) *in Prato Spirituali*, cujus quidem auctorem nonnulli Sophroniũ faciunt: ſed Moſcho videtur profecto tribuendũ, cap. 180.

(*g*) Hoc ipſo exemplo utuntur Patres Nicæni II. act. v. pag. 1034.

jam pridem tradidiſſe vetuſtos Magiſtros, Deo, Superiſque ſimplicium vota eſse accepta?

IX. Sed me porro continere non poſsum, quo minus alia addam argumenta, quibus quidem conſtet, morem hunc Cœlitibus eſse gratum. Hic recole quæ ex Venantio Fortunato nuper adduxi. Teſtatur quoque Aſtulphus (*b*) per oleum lampadis ante imaginem B. Virginis Drepani in Sicilia ſervatam ardentis, non modo Chriſtianos, verum etiam infideles ipſos non levia beneficia ſæpe conſequi, adeo ut Mauri ipſi illud enixe poſtulent.

X. Ex Fratrum Minorum Chronicis (*i*) diſcimus, Mauricium quendam gravi morbo oppreſſum, S. Franciſci Aſſiſiatis hortatu, ſumpto lampadis ante B. Virginis imaginem accenſæ oleo convaluiſse.

XI. Litterarum etiam monumentis prodidit is, qui S. Didaci pia geſta deſcripſit, ſanctum hunc virum oleo ex lampade ante Virginis Deiparæ imaginem accenſa ſumpto, non paucos ægros ſanitati reſtituiſse.

XII. Sed jam tempus eſt, ut ad affinem ritum ſermonem vertamus, ad eum ſcilicet, quo obſequii, atque honoris cauſa ante Sacras imagines thus, aliaque odora cremamus.

XIII. Valde vetuſtum eſse illum, ex eo conjicimus, quod valde antiquum fatentur omnes morem illum, qui nobis ineſt, ut ante Sanctorum reliquias thus, aliaqua odora crememus. Neminem porro latet parili honorificentiæ genere proſequi conſuevіſse Fideles ſacras imagines, ac reliquias. Itaque ſi ante reliquias jam pridem accendere conſueverunt Chriſtiani thus, aliaque odora, cur fateri recuſabis, eodem honoris genere jam pridem affectas fuiſse imagines?

XIV. Allatum hic vidi Anaſtaſii Bibliothecarii teſtimonium, quod argumento noſtro videtur fortaſſe conducens. Ad hunc porro modum is loquitur. „(*) Hic „(*Sergius*) fecit Thymiamaterium aureum majus cum „columnis, & cooperculo, quod ſuſpendit ante ima„gines tres aureas Beati Petri Apoſtoli, in quo in„cenſum & odor ſuavitatis feſtis diebus, dum miſſa„rum ſolemnia celebrantur, omnipotenti Deo opu„lentius mittitur.„

(*b*) *in Hiſtoria imaginum B. Virginis* libro 9. pag. 312., & 313.

(*i*) part. 2. lib. 1. cap. 16.

(*) in Vita Sergii ſect. 162.

XV. Atque hæc quidē verba ſi minus apta tibi videbuntur ad id quod agimus comprobandum: quatenus ad augendam Miſſarum ſolemnitatem, minime vero ad honorandas thure Sanctorum imagines adducta Sergii inſtitutio fortaſse reſpexit; alterius laudatiſſimi Scriptoris verba ſtatim allego, quæ hoc etiam habent emolumenti, ut ſymbolicam, myſticamque rationem tam in eo, de quo nuper egimus, quàm in eo, de quo nunc diſserimus, ritu latere aſseverent. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha is eſt, cujus epiſtola jure, meritoque a Nicæno II. adducitur. Ecce illam. (k) *Verum ne quempiam offendat, quod ante Sanctorum imagines lumina, & ſuaveolentia thymiamata accenduntur: ſymbolice enim iſta fieri in honorem illorum opinandum eſt, quorum cum Chriſto requies, quorum honor ad ipſum recurrit . . . ſenſibilia enim lumina ſymbolum ſunt immaterialis illius, & a Deo dati luminis: aromatum autem incenſio ſincerum, & totum Sancti Spiritus afflatum, & repletionem ſignificat.*

XVI. Alias porro rationes alibi enumeratas (*l*) jungere huic poteris, quarum quidem acceſſione, & veluti cumulo non levis laus, ac commendatio huic ritui adjungitur. Eas, ſi vis, hic recole, quibus quidem non modo ea, quæ ex Carolinis libris, verum etiam ea quæ ex reliquis Scriptoribus Gallis, adverſus morem hunc ab aliquibus afferuntur, dilui haud difficile poſsunt.

(k) Hæc Germani Epiſcopi Conſtantinopo *ad Thomam Epiſcopum Claudiapoleos* epiſtola act. 4. allegatur pag. 947. ſed hæc, quæ allego, verba leges pag. 963. & rurſus 1426.

(l) Vide caput 33. diſſertationis VIII. §. 8.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De Genere, ac qualitate Venerationis Sanctorum Imaginibus adhibitæ.

Exponuntur variæ de genere, ac qualitate venerationis Sanctorum Imaginibus adhibitæ opiniones.

I. POſtquam in ſuperioribus capitibus delatæ Sanctorũ Imaginibus venerationis antiquitatẽ, continuationem, & modos, quibus iiſdẽ imaginibus adhibita illa eſt, expoſuimus, deveniendum nunc eſt ad eam diſputationem, in qua diligentius, limatiuſque ipſius venerationis genus, ac qualitas expenditur. Sed ut præſentis diſputationis, quam *pulcherrimam*, *omniumque difficillimam* appellat Vaſquez (*a*), meta, ſummaque perſpicue a nobis intelligatur, varias ea de re opiniones prius exponam: tum fundamenta illarum, quæ Catholicis placuerunt, recenſebo: ediſſeram tertio quid ea ſententia, quæ relativo cultui favet, reponat argumentis, quibus innititur ea, quæ aliquo abſoluto cultu imagines afficit. Eligam denique, quæ magis conſentanea videbuntur.

(*a*) Capite primo diſputationis 108. in tertiam partem.

II. Ad quatuor ſumma genera revocari poſſunt eæ, quæ extant hac in quæſtione ſententiæ. Arbitratur prima, ita ferri ad imagines ipſas honorem, venerationemque iis adhibitam, ut in iis hæreat, ſiſtatque. Talem ſcilicet in iis Imaginibus præſtantiam, atque excellentiam ineſſe putat, quæ eas non levi honore, ac reverentia dignas efficiat. Hoc in errore (neque enim aliter appellaverim) fuiſſe verſatos nonnullos, evincunt ea, quæ capite X. diximus.

III. Sententia altera cenſet, primariò quidem, ac potiſſimum ad Sanctos, quorum imagines veneramur, ferri honorem imaginibus eorum adhibitum, at ad imagines ipſas aliqua, tametſi leviſſima, ex parte ferri: aut

potius aliud honoris genus multo inferius illo, quod Sanctis deferimus, eorum imaginibus tribui: ſcilicet alterutram harum explicationum proponunt, qui cultum aliquem, venerationemque imaginibus ipſis Sanctorum re vera deferri poſſe ajunt. (*b*). Apertiſſime ſane mentem ſuam Bellarminus prodidit, dum hæc ait: (*) ,, Sit igitur hæc prima ſententia, ſeu propoſitio. Imagines Chriſti, & Sanctorum venerandæ ſunt, non ſolum per accidens, vel improprie, ſed etiam per ſe proprie, ita ut ipſæ terminent venerationem, ut in ſe conſiderantur, & non ſolum ut vicem gerunt exemplaris.

(*b*) cap. 20. & ſubſequentibus libri 2. e duobus illis, quos *de Reliquiis, & imaginibus Sanctorum* inſcripſit.

(*) cap. 21.

IV. Bellarmino aſſentiri videtur Eſtius (*c*). Etenim venerationem in imaginibus ipſis ſiſtentem, ſeu, ut iiſdem, quibus ille utitur, ego quoque utar verbis, *quæ non terminetur in prototypum, ſed hæreat in typo, cui tamen propter prototypum defertur*, & quam *honorariam* appellat, deferri ait imaginibus ipſis, licet inanimatis propter earum ſignificationem, ſeu quia ſignis (ſacris ſcilicet) illa competit.

(*c*) in 3. ſenten. diſtin. 9. §. 3., & 4. Vide §., qui ſic incipit: *Pro hujus clarieri intellectu &c.*

V. Eandem ſententiam plerique tribuunt Catherino; ſed aut plane fallor, aut multo aliter ille ſenſit: hoc enim tantum docet (*d*): *recte, & vere, & proprie dici adorationem latriæ fieri commodiſſime ad imagines, vel ante imagines Jeſu Chriſti, propter repræſentationem perſonæ ipſius.* Hæc etiam paulo poſt ait: (*e*) *Quintò etiam concludo, & illud rectè ac verè & propriè dici, in Imagine adorari* CHRISTUM *& venerari. Nec hic dicendi modus ſignificat, quod etiam adoratur Imago, ſed quod Imago eſt, per cujus officium mihi repræſentatur* CHRISTUS, *& ipſum ibi repræſentatum adoro: ſicut adorans* CHRISTUM *in cruce, non adorat crucem, ſed per illam & in illa* CHRISTUM *verum ſibi repræſentat & agnoſcit, & illum adorat.*

(*d*) *de cultu, & adorat. imagi.* §. IV. in quo quidem ſuā ſententiam plane aperit: *quarto igitur concludo.*

(*e*) §. 5.

VI. Deinceps vero explicat, quanam ratione, & ſenſu fateri poſſimus, imagines adorari, hæc loquens: (*f*) *Sextò concludo, quòd aliquo modo etiam poteſt dici, ut eſt apud B. Thomam, adorari ipſam Imaginem, & deberi illi latriæ adorationem, non ut eſt res quædam, ideſt, non ut ſecundum materiam conſideratur, quoniam ſic conſiderata non eſt digna ullo honore, niſi fortè propter contactum aliquem, ut dicemus de Cruce illa, ubi* CHRISTUS *pe-*

(*f*) §. 6.

pen-

pendit (de qua re etiam dicemus) ſed ut Imago eſt, hoc eſt, ut jam officium fecit Imaginis, quod eſt ita repræſentaſſe imaginatum, ut ipſa Imago quodammodo nobis in ipſum evadat imaginatum, quod in illa tanquam ibi præſens ſuſpicimus ac veneramur, & quæ internè ad ipſum habemus verba, externè ad ejus Imaginem illa dirigimus, tanquam ſi ibi eſset, aut tanquam ſi illa Imago eſſet ipſum imaginatum. Hinc illa Eccleſiæ vox: O Crux ave ſpes unica &c. quæ certè verba nimis offenderent, niſi in hæc reſolvas, ut dicas: Ave, o Crucifixe, mihi per crucem repræſentate, qua utor perinde ac illa tu eſſes, mihi id tua benignitate concedens, qui miſeræ conditionis naturæ noſtræ miſereris, & illi inclinaris, quæ deſiderat videre quem colit, & ſibi eſſe præſentem quem diligit & affatur.

VII. Rurſus in eandem ſententiam hæc docet. *Cautius ergo & abſque offenſione dixerunt & magis propriè qui ita ſunt locuti, CHRISTUM ad Imaginem aut ante Imaginem aut in Imagine adorandum eſſe latria. Unde D. Athanaſius dixit: Qui imaginem adorat, in ipſa Imperatorem adorat: ac ſi dixerit: Non verè ipſam, ſed in ipſa illum, quem repræſentat Imago, adorat vera latria.* Tum in opinionis ſuæ confirmationem, ac robur Gregorii Magni alibi allata verba (g) adducit, quibus recitatis, hæc ſubjungit: *Hæc ille: ubi duo licet inſpicere in hujus ſanctiſſimi Pontificis doctrina. Alterum, negari latriam Imagini, cum negat, eam eſſe habendam & colendam quaſi Deum: Alterum, non negari proſtrationem ante Imagines: quod certè modum aliquem venerationis in Imagines ipſas ſignificat. Nam & ipſas exoſculamur, & verba in illas dirigimus, ut ille audiat, qui repræſentatur in illis.* Atque ex his quidem, quale honoris, ac venerationis genus imaginibus præſtandum duxerit Catherinus, ſatis innoteſcere videtur. Nunc quod cæpimus, proſequamur.

(g) cap. XI. §. 1;

VIII. Cenſet ſententia altera, eodem cultu & imaginem, & exemplar coli, ſed exemplar per ſe, primario, & directe: imagines vero per accidens, ſecundario, & indirecte. ad has quippe ipſas fertur cultus, qui prototypo adhibetur, veluti thuris accenſio, & reliqua id genus. Sed hi ipſi ad ſuperiorem ſententiã accedunt, ſi volunt ad imagines terminari partem meliorem, atque adeo veram honoris, quæ eſt ſubmiſſio animi; aut quartam vel

vel inviti ampleſtantur oportet, ſi nomine *honoris*, aut *cultus* extrinſecum tantum honorem intelligunt: neque enim poſtremæ ſententiæ defenſores negare poſſunt, aut volunt, extrinſeca honoris argumenta ad imagines ferri, atque in ipſis ſiſtere.

IX. Ii itaque qui quartam, poſtremamque proponunt ſententiam, nullo peculiari cultu, qui in imagine ipſa conſiſtat, & abſolutus ſit, eam venerandam ajunt, ideoque ad exemplar ipſum omnino tranſire, dirigique ſtatuunt cultum. Hinc ſi imaginibus extrinſeca quædam venerationis ſigna adhibentur, veluti oſculum, thuris accenſio, & id genus alia, ſi quando cultus argumenta ſunt (nam amoris index eſſe oſculum poteſt) argumenta ſunt cultus, quo prototypum proſequor, licet extrinſeca ipſa argumenta, quæ ad prototypum ſenſibus noſtris ſubductum pervenire nequeunt, in imaginibus ipſis hæreant.

X. Nihil de prima apertiſſime falſa, & ab Eccleſiæ definitionibus alieniſſima opinione hic dicam, quam ſatis alibi repuli: nulloque etiam impetente, per ſe ipſa corruit. Quid enim præſtantiæ, aut excellentiæ habet inanima imago, ut eam colas? Quid demum tibi tribuet aut ſubſidii, aut opis id, quod neque tuas audire preces, neque intueri animum poteſt, aut vota reſpicere? Profecto omnia fere, quæ adverſus ſupplicantes Imperatorum ſtatuis congeſſere noſtri, in eum jure, meritoque conferrentur, qui imagines ipſas veneraretur. Sed hæc obiter: neque enim multis refellere oportet errorem eum, quem, uti nuper dixi, nunc nemo ſequitur.

XI. Reliquum ergo eſt, ut ad tres alias convertamur: ipſis porro expenſis, & ea approbata, quæ imaginibus ipſis honorem deferri renuit, Proteſtantium facilius frangentur impetus, propulſabiturque acerbior calumnia, quam in Sacrarum Imaginum cultum, ejuſque propugnatricem Catholicam Eccleſiam conferunt.

CAP.

C A P. XXXIX.

Recenſentur fundamenta ſecundæ, & tertiæ ſententiæ.

I. QUi aliquem neſcio quem, tametſi valde tenuem, in Imaginibus ipſis cultum hærere ajunt, ſic diſputant. Ratio, atque auctoritas ſuadet, veneratione aliqua afficiendas eſſe Imagines ipſas ſacras, ideoque non propter eos tantum, quos exprimunt, ſed ipſas propter ſe, ſeu propter præſtantiam ſuam venerandas. Hęc vera eſſe, ſubſequentibus argumentis oſtenditur. Rationem ſi ſpectas, facile intelliges, Imagines ſacras veneratione eſſe dignas: quippe exhibent, referuntque præclariſſima exemplaria, veluti Chriſtum, Deiparam, Sanctos: horum quoque memoriam in nobis excitant, deſiderium acuunt. Hujus repræſentationis, ſignificationis, excitationis, ſeu revocationis ad memoriam noſtram causâ, honorabiles fiunt: hinc a ſordidis removentur locis, & collocantur vel in ſacris, vel certe in decentibus, in quibus poſitæ ſtatim eadem loca ſuâ præſentiâ illuſtrant, decorantque, atque adeo ſacra efficiunt. Propterea Cruces non modo in ſordidis, verum etiam in publicis locis collocari interdictum eſt, (*a*) quia ſcilicet Cruce poſitâ, ſacra quodam modo loca efficiuntur: expetuntur quoque, & citra ullum intrinſecum pretium, atque adeo eas a vili etiam artifice elaboratas amat, æſtimatque is qui poſſidet, interdum etiam tanti facit, ut vel maximo oblato pretio ſibi eas eripi non patiatur. Porro ſi tanti æſtimantur, ſummoque interdum habentur in pretio, quis prohibere te poterit, ne venereris? Ad hæc: imago refert eam, cujus imago eſt; is vero quem illa refert, procul dubio ſacer eſt; ſacra itaque erit hæc ipſa ſimilitudo, ut pote prototypi conditionem, & genus ſequens. Quis porro neget, ſacris rebus venerationem deberi, ideoque ſimilitudini illi ipſi

(*a*) Vide dicta diſſer. 7. cap. 29. §. 3. &c.

ipſi deberi, quæ exprimitur in ſacra imagine? Hac ſane ratione motus fuiſſe videtur Damaſcenus, ut Crucē adorandā eſſe diceret: propterea quippe adorandā ipſā eſſe dicit, quia figura eſt: hinc ſi figura (Chriſti) eſſe deſinit, non amplius adoratur. En ipſa Damaſceni verba: (b) *Quin figuram quoque pretioſæ, ac vivificæ Crucis adoramus, quamvis ex alia materia conſtructa ſit: non quo materiam colamus (hoc avertat Deus) ſed figuram, velut qua Chriſtus deſignatur. Etenim ipſe diſcipulos ſuos præmonens*: Tunc, *inquit*, (*) apparebit ſignum filii hominis in Cœlo: (*Crucem nimirum ſignificans*): *ac proinde Reſurrectionis Chriſti nuncius mulieribus dicebat* (*): Jeſum quæritis Nazarenū Crucifixū: *Et Apoſtolus*: (*) Nos autem prædicamus Chriſtū Crucifixum. *Multi enim Chriſti, & Jeſus ſunt: at unus dumtaxat crucifixus. Non dicit lancea transfixum, ſed*, crucifixum. *Quocirca Crucis ſignum adorandum nobis eſt; ubi enim ſignum fuerit, ibi quoque & ipſe erit. Ceterum materia, ex qua conſtat figura Crucis, deſtructâ figurâ adoranda non eſt*. Nec minus perſpicuus eſt Ruſticus Diaconus diſputans contra Acephalos: (c) *Et adoramus* (inquiens) *omnem Crucem, & per ipſam illum, cujus eſt Crux*. En ergo adoratio terminans ad Crucem ipſam: quatenus Chriſti imago eſt, tametſi poſtea a Cruce referatur, & aſcendat ad Chriſtum.

(b) cap. olim 12. in nova editione 11. libri quarti de fide Orthodoxa.

(*) Matth. 24. 30.

(*) Mar. 16. 6.

(*) 1. Co. 1. 23.

(c) tomo 4. Bibliothecæ Patrum Par. col. 838. to. 1. Hæc tamen expreſſa verba non reperi, ſed alia ejuſdam tamen plane ſignificationis.

II. Cave porro, ne id Cruci tantum convenire dicas, minime vero imaginibus reliquis. Etenim his ipſis eâ, quam retuli, cauſâ honorem, cultumque deberi, Nicænorum Patrum verba deinceps adducenda declarant. Promovit autem hunc ipſum cultum Deus, dum miracula ſane non levia fieri voluit ab Imaginibus ſacris. Si nihil in illis ſanctum, nihilque veneratione dignum ineſt, cur miracula ab iis eduntur?

III. Ad hæc: Imagines Sanctorum, ne quid ſacri deſit, ex Eccleſiæ conſuetudine, & decretis, benedicuntur, & ſancto oleo unguntur. (d) Sacer ergo cultus propter benedictionem, ſi reliqua forte deeſſent, illis eſt adhibendus.

(d) Vadem hujuſce conſuetudinis Pontificem Hadrianum habemus in epiſto. ad Carol. M. *in imagi. defenſ.* ſect. 1. cap. 39. pag. 1571. to. 8. Conci.

IV. Quod ſi cultum tribuere illis recuſas, vide, ad quæ deducaris; primo ut fatearis, omnino non eſſe colendas Imagines; quod enim ipſum, & per ſe non colitur, omnino non colitur. Quis enim dicat coli librum

Sancto Auguſtino, aut Chryſoſtomo conſcriptum, tametſi eum legens, ad Auguſtini, & Chryſoſtomi amorem, venerationemque incitetur? Secundo, ut fatearis, creaturam aliquam coli poſſe cultu latriæ. Scilicet ſi eo tantum, quo prototypum, ſeu exemplar, cujus ſunt, coluntur imagines, non peculiari, ac ſuo in imaginibus ipſis ſiſtente cultu, latriæ cultu coleretur imago Trinitatis, aut Chriſti, ut pote quæ colitur ipſiſſimo, quo Trinitas, & Chriſtus colitur modo. Id tamen fateri Catholici recuſabunt his rationum momentis adducti. Vetat id Auguſtinus [36], quin & Innocentius III. dum (e) docet, unicam Dei Imaginem vivam, Unigenitum ſcilicet Filium eſſe adorandum *latria*, reliquas non item, ſed tantum *honorandas, colendaſque propter Imaginatum: & dulia*. Vetant id quoque (quod multo pluris fortaſſe facies) Patres citati a Concilio Septimo generali, atque adeo in eodem Concilio coacti, veluti Tharaſius (f) Conſtantinus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri (g), Epiphanius Diaconus, (h) immo ipſa Synodus in definitione. (i) Hadrianus quoque Pontifex, & reliqui omnes, qui Imaginum cultum contra Hagiomachos tutati ſunt, hoc in primis caverunt, ne cultu latriæ Imagines colerentur. Jugiter id, apertiſſimeque negarunt, monueruntque Deo tantummodo deferendam eſſe latriam. Hinc a Concilio Septimo Generali, cujus præſertim auctoritas, quum de Imaginum cultu diſſeritur, attendenda eſt, (*) & a Damaſceno mox allegando, comparatur veneratio delata Imaginibus quibuſlibet (ideoque Imaginibus etiam Trinitatis, & Chriſti) cum cultu, & reverentia, quæ tribuitur Sanctis Evangeliis, & Vaſis Sacris. (k) Porro cultus, & reverentia, quæ tribuitur Sanctis Evangeliis, & Vaſis Sacris, latria non eſt: aliàs latria dignaremur creaturam: quod jure meritoque interdictum eſt. Erit ergo cultus alius, & reverentia minor latriâ, iſque deferetur Imaginibus quibuslibet ſacris, ideoque Chriſti etiam, & Trinitatis.

(e) in ſermone primo *de Dedicatione Templi* pag. 75. tomi editio. Colon. 1575.

(f) actione ſecunda. pag. 775.

(g) actione tertia. pag. 835.

(h) actione ſexta. pag. 1062.

(i) actione ſeptima. pag. 1207.

(k) act. 7. in definitione pag. 1206.

(36) *Prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo, non quia non habet Imaginem Deus, ſed quia nulla ejus Imago coli debet, niſi illa, qua hoc eſt, quod ipſe* (ſcilicet Unigenitus Dei, Verbum ſuum) *nec ipſa pro illo, ſed cum illo.* (*)

(*) in Epiſtola olim 119. cap. 11. nunc 55. n. 20.

V. Atqui ſtabilita hac comparatione cultus Imaginibus delati cum cultu delato Evangeliis, & Vaſis Sacris, confici alia poteſt non minus probabilis ratiocinatio. Si Vaſis Sacris, & Evangeliis adhibitum cultum vis eſſe latriam (quod ii fateantur oportet, qui in Evangeliis, & Vaſis Sacris Deum tantum coli ajunt, ſeu delatum Evangeliis, & Vaſis Sacris cultum non in iis ſiſtere, ſed ad Deum ferri:) latriam deferes Imaginibus Sanctorum: parilem quippe cultum deferri jubet Sacra Synodus Imaginibus ſacris, atque Evangeliis, ac Vaſis Sacris. Quis vero latriam tametſi relativam, (de qua tantum apud Veteres ipſos eſſe potuit quæſtio) deferet imaginibus Sanctorum, cum ne ipſis quidem Sanctis deferri illa poſſit? Sane ſi qua ſacra Imago latriâ honoranda foret, ea Crux foret: quippe Crux Chriſtum ex omnium conſenſione repræſentat. Sed Cruci latria non defertur, ſed cultus latriâ minor: Quippe quum velo obtegitur Chriſti Imago, ad Crucem, non ad Chriſtum convertitur Eccleſia, ad eamdem Crucem hæc effata:

O Crux ave ſpes unica
Hoc paſſionis tempore:
Piis adauge gratiam,
Reiſque dele crimina.

Colit ergo (quoniam invocatio cultus quidam eſt) cultu, qui non deferatur ad Chriſtum, ideoque peculiari, ac ſuo.

VI. Quod ſi hæc te minime moveant, veliſque adhuc in tua opinione perſiſtere, fateri cogêris, in rebus omnibus, ideoque in iis ipſis, quæ alieniſſimæ a Deo ſunt, coli eum poſſe. Etenim, cum ideo Imagines colas, quia hę repræſentant prototypum ſacrum, ſeu, ut expreſſius loquar, ut in iis colas prototypum ſacrum repræſentatum; cum creaturæ quævis, tametſi affectione animi, & peccato a Deo alieniſſimæ, Dei effectus ſint, eum repræſentabunt: (effectus quippe, tametſi degener, cauſam ſuam repræſentat) in his ergo Deum coles, ideoque in Dæmone, & Antichriſto, tametſi peccantibus, & a Deo alienis Deum coles: quo nihil fingi abſurdius poteſt, aut remotius a vero. Longe itaque conſultius eſt, ut ipſas per ſe Imagines coli ſinas, ſed cultu qui multum ſubſit cultui, quem prototypo debes: item fere ut Legatus Regis, duos ho-

honores recipit, majorem quidem, quatenus legatus Principis eſt, & hic honor ad Principem refertur: minorem alterum, qui ſiſtit in ipſo, illiuſque perſonæ defertur.

VII. Nunc ad ea progredimur, quæ ex auctoritate deſumuntur. Porro ampliſſima argumentorum capita nobis præbet auctoritas. Notiſſima ſunt hac in re monita Auguſtini, cui diſplicebant maxime *Sepulcrorum, & Imaginum adoratores*: Gregorii Magni Serenum laudantis, quod Imagines adorari non permiſerit, aliaque id genus. Adorationem itaque veram ab Imaginibus amovebant. Igitur, ne dicamus, hos Patres Eccleſiæ decretis, & conſuetudinibus obſtitiſſe (quippe Eccleſia, ut verbis Hadriani utamur, ab *ipſo exordio Imagines venerata eſt*), ita eorum monita interpretabimur, ut potiorem adorationem deferri Imaginibus non ſinentes, minorem aliquem cultum adhibendum vellent.

VIII. Quid quod Nicæni quidem in primis, ſed & alii Patres (inter quos poſtremum locum non obtinet Damaſcenus) ſæpe declarant, ita imagines colendas eſſe, ut ad ipſas feratur cultus? quippe tametſi noſſent, pleroſque Iconomachos Sanctorum interceſſionem fateri, & Sanctos ipſos, atque in primis Deiparam Virginem colere: id tamen his Patribus non ſatis fuit, ſed illos ipſos damnarunt, propterea quia Imagines Sacras non colerent. Exquiſierunt itaque ab Iconomachis cultum non modo relativum ad prototypa aſcendentem, ſed abſolutum, hærentemque in imaginibus ipſis.

IX. In eamdem etiam ſententiam afferri merito poſſunt ii ipſi Patres, qui a Scholaſticis pro relativo cultu ſtantibus ſæpe afferuntur. Scilicet relativum cultum proponere putantur ii Patres, qui ajunt *eadem adoratione adorari Imagines, & earum exemplar*. At adverſus relativum cultum ii potius allegari debuiſſent. Quippe ſi eadem adoratione adorantur Imagines, & earum exemplar, merito eruitur, Imagines ipſas coli, ſicut merito eruitur, Sanctos ipſos, quorum veneramur Imagines, coli. Cultus ſcilicet, & adoratio tum duo habet objecta, & duos terminos: Imagines nempe proximâ & ſuâ, licet minori cultus portione ado-

randas: exemplar vero, ſeu Sanctos, remotâ, ultimatâ, & præſtantiori cultus parte, ſeu, ſi loqui ita vis, excellentiori cultu honorandos.

X. Sed apertiſſime duo venerationis, atque honoris genera agnoſcunt, & in imaginum cultu diſtinguunt, admittuntque Patres, tum quia docent, *imaginis honorem tranſire*, ac *referri ad prototypum:* tum etiam quia honorem, quem imaginibus deferimus, comprobant paritate deſumpta ex honore, quem nos nobis invicem deferimus, propterea quia in nobis reſidet Dei imago: tum denique quia ajunt, honorē, quē imaginibus deferimus, ſimilem illius eſſe, quem deferimus Virgini Deiparæ, & Sanctis, quibus tributus honor ad Deum aſcendit. Scilicet ſi tranſit ad prototypum, aliqua parte in imagine ſiſtit: dum enim fit tranſitus ab uno in alium locum, ſiſtitur (tantiſper ſaltem) in eo loco, a quo tranſitus ad alium fit. Quod ſi ſimilis eſt honor imagini delatus honori, quem nobis invicem deferimus, quia Dei imago nobis ineſt, plane conſequitur, ut abſolutum eſſe dicamus honorem imaginibus delatum: etenim ipſa Dei imago in nobis impreſſa nos honorabiles & honore abſoluto dignos facit. Poſtremū porro monitum egregie id, quod agimus, illuſtrat, confirmatque. Tametſi enim honor Virgini, & Sanctis adhibitus tranſeat ad Deum, qui ſcilicet gratia, & beneficiis Deiparæ, & Sanctis tributis, origo ejuſdem eſt; tamen ſiſtit etiam in Deipara, & Sanctis, qui abſoluto honore digni ſunt. Hæc tamen monita ipſa ille idem Damaſcenus tradit, quem defenſores cultus relativi allegare ſolent. (37)

X.

(37) *Sæpe ſane contingit, ut cum de paſſione Domini minimè cogitamus, conſpecta crucifixionis Chriſti imagine, in ſalutiferæ paſſionis memoriam revocamur, & cernui non materiam, ſed eum, cujus eſt imago, adoremus: quemadmodum ſcilicet nec Evangelici codicis, nec crucis materiam adoramus, verum id quod per hæc exprimitur. . . . . . . Quod etiam de Dei matre ſentiendum erit. Etenim is honor, quem ei adhibemus, ad illum refertur, qui ex ipſa carnem ſumſit. Itemque egregia Sanctorum virorum facinora, ad fortitudinem, & virtutis ipſorum æmulationem & imitationem, nec non in Dei laudes excitamur.* [*]

(*) 4. *de fide*: cap. olim 17. in editione P. Lequien 16.

XI. Et hæc quidem poſitiva argumenta in rem ſuam proponunt ii, qui aliquo abſoluto cultu imagines afficiendas eſſe ajunt. At negativum minime contemnunt; diſſolvere nempe ſe facile ajunt objectiones, & fundamenta, quibus innituntur, qui ſecus ſentiunt. Id porro cum dignoſci non poſſit, niſi prius hæc eadem argumenta afferantur, commodius deinceps ea expendentur.

XII. Ii vero, qui docent, per accidẽs quidẽ coli Imagines ipſas, ſed tamen coli ſimul cum exemplari, quod per ſe directe, & primario colitur, deſumpto a ratione argumento, ſic diſputant. Ipſa repræſentatio, quam Imagines habent, efficit, ut dum colimus Sanctos repræſentatos, etiam colantur Imagines repræſentantes, utpote eodẽ ſigno & temporis, & rationis (uti ajunt) menti, & ſenſibus ſe ſe exhibentes. Sic purpura Regis honoratur, non ſolum dũ Rex ea induitur, ſed etiã quando ea exutus eſt, dum̃odo Regis purpura eſſe agnoſcatur. Scilicet dum ſenſibus, & menti ſe repræſentat, Regem quoque, & ſenſibus, & menti exhibet, quem propterea dum honoro, honorem etiam, oportet, eam purpuram, quæ ſe non minus, quam Regem menti, & ſenſibus meis objicit. Commoda quoque valde eſt hæc ſententia, utpote quæ extremas, pugnanteſque conciliat; trahit quoque ad ſubſidium ſui argumenta, quibus prior, & poſtrema opinio innititur, ideoque etiam ea Patrum, & Conciliorum teſtimonia, quæ utraque allegat: ſed potiſſimum auctoritati D. Thomæ ſe inniti confidit. Tertia ſcilicet parte quæſ. 25. ar. 3. ea tradit, quę in ſpeciem ei opinioni favent: quæ quidem, quoniam mox afferentur, non eſt operæ pretium hic deſcribere. Thomam tamen ipſum prævenit Damaſcenus in illis præſertim verbis: (l) *Ubi enim ſignum fuerit, ibi quoque & ipſe erit*. Hieronymus quoque, dum de Paula matre ait, (m) *eam proſtratam ante Crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adoraſſe*.

(l) cap. olim. 12. in nova editione 11. libri quarti de Fide Orthodoxa.

(m) in Epiſtola olim 27. in Veronenſi editione 108. *ad Euſtochium Virginem*, continetque epitaphium Paulæ [cap. 3. alias n. 9.]

CAP.

C A P. XL.

Referuntur fundamenta poſitiva poſtremæ ſententiæ, illius ſcilicet, quæ relativum tantummodo cultum imaginibus adhibendum ſtatuit.

I. USque adhuc declamantes audivimus præclariſſimos patronos opinionis illius, quæ abſoluto cultu ſacras imagines eſſe ait dignas. Si æqui judices eſſe volumus, ea quoque audienda ſunt nobis argumenta, quibus innititur opinio huic adverſans, quæ ſcilicet ſtatuit, relativo tantum cultu afficiendas eſſe imagines ſacras. Et hæc quidem vires non leves ineſse putat in ſolutione argumentorum illorum, quæ ſuperiori capite recenſuimus: multo tamen plus roboris in iis ſtatuit argumentis, quæ *poſitiva* appellant, quæque ſtatim ſubjiciam.

II. Duo porro argumentorum capita eadem opioni urget, quorum primum a ratione, ab auctoritate excipit alterum. En illud quod ratio præbet. Honor (ideoque cultus, veneratio, & alia quæcunque honoris genera,) honor, inquam, eſt ſubmiſſio animi erga aliquem, propter excellentiam in eo ſitam. At ſubmitti non poteſt animus, niſi creaturæ rationis compoti: inanimæ ergo non ſubmittetur. Quis autem picturas, lignea ſimulacra, aliaſque hujus generis imagines, animæ ſenſuſque efficiat compotes? Non eas ergo ipſas honorabimus, ſed honor, qui eis deferetur, prototypa reſpiciet, & ad ea referetur. Erit itaque relativus honor, & cultus, qui iis præſtabitur.

III. Prævenere argumentationem hanc noſtram Petrus

trus Cluniacenſis, & S. Thomas, quorum quidem teſtimonia alibi attuli (*a*). Præſtat tamen laudatiſſimum Angelici Doctoris teſtimonium hic rurſus afferre. Sic ergo ait: (*b*) ,, Dicendum quod ſicut ,, Philoſophus dicit (*c*), duplex eſt motus animæ ,, in imaginem, unus quidem in ipſam imaginem, ,, ſecundum quod res quædam eſt, alio modo in imaginem, in quantum eſt imago alterius. Et ,, inter hos duos motus eſt hæc differentia, quia ,, primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut ,, eſt res quædam, eſt alius a motu, qui eſt in ,, rem: ſecundus autem motus, qui eſt in imaginem, ,, in quantum eſt *imago*, *eſt unus*, *& idem cum illo*, ,, qui eſt in rem. Sic ergo dicendum, quod Imagini Chriſti, *in quantum eſt res quædam* (puta lignum ,, ſculptum, vel pictum) *nulla reverentia exhibetur*, ,, *quia reverentia non niſi rationali naturæ debetur*. Relinquitur ergo, quod exhibeatur ei reverentia, ſolum ,, in quantum eſt imago; & ſic ſequitur, quod eadem ,, reverentia exhibetur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, ,, conſequens eſt, quod ejus Imago ſit adoratione latriæ adoranda. (*) ,,

IV. Adjuvat hanc ratiocinationem communis perſuaſio, quæ vetat nos Imagini ipſi ſupplicare. Cur vero id vetamur, niſi quia nihil in ea agnoſcimus, cui vota noſtra commendemus, nihil virtutis, aut excellentiæ, cui nos ſubmittamus?

V. Venio nunc ad auctoritatem. Hanc, quoniam multiplex eſt, ad quædam ſumma capita revoco. Præire faciam ea teſtimonia, in quibus ita deſcribitur adhibitus Imaginibus cultus, ut relativus tantummodo deſcribatur. Neque vero ſimile veri eſt, hoc tantum genus cultus deſcripſiſſe Magiſtros noſtros, ſi aliud Imaginibus in ipſis hærens tribuendum noviſſent. Recenſebo ibi ea teſtimonia, in quibus unica affertur colendarum Imaginum cauſa, quod earum honor ad prototypum aſcendit. Quis enim in animum ſibi inducet, adeo negligentes, aut indoctos fuiſſe eos, qui hæc tradiderunt, ut præterirent aliam colendarum Imaginum cauſam, ſi nota ea fuiſſet? Deinceps deſcribam ea teſtimonia, in

(*a*) diſſer. VIII. cap. 35. §. 7., & 8.

(*b*) 3. par. quæ *de Salvatore* inſcribitur: quæſtio. 25. ar. 3. *in corpore*.

(*c*) in libro *de memoria*, *& reminiſcentia*.

(*) Eadem fere docet 2. 2. quæſt. 94. ar. 2. §. 1. & nuper allegata quæſ. 25. ar. 4. in corpore.

in quibus monemur, omnino non coli Imagines ipſas, ſed eos tantum, quorum Imagines ſunt. Quo ſub capite comprehendam in primis ea teſtimonia, quibus traditur, non Imagines ipſas revera coli, ſed coram Imaginibus in illis, & per illas coli eos, ante quorum Imagines proſternimur, aut ſupplicamus. Recenſebo denique ea teſtimonia, in quibus ad explicandum cultum imaginibus delatum eæ paritates, ac ſimilitudines adhibentur, quibus mere relativus deſcribitur hic honor.

VI. Ad primum itaque caput hæc pertinent. Ii qui diligentius genus, ac qualitatem cultus Sacris Imaginibus adhibiti explicare ſtuduerunt, relativum tantummodo exhibuerunt. Se ſe ultro offert ſive Athanaſius, ſive alter quiſquis is eſt auctor quæſtionum ad Antiochum quæſt. 38. cujus verba alibi retulimus. (*) Atque ea quidem tanto apud Veteres fuere in pretio, ut ea allegarit Concilium Romanum Stephano III., ſeu, ſi vis, IV. Pontifice celebratum (*).

VII. Eadem eſt aliorum Patrum ſententia. Gregorius II. (*d*) Sacras Imagines ab ipſis Eccleſiæ exordiis cultas fuiſſe ait *non latria*, ſed *habitudine:* id eſt relative. (*e*) Nicephorus etiam Conſtantinopolitanus in iis opuſculis, quæ extant parte 2. tomi 4. Bibliothecæ Patrum Pariſiis editæ, plurima habet mirum in modum id quod agimus, confirmantia. Hinc merito Petavius multa ex eo in rem ſuam tranſtulit. (*f*) Pro eadem explicatione ſtat etiam Theodorus Studita, (*) Athanaſium, & Baſilium allegans.

VIII. Atque ad ejuſdem quidem Athanaſii auctoritatem reſpexit Taraſius Conſtantinopolitanus Patriarcha (*g*), dum hæc ait: *Ipſa rerum natura docet, quia imaginis honor ad principale refertur, ſimiliter autem & inhonorantia.*

IX. Viſne alia ejuſdem generis monita? Parebo libens. Id ſane docent Theodorus Hieroſolymitanus Patriarcha (*), & Epiphanius Diaconus cum Iconoclaſtarum Synodum refellens, hæc tradit: (*h*) *Prius enim diximus ex Sanctis Patribus haurientes, quia imaginis honor ad principale tranſit; & quia qui intuetur imaginem Regis, intuetur in ea Regem. Qui ergo adorat ima-*

(*) Recole hic hujuſce ſcriptoris verba allegata §. 17. capitis 2.

(*) act. 4. pag. 485. to. 8. Conci.

(*d*) in priore ad Leonem Iſaurum epiſtola: reſpondet hoc teſtimonium pag. 655. tomi VIII. Concili.

(*e*) ſic Fronto Ducæus in annotationibus in eam Epiſtolam rectiſſime explicat.

[*f*] to. 6. Theol. Dogm. lib. 15. cap. 17. §. 11.

[*] Antir: 1. §. 8. pag. 76. to. V. Oper. Sirmon. *Meritoque imaginis honor ad prototypum tranſit, ſicut, & vice verſa.* Expreſſius id tradit in epiſtola *Athanaſio filio* ſcripta (pag. 185. libri 2. pag. 412.) & rurſus in epiſtola 161. ejuſdem libri pag. 506: *imago autem Chriſti adoranda ſit adoratione relativa*. Vide etiam quæ traduntur pag. 76. 87. 89. &c. rurſus 92. & 389.

(*g*) act. 4. Nicæ. II. pag. 910.

(*) in Synod. Nic. allegatur act. 3. *Scientes ſecundum Baſilium Magnum, quod imaginis honor ad principale tranſit .... oportet eas adorare propter principalia* (pag. 834. to. 8.)

(*h*) act. 6. pag. 1106.

imaginem, in ea adorat Regem, illius enim forma, & ſpecies eſt &c. Applicat autem doctrinam hanc generalem imaginibus, dum hæc ait: (*i*) *Cum divinam Crucis effigiem, & venerandas imagines amore, & deſiderio amplectimur, ad ipſum prototypum reſpicimus.*

(*i*) pag. 1115., & 1486.

X. Nicæna ipſa II. (k) in definitione, quæ veluti epilogus eſt, & concluſio doctrinæ ſuæ, poſtquam expreſſiſſime docuit, venerandas eſſe colendaſque Imagines ſacras, rationem hanc affert: *Imaginis enim honor ad primitivum tranſit, & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti ſubſiſtentiam.*

(k) act. 7. in defini: pag. 1206., & 1207. tom. VIII.

XI. Hanc porro fuiſſe Catholicorum omnium ea ætate viventium ſententiam, plane aſſequimur ex verbis iis libri 3. Operis Carolini: (*l*) „ Uſitatiſſimum, „ & oppido familiariſſimum illis, qui in adorandis „ imaginibus æſtuant, hoc eſt, ut credant, & aſſerant, „ imaginis honorem in eandem formam poſſe tranſire, „ cujus imago eſt. „ Et mox. „ Dicant igitur, quibus hoc tam peculiare eſt dicere, quod imaginis honor in primam formam tranſit, dicant, ubi hoc legerint.

(*l*) cap. 16. pag. 376.

XII. Ubi nã porro id legerint, edocet Hadrianus hæc inquiens (*m*): *Qui huic contradicere voluerit, S. Baſilii contradicet expoſitioni, quē nullum ex Fidelibus credimus adverſus ejus orthodoxam fidem expugnare. Quia ipſe in ſacratiſſima epiſtola ſua, quam miſit ad Amphilochium, inter cetera iſtud explanavit capitulum. Item Sancti Severiani Epiſcopi Gabalanenſis,* [*n*] *in homilia, in qua demonſtravit ſcripturas per Dominum explanatas, inter cetera: Veſtem imperialem ſi injuriaveris, nunquid qui eam induit, injuria non afficis?*

(*m*) ſect. ſeu par. 2. cap. 8. pag. 1582.

(*n*) aliàs Gavalenſis.

XIII. In eamdem ſententiam Synodus IV. Conſtantinopolitana hæc ait: (*o*) *Sacram imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnium liberatoris, & Salvatoris æquo honore cum libro Sanctorum Evangeliorum adorari decernimus.* Hujus porro rei rationē eam ipſam, quam adduximus, his verbis affert: *Et dignum eſt, ut ſecundum congruentiam rationis, & antiquiſſimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipſa referuntur etiam derivative, iconæ honorentur, & adorentur æque ac Sanctorum Sacer Evangeliorum Liber, ac typus precioſæ Crucis.*

(*o*) Octava generalis eſt: actione X. can: 3. tom. X. pag. 634.

XIV. Quanto in pretio, atque honore habitum ſit opu-

opuſculum illud, quod in duas partes, (ſeu libellos) diviſum, *de viſitatione infirmorum* inſcribitur, ex eo potiſſimum dignoſci poteſt, quod diu a viris etiam præſtantibus tributum eſt Auguſtino. Favere porro illum maxime ſententiæ noſtræ, is ſtatim fatebitur, qui caput 3. libri ſecundi legerit: agens enim *de Chriſti Cruci affixi imagine ægro adhibendæ*: hæc, mirum in modum id, quod agimus, confirmantia, eloquitur: (*p*) „ Habent ſi quidem Chriſtia-„ norum arcana illius Dominicæ crucis quaſi quod-„ dam venerabile monimentum, quod de Crucis ipſius „ imaginatione Crucem cognominant: quod & nos „ omni veneratione digniſſimum fatemur, & ad recor-„ dationem Crucifixi noſtri veneramur. Adjicitur ete-„ nim ſuper crucem quædam hominis inibi patientis „ imago, per quod ſalutifera Jeſu Chriſti nobis reno-„ vatur paſſio: hanc complectere humiliter, venerare „ ſuppliciter, tamen hæc ad memoriam tibi redu-cens:

Nec Deus eſt, nec homo, præſens, quam cerno, figura,
Sed Deus eſt & homo, quem ſignat ſacra figura.
Verus homo, veruſque Deus, tamen unus uterque
Probra crucis patitur, mortem ſubit, & ſepelitur:
Vivit idem, crucis hæc per ſigna triumphat ab hoſte.
Id notum nobis crucis hujus littera reddit,
Scilicet ipſius nota ſunt crux & crucifixus;
Hæc & ego veneror, Jeſum quoque ſemper adoro.

XV. Expreſſiſſime id ipſum Synodus Tridentina confirmat Seſſione XXV. (*) his verbis. „ Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & alio-„ rum Sanctorum in templis præſertim habendas, & „ retinendas, eiſque debitum honorem, & veneratio-„ nem impertiendã, non quod credatur ineſſe aliqua in „ iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colen-„ dæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum; vel quod „ fiducia in Imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat „ a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; „ ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad „ prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per Ima-„ gines, quas oſculamur, & coram quibus caput ape-„ rimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & „ Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, venere-„ mur,

(*p*) Opuſculum iſtud invenies in appendice to. 6. Oper. Auguſt. a Patribus S. Mauri editorum pag. 253. ſed hæc quæ allegamus, reſpondent paginæ 257.

(*) in eo capite, cui præfigitur titulus *de invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & Imaginibus.*

„ mur; id quod Conciliorum, præſertim vero ſecun„ dæ Nicænæ Synodi decretis contra Imaginum oppu„ gnatores eſt ſancitum. „ Quanto autem jure ac merito Nicænos Patres allegarit Synodus Tridentina, ea, quæ modo ex Nicæna II. allegavimus, verba ſatis declarant.

XVI. Sed manifeſtius fortaſſe id declarabunt ea ex eadem Synodo deprompta teſtimonia, in quibus cultus quilibet imaginibus videtur demptus; quod quidem aliter intelligi non poteſt, niſi quod nullū imaginibus *abſolutum* cultum deferri ii vellent; ſed tantum relativum. Præſtat autem ſtatim prolatis Nicænorum Patrum teſtimoniis, id quod dico, evincere. Ecce porro tibi Joannem Theſſalonicenſem a Nicænis Patribus allegatum, hæc primūm Gentilis cujuſdā verba objicientē: (q) *Vos ergo in Eccleſiis imagines non pingitis Sanctis veſtris, & adoratis illas?* tum calumniam hanc ſic rejicientem. *Sed & nos imagines hominum factorum, Sanctorum videlicet Servorum Dei, & corpora ferentium facimus ad recordandum, & honorandum eos . . . Sed & adorantes, non imagines, ut etiam tu prædixiſti, ſed eos qui per picturam indicantur, glorificamus.*

XVII. Epiphanius porro Diaconus in eodem Concilio ſapiſſime diſputans, hæc in eandem ſententiam (r) legit: *Sanctas imagines Chriſtiani neque deos nominarunt, neque ſpem ſalutis ſuæ in eis aliquando habuerunt... niſi ad recordationem, & munimen eas habentes, & amore circa illarum principalia flagrantes, has & amplexi ſunt, & honeranter adoraverunt.*

XVIII. Rurſus autem mox (ſ) inculcat, ſacras ipſas imagines vere non adorari (*), ſed eas, ſive ſint Chriſti, ſive Sanctorum, ad memoriam tantum ejuſdem Chriſti, & Sanctorum ſervari ab Eccleſia. (t)

XIX. Idē deinceps repetit; (*) quin etiā honorariam adorationem, & relativum cultum palam opponens adorationi interiori, hanc imaginibus demit, dum tamen extrinſeca honorificentiæ argumenta ab Eccleſia jam pridem adhibita iiſdem imaginibus tribuenda docet. Præter ea, quæ ex pag. 1110. deſcripta in marginē rejecimus, audi rurſus hæc loquentem (u): tametſi enim nuper idem teſtimonium allegarim, referri etiam hic meretur, facit enim pariter ad rem præſentem: *Scientes, quia ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, &* ve-

(q) act. 5. pag. 1003.

(r) act. 6. pag. 1062.

(ſ) pag. 1067.

(*) *non profecto aſpicientes ad id quod videtur, ſed ad ea, quæ in ipſo ſignantur.*

(t) *ejus* (Chriſti) *& Sanctorum ipſius habet Eccleſia repoſita.*

(*) Hæc præſertim ex pag. 1110. adnotanda puto: *qui in ſpiritu, & veritate Deo ſerviunt, & imaginales picturas in relationem, & & commemorationem tantum habent, & has amplectuntur, atque ſalutant.*

(u) pag. 1115., & 1486.

veritate oportet adorare, adorationem, & ſervitutem, quæ per fidem eſt, ipſi ſoli.... offerunt. Nam divinum typum Crucis, & venerabiles imagines, deſiderio, & affectu flagrantes, ſecundum principalium relationem ſalutamus & honorabiliter adoramus.

XX Germanus Patriarcha in epiſtola ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos, quæ citatur actione quarta Concilii II. Nicæni (*x*), eodem prorſus modo, quo ſubinde explicat Concilium, adhibitum Imaginibus ſacris cultum exhibet, id etiam addens, quod in re noſtra attendendum eſt maxime; a Sanctis ſcilicet antiquis Patribus fuiſſe id traditum: *Non enim* (inquiens) *lignorum, & colorum adoratur mixtura, ſed inviſibilis Deus, qui in ſinu Patris ipſe adorationem aſſumit in ſpiritu, & veritate, per ſe nobis oblationem, quæ ad Patrem eſt, donans, ipſe quoque cum ipſo pariter adorandus. Nam & Jacob adoraſſe dicitur ſuper ſummitatem virgæ Joſeph, non ligno cultum impendens, ſed honorem ei, qui hanc poſſidebat, oſtendens. Sic itaque & Sanctæ Domini, & ſemper glorioſæ Matris effigies intelligitur a Chriſti populo, & honoratur. Sic a priſcis Sanctiſſimarum Eccleſiarum prælatis talia recepta ſunt, & nulla prohibitione vetita ſunt.*

(*x*) pag. 955.

XXI. Sed luculentiſſime id explicat Leontius (ſermone illo quinto pro *Chriſtianorum defenſione contra Judæos, & de Imaginibus Sanctorum*, quem integrum fere allegavit Synodus Nicæna II. actione quarta. (*y*)) Aliqua exſcribam e pluribus. (*) ,, Judæus dixit: Sed non adorabantur iſtæ ſimilitudines ſicut Dii, ſed ad recordationem ſolam efficiebantur. Chriſtianus dixit: Bene dixiſti, quia & penes nos ſicut Dii non adorantur Sanctorum characteres, & iconæ, vel formæ. Si enim ut Deum adorarem lignum Imaginis, poſſem profecto & ligna reliqua adorare . . . . . Et ſicut tu adoras librum legis, non naturam pellium, vel atramenti, quæ in ipſo eſt, adoras, ſed verba Dei, quæ rejacent in eo: ita & ego Imaginem Chriſti adorans, non naturam lignorum, & colorum adoro (abſit) ſed inanimatum characterem Chriſti *tenens*, *per eum Chriſtum* tenere mihi videor, & adorare. Et ſicut Jacob acceptam a filiis ſuis tunicam variam, & ſanguino-

(*y*) pag. 883., & ſubſequentibus.
(*) pag. 886.

,, len-

„ lentam Joſephi deoſculatus eſt cum lacrymis, &
„ propriis oculis hanc circumpoſuit, & non veſtimen-
„ tum amans, vel honorans hoc fecit, ſed per id æſti-
„ mans Joſephum oſculari, & in manibus eum habe-
„ re; ita & Chriſtiani univerſi Imaginem Chriſti, vel
„ Apoſtolorum, aut Martyrum tenentes, aut ſalutan-
„ tes carne, animâ ipſum Chriſtum æſtimamus, vel
„ Martyrem ejus habitum retinere.... (z) Qui autem
„ diligit amicum, aut Imperatorem, & præcipue be-
„ nefactorem ſuum, ſive filium ejus videat, ſive virgam,
„ ſive ſedem, ſive coronam, ſive domum, ſive ſervum,
„ tenet, oſculatur, & honorat per iſta bene meritum,
„ & maxime Deum. Cum ergo videris Chriſtianos
„ adorare Crucem, ſcito quia Crucifixo Chriſto ado-
„ rationem offerunt, & non ligno.

(z) Et pag. 894.

XXII. Præceſſit porro hos Patres Gregorius II. cujus verba libentiſſime hic referrem, niſi ea alibi retuliſſem (*). Ea recolat Lector.

(*) cap. 5. §. 3.

XXIII. Non me latet monere eos, qui ſecus ſentiunt, parum apta eſſe iſta ad id quod agimus, perficiendum. Etenim primum monitorum genus facile excipitur ab iis ipſis, qui abſolutum imaginum cultum tuentur: fatentur enim, relativam eſſe portionem præcipuam cultus imaginibus adhibiti, eamque referri ad prototypa; ſed præter eam, portionem aliam cultus (inferiorem hanc facito, ut libet, & modicam) in imaginibus ipſis ſiſtere docent: & hanc quidem ab imaginibus minime arcent priora illa monita (*). Sed neque eam ab iiſdem imaginibus arcent ſecundi generis monita, ea ſcilicet, quæ quemlibet cultum ab iiſdem imaginibus arcere videntur: Etenim ſi ea diligentius expendas, facile intelliges, iis omnibus teſtimoniis removeri cultum ab imaginibus, quatenus *materia* ſunt, veluti colores, aut lignum: minime vero, quatenus *imagines* ſunt, id eſt quatenus *prototypa repræſentant*. Primum porro rejicitur a Catholicis omnibus, alterum ſuſtinetur a Bellarmino, Eſtio, aliiſque Theologis, qui pro eodem abſoluto cultu ſtant.

(*) Solutionem aliam, quæ deinceps refelletur, habes §. 10. capitis 39.

XXIV. Sed neque me latet, quanam ratione hæc ipſa evaſio rejiciatur a patronis relativi cultus: ſic nempe diſſerunt. Ideo teſtimonia hęc afferuntur, ut videat Lector, quodnam genus cultus imaginibus adhibendum tradiderint

rint

rint Veteres. An relativum tantum modo cultum inculcaſſent, eoque commemorato, & fuſe explicato, Iconoclaſtarum objectiones evitaſſent, ſi aliud cultus genus imaginibus adhibendum eſſe putaſſent? Cur, ut idololatriæ, de qua eos accuſabant Iconoclaſtæ, ſuſpicionem prorſus amoverent, ad relativum tantummodo cultum confugerunt? An non aptiſſime eorumdem Iconoclaſtarum reprehenſiones effugiſſent, monentes, cultum, quem imaginibus deferebant, modicum plane eſſe, & tenuiſſimum, ideoque ab idololatria remotiſſimum? Tamen id conſilii minime ceperunt, ſed tantummodo relativum cultum expoſuerunt, inculcaruntque, eoque probe explicato adverſariorum calumnias, atque argumenta refutaverunt, ac diſſolverunt. Cur id porro? niſi quia hoc tantum cultus genus imaginibus tribui poſſe agnoverunt.

XXV. Ea vero reſponſio, quam ſecundi generis teſtimoniis adhibent, hac animadverſione rejicitur. Adeo cultum ab imaginum materia amovent, ut nullum ipſis imaginibus tribuant. Ubinam ergo præſtantia illa, quam tu in *repræſentatione* ſitam eſſe ais? Hæc ſane vetuſtis Magiſtris noſtris ignota fuit. Eam porro commemoraſſent, ſi agnoviſſent.

XXVI. Quod ſi expreſſa ipſa Veterum teſtimonia tibi produci vis, quibus quemlibet prorſus cultum ab imaginibus ipſis removent, pertentabo ſane, ut id exſequar, quod expoſcis. En porro tibi duo Theodori Studitæ loca, quibus id quod optas, fortaſſe aſſequeris. In Epiſtola 161. libri ſecundi hæc tradit: (*) *An, ut nos, cum imaginem Chriſti adoramus, aliam hypoſtaſim adorare confiteamur? O abſurditatem! hoc enim eſt, ea, quæ ſunt indiviſa, dividere. At hoc fieri non poteſt: neque imperium quippe ſcinditur; & rurſum ait Magnus Baſilius: quare adorata imagine, adoratur Chriſtus, cujus eſt ſimilitudo*. Alterum locum mihi præbet Antirrethicus III. En tibi illum. (*a*) *Imago, prototypum quatenus refert, ſecundum hoc ipſum particeps eſt totius adorationis ob ſimilitudinem cum ipſo; neque in hoc adſciſcit ſibi materiam, in qua oſtenditur ad adorationem*. Quod ſi hypoſtaſis, ſeu natura alia, dum imago colitur, ab adoratione removetur, ſed totam veluti abſorbet (*totius adorationis*) prototypum, quænam portio cultus ſupererit, quam imagini deferas?

(*) pag. 506. tomi V. Oper. Sirmondi.

(*a*) Ibidem pag. 131.

XXVII.

XXVII. Verum ut clarius perſpiciat Lector, relativum tantummodo cultum, qui imaginibus defertur, notum fuiſſe Vetuſtis Patribus, ipſum Lectorem obſecro, ut mecum eorumdem vetuſtorum Patrum conſilium, ac penitiorem hujuſce cultus ab iis propoſitam explicationem expendat: manifeſto enim, ut puto, perſpiciet idem Lector, quantum ab abſoluto imaginum cultu alieni ii forent. Accuſantibus Catholicos Iconoclaſtis, quod ſimulacra colerent, dum imagines colebant, imagines *ipſas* a ſe coli negarunt, ſed cultum eum, quem imaginibus deferebant, ad prototypa ipſa afferri ajebant, adeo ut pro diverſa præſtantia, ac differenti merito prototyporum, diverſus etiam eſſet honor. Hic recolat Lector Gregorii II. verba, quæ cap. 5. deſcripſi. (*b*) Verum non in eo tantum innitimur. Expreſſiora adhuc habeo, nec ſane pauca. Hæc Photii verba allegat Thomaſſinus: (*c*) *Atque hanc ob cauſam ſacer ille, & Deo plenus Sanctorum Patrum conſeſſus, non modo Chriſti, verum etiam intemeratæ ſemper VIRGINIS DEIPARÆ, ET SANCTORUM OMNES IMAGINES, JUXTA GRADUM, ET PORTIONEM EXCELLENTIÆ, ET VENERATIONIS PROTOTYPORUM COLI, ET ADORARI DECREVIT.*

XXVIII. Sed pro millibus ſit unus Theodorus Studita, quem hoc in argumento Catholici ſummo in pretio habent. Hæc itaque ait ille: (*d*) *Qui ergo adorat imaginem cujuſcumque, ſive ſit Chriſti, ſive Deiparæ, ſive Sancti, ſive ſimpliciter Regis, ſive principis, ſive inferioris hominis; in hac adoravit illum, cujus ipſa eſt imago; & ita adorans non errat, ſed orthodoxe firmatus, eos, qui veritati alterutram in partem obſiſtunt, merito repellit.*

XXIX. Quoniam vero novit Theodorus, hac adorationis ratione, ac differentiâ conſtitutâ metuere aliquos, ne latria Creaturæ (imagini ſcilicet Chriſti) deferretur, ſic difficultatem hanc tollit. Duo latriæ genera exponit, quorum primum *latreuticum* appellat, *relativum* alterum. Primum latriæ genus Deo tantum, ideoque Chriſto deferendum eſſe ait, alterum imaginibus Chriſti, ideoque Cruci adhiberi a Fidelibus docet. Audi num vera eloquar. (*e*) „ Quomodo, in„ quis, latriâ non colitur imago Chriſti, ſed qui in i„ pſa

[*b*] §. 3.

(*c*) tomo 1. Theolo. *de incarna.* lib. 12. cap. 13. §. 13. ex epiſtola, ut puto 1. ejuſdem Photii.

(*d*) epiſtola 167. libri 2. pag. 521.

(*e*) epiſto. 85. libri 2. pag. 412. quæ quidem verba repetuntur in epiſtola 194. ejuſdem libri pag. 552. & recoluntur epiſtola 161. ipſius libri (pag. 506.)

„ ſa adoratur Chriſtus: cum una in ambobus ſit ado-
„ ratio? Quoniam in ipſo quidem Chriſto latriæ eſt
„ adoratio (nam cum ipſum adoro, ſimul adoro Pa-
„ trem ac Spiritum Sanctum: atque hæc noſtra eſt
„ Trinitatis adoratio & latria) in imagine vero ea-
„ dem quidem eſt: quomodo enim non eadem? nam
„ quorum imperium & gloria una, horum utique & cul-
„ tus unus, & una adoratio eſt: at relativa tamen, ſive
„ homonymica. Adorans enim ipſum, Chriſtum non
„ coadoravi, ſed adoravi, non diviſum ſecundum hypo-
„ ſtaſim, ſed diſcrepantem ratione ſubſtantiæ; quod eſt
„ *adoratio* relativa; ſed non latreutica; quanquam ea-
„ dem; illic quidem ſic intellecta dictaque quatenus
„ Triadica eſt, ſive naturalis: hic vero vice verſa,
„ quatenus relativa eſt, ſive hypoſtatica. Nam ſi la-
„ triæ adorationem dixeris, indicaſti carnem factum,
„ ſicut Filium, ita & Patrem & Spiritum: quod eſt
„ abſurdum.

XXX. Quid autem *latriæ relativæ* vocabulo intelligat, alibi etiam explicat: atque illius quidem verba referre hic præſtat, ut plane intelligat Lector nihil abſoluti ex ea in Chriſti imagine poſuiſſe. (*f*) „ Quin
„ etiam non ut materiæ tribuendam eſſe adorationem
„ imagini Chriſti, ſed ut Chriſto ipſi: ſiquidem ho-
„ nor imaginis aſcendit ad prototypum; ſubducta,
„ per actionem mentis, materia ex charactere qui in
„ ea formatur. Et latriæ cultu deferenda eſt, ut ais,
„ adoratio Servatori Chriſto, & ante carnem, & poſt
„ Incarnationem; & ante imaginem, & per illam:
„ nec ſana mente quiſquam eſt, opinor, qui huic re-
„ cte conſtitutæ doctrinæ ſe opponat..... Adoranda
„ igitur eſt imago Chriſti, at non deferenda illi la-
„ tria, ſed Chriſto, qui in ea adoratur, juxta conſe-
„ quentiæ rationem: quoniam hæc duo ſunt, imago
„ & prototypum; & diſcrimen eſt, non in hypoſtaſi,
„ ſed in eſſentia.

XXXI. Eodem etiam ſpectant quæ tradit in locis iis, quæ in margine indico: (*g*) ea pariter ſpectant quæ trademus, quum *latria relativa* Crucis imagines colendas eſſe probabimus: ideo enim tam præſtanti honore eæ afficiuntur, qui Chriſti imagines ſunt (*h*).

XXXII. Porro ea, quæ in epiſtola Joanni Gramatico ſcripta, ea quoque, quæ in epiſtola 217. libri II. (*) tra-

(*f*) in epiſtola Joanni Grammatico data: 212. libri II. illa eſt. (pag. 579.)

(*g*) in Antir. III. n. XI. pag. 127. & Epiſto: 227. lib. 2. pag. 589.

(*h*) *in vivifica Cruce & in ejus effigie par eſt ratio.* (Theodo: ſtudi: epiſto: 167. lib. 2. pag. 521.)

(*) *Thomaidi Virgini data.*

tradit (nempe non *imaginem Chriſti*, ſed *in imagine* (37): *ante imaginem: & per imaginem Chriſtum* coli) plane oſtendunt, relativum tantum modo, neque ulla ratione abſolum eſſe cultum eum, qui imagini Chriſti defertur.

XXXIII. Cave vero putes, hæc ab uno Theodoro Studita fuiſſe tradita. Scilicet non objectum adorationis, ſed *medium, per quod* adoretur prototypum, imagines eas eſſe, tradiderunt alii pariter vetuſti Theologi. Recole poſtrema verba Leontii, quæ hic non repeto, cum nuper allegaverim, & id ipſum inculcatum conſpicies. (*i*)

XXXIV. Recenſendus hic pariter eſt Scriptor vitæ S. Stephani junioris, vetuſtus, & doctus auctor: etenim non aliam in imaginibus præſtantiam agnoſcit, niſi quod revocent in memoriam noſtram eos quos repræſentant, & ad eos colendos nos adducunt: (*) „ Porta porro „ (inquit) imago dicitur, quæ mentem noſtram ſecun„ dùm imaginem Dei creatam, ad interiorem proto„ typi ſimilitudinem aperit. Ut enim quædam januæ „ claves & ſigilla præferentes, per ſigillorum ſe„ curitatem exterioribus interiora ſignificant: ſic „ imago lineamenta quaſi ſigilla, & ſpeciem externam quaſi

(*i*) *Honorat per iſta benemeritum, & maxime Deum.*

(*) Analecta Græca Patrum Maurino. tom. 1. pag. 446.

---

(37) „ (*) Nos itaque, reverendiſſima, ut de aliis in „ præſens dicere omittam, imaginem Domini noſtri „ Jeſu Chriſti ſic adoramus, ut ipſum Dominum no„ ſtrum Jeſum Chriſtum. Hoc autem *ſicut*, ſimilitu„ dinis eſt, non confirmationis: alioquin non imago „ Chriſti, ſed Chriſtus ipſe eſſet. At vero imago „ Chriſti eſt: & ille in ſua imagine adoratus eſt, & „ tanquam alterum in altero: eſt oſtenſus. Ait enim „ Chryſoſtomus: Vidi Angelum in imagine: & Gre„ gorius Theologus rurſum: Hanc autem intente „ proſpiciebat Polemon in imagine. Igitur & Chri„ ſtus in ea imagine cernitur & adoratur: verum „ etſi per ſimilitudinem; non tamen ideo, quia ipſe „ adoratur, & ipſe latria colitur, imago latria colen„ da eſt: ſiquidem nullum foret diſcrimen imaginis „ & prototypi. „ Alibi etiam eadem loquendi ra„ tione utitur, veluti epiſtola 167. libri II. (*) cu„ jus nuper verba allegavimus; rurſus in epiſtola „ 65. ejuſdem libri II. (*) in antirrhetico III. (*) & „ alibi etiam.

(*) epiſtola 217. libri 2. pag. 589.

(*) pag. 521.

(*) pag. 389. *& in imagine adoratur Chriſtus.*

(*) n. 6. & 7. pag. 331.

„ quaſi claves exhibens, rebus ex materia compoſiti „ illas indicant, quæ ſola mente intelliguntur. Nec „ enim materiam colimus, cum eam adoramus. Ab- „ ſit: verùm per res, quæ ſenſus movent, ipſas cauſas „ mente attingimus: quo etiam modo nos gerimus „ circa Crucem, Sacroſanctum, Sanctorumque reli- „ quias, & quicquid in Eccleſia adoratur. „

XXXV. Sed non minus id, quod agimus, meo quidem judicio, perficiunt paritates quædam, ſeu, ſi appellare ita vis, ſimilitudines, quibus vetuſti Theologi, atque in primis Nicæni Patres utuntur, ut clarius explicent, quodnam honoris, ac venerationis genus ſacris imaginibus adhiberent. Purpuram, & veſtem Regiam memorant; cui ſane qui honorem deferunt, relativum tantummodo deferunt. (k) Tunicam quoque Joſephi a Jacobo oſculis affectam (*l*). Imaginum Imperialium a populis honoratarum paritate utuntur Hadrianus Pontifex (*m*), Athanaſius, Baſilius, & Chryſoſtomus (ſi Chryſoſtomum eſſe vis allegati a Nicænis Patribus ſermonis auctorem (*n*)). Jacobi adorantis in ſummitate virgæ Joſephum Hadrianus Pontifex (*o*), Germanus Patriarcha (*p*), & Leontius (*q*). Librorum ſcripturæ Hadrianus (*r*), Leontius [*ſ*], & Nicæni Patres in *definitione* (*t*): in quo etiam loco adorationem imaginibus ſacris adhibitam comparant cum veneratione adhibita figuræ Crucis, ſacris Evangeliis, & reliquis ſacris monumentis: quibus procul dubio, cum *mere relativus* adhibeatur cultus, mere etiam relativum cultum Sacris imaginibus deferendum eſſe ſignificant.

XXXVI. Atque ad hæc quidem, & ſimillima alia veterum Patrum dicta animadvertens Petavius hæc protulit: (*) „ His omnibus, aliiſque ſtudio brevitatis omiſſis teſtimoniis adducor, mini„ me ut probandam exiſtimem Catholicorum illo„ rum ſententiam, qui Sanctis Imaginibus cultum ne„ ſcio quem adſpergunt a σχετιχῷ diverſum, & eum„ dem abſolutum, qui ad Imaginem dirigatur ipſam „ per ſe ſe, & in ea terminetur. Etenim mirificus „ in eo Synodorum œcumenicarum, ac Patrum con„ ſenſus habetur ex illis, quæ in medium attulimus, „ unius modi eſſe Chriſti, verbi gratia, in Imagine „ cul-

(k) Recole dicta §. 12.
(*l*) Leontius actio. 3. pag. 887.
(*m*) Actio. 2. pag. 758.
(*n*) Act. 4. pag. 910. & 911.
(*o*) in Epiſt. ad Conſtan. act. 2. pag. 754.
(*p*) Act. 4. pag. 055.
(*q*) Act. 4. pag. 887. Adde quæſt. *ad Antioch.* cap. 38.
(*r*) in Epiſto. Conſtan. Au. act. 2. pag. 751.
(*ſ*) Act. 4. *Sicut adoras librum legis.* pag. 886.
(*t*) in fine actionis 7. pag. 1027. Adde quæ tradit Theodo. Studi. epiſt. 171. libri 2. [pag. 525.] *Quoniā ejuſdem honoris, atque adorationis utrumque.*
(*) capite 17. libri XV. *de incarn.* §. 12.

,, cultum, & adorationem, quæ in ſolidum tendit ad
,, prototypum, & cum eo comparata, abſoluta eſt at-
,, que perfecta; neutiquam ad Imaginem adhæreſcens;
,, hæc vera eſt latria, *& adoratio in ſpiritu, & veri-*
,, *tate*: quam ſolus obtinet Deus, ſin ad Imaginem ſo-
,, lam κατ' ἐπίνοιαν & cogitatione referatur, non niſi
,, σχετικὴν eſſe, & eamdem inchoatam, & imperfe-
,, ctam. Ecquis porro veterum Græcorum pariter, ac
,, Latinorum, qui contra Iconomachos cultum propu-
,, gnavit Imaginum, eas unquam putavit adorandas eſ-
,, ſe per ſe, venerationeque dignas? Immo quis non
,, contrarium expreſſis verbis docuit, inculcavitque
,, ſæpius? Quis non calumniari, decipive illos aſſe-
,, ruit, quod aliam præter σχετικὴν adorationem, &
,, in prototypum abſolutè deſinentem Catholicis affin-
,, gerent? Quare contra mentem, auctoritatemque
,, Veterum ſentiunt omnino, qui per ſe proprieque
,, ſolas adorandas Imagines exiſtimant.,,

XXXVII. Vetuſtæ itaque traditioni Græci inhæſere, dum *Confeſſioni* ab illis editæ hæc inſeruerunt (*u*).,, Quid
,, ſtatuendum *de Imaginibus*, quas adorat ac colit or-
,, thodoxa Eccleſia? *Reſponſio*. Ingens inter *Imagines*, &
,, *Simulacra* diſcrimen eſt. Nam *Idola*, ſeu *Simulacra*,
,, ſunt figmenta, & mera inventa hominum. Quem-
,, admodum teſtificatur Apoſtolus. (*x*) *Novimus nul-*
,, *lum in mundo idolum eſſe*. Verum *imago* eſt repræ-
,, ſentamen exhibens rem veram, reapſe in mundo ex-
,, iſtentem: veluti imago Servatoris noſtri Chriſti:
,, & ſanctæ Virginis Mariæ: & omnium Sanctorum...
,, Quando autem nos imagines veneramur, & adoramus,
,, non adoramus illitos tabulis colores, aut ligna ipſa; ſed
,, Sanctos, ſuis imaginibus repræſentatos, eo adorationis
,, genere, quod *Duliam* adpellitant, colimus: ſic eo-
,, rum videlicet præſentiam animo uſurpantes, quaſi
,, ipſoſmet oculis noſtris contueremur; verbi cauſſa
,, dum *Crucifixum* adoramus; tum in conſpectu ani-
,, mi noſtri, Chriſtum ipſummet, in cruce, ſalutis no-
,, ſtræ cauſſa, pendentem ponimus, illique cum reli-
,, gioſa gratiarum actione, capita ac genua ſubmitti-
,, mus. Pariter quum imaginem Virginis Mariæ ve-
,, neramur; tum animo noſtro ad Sanctiſſimam Deipa-
,, ram adſcendimus, illi caput inclinamus, illi genua

(*u*) par. 3. quæſt. 55. pag. 326. *Confeſſionis Eccleſiæ Orientalis* editæ Lipſiæ a Laurentio Normanno an. 1695.

(*x*) 1. Cor. VIII. 4.

„ flectimus, illamque cum Archangelo Gabriele, viro„ rum omnium fœminarumque beatiſſimam prædica„ mus. Patet igitur, adorationem ſacrarum Imagi„ num, in orthodoxa Eccleſia receptam, nihil huic „ præcepto derogare; quippe quæ non una eademque „ illa eſt, quam Deo tribuimus; tum neque arti picto„ riæ ab orthodoxis tribuitur, ſed perſonis Sancto„ rum illorum, quos imagines referunt.

XXXVIII. Eidem explicationi favere Armenos, aſſequimur ex doctiſſimo Le-brun. (y)

XXXIX. Poſtremo loco eſt commemoranda auctoritas Pontificalis Romani, ideoque Romanæ Eccleſiæ, quæ eo utitur. Scilicet in *Imaginum benedictione* preces has dici præcipit. „ Omnipotens ſempiterne „ Deus, qui Sanctorum tuorum Imagines, ſeu Effi„ gies ſculpi, aut pingi non reprobas: ut quoties il„ las oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, „ & ſanctitatem ad imitandum memoriæ oculis me„ ditemur: hanc, quæſumus, Imaginem, *ſeu* ſculptu„ ram in honorem, ac memoriam Beati N. Apoſto„ li tui, *vel* Martyris, *vel* Confeſſoris, *aut* Pontificis, „ *aut* Virginis adaptatam bene ✠ dicere, ac ſan„ cti ✠ ficare digneris: & præſta, ut quicumque *co„ ram illa* ipſum glorioſiſſimum Apoſtolum tuum, *vel* „ Martyrem, *vel* Confeſſorem, *vel* Virginem ſupplici„ ter honorare ſtuduerit, illius precibus, ac obtentu „ a te gratiam in præſenti, & æternam gloriam ob„ tineat in futuro: Per Dominum noſtrum &c.

(y) tom. 3. Liturg. diſſer. X. ar. 3. ſub finem dialogi inter Armenum, & Proteſtantem pag. 21. editio: Veron.

CAP.

C A P. X L I.

Afferuntur in eandem ſententiam egregii Scholaſtici.

I. **A**N etiam tot egregiis monumentis Scholaſticorum ſuffragium adjungi efflagitas? Obſequor ſtatim. Tu recole eà, quæ ex D. Thoma, ea quoque quæ paulo ante ex Catherino, (*a*) alibi vero ex Delphino (*b*) allegavimus (*c*), & palam conſpicies, præclaros hos viros relativo imaginum cultui favere. Numero porro & præſtantia ſcriptorũ ſummam laudem ſibi promeruit Echius. At quid apertius ad excludendum quemlibet imaginibus ipſis delatum cultum verbis, quæ profert ille? (*d*) *Unica, & facilis intentio rectificans uſum imaginum, quo laici citra periculum uti poſſint, eſt juxta Magni Baſilii dictum, ut cultum, venerationem, & obſequium non referant in ipſam imaginem: ſed in archetypum, in imaginatum.*

II. Secutus plane videtur Echium Michael Epiſcopus Merſpurgenſis, (*e*) dum hæc ſcriptis prodidit. „ Atque hunc ſolum in uſum, ejuſmodi videli-
„ cet admonitionis cauſa, aſſervandæ imagines ſunt:
„ neutiquam autem propter ſeipſas coli vel adorari
„ debent: nec ſanctiores putandæ ſunt in ſeipſis, nec
„ aliter uſurpandæ, quàm literæ in codicibus. Sed
„ inquies: Palàm conſpicimus, homines nonnunquam ca-
„ pita nudare, & genua flectere coram ſimulacris: hoc-
„ cine juſtum videtur? Reſpondeo. Recte id fieri equi-
„ dem pronuncio, ſi ſincero, puro, & recto fiat ani-
„ mo. Si codicem perluſtrans, legam hæc verba:
„ Jeſus Chriſtus ſalutis noſtræ aſſertor crucifixus eſt
„ pro peccatis noſtris: nemo mihi vitio vertit, ſi
„ aperto capite & flexo poplite, Deo gratias agam
„ pro mei liberatione & redemptione. Siquidem li-
„ teris ipſis hoc honoris non exhibeo, quæ admonent
„ me hujus beneficii: ſed illi mea curuo genua, quem
„ illæ mihi in memoriam reducunt: is enim ſanctus
„ eſt, & hoc honore digniſſimus: porrò literæ nihil
„ quicquam ſanctitatis habent, nec hujuſmodi hono-
„ rem

(*a*) cap. 40. §. 1.
(*b*) cap. 39. §. 5. & ſeq.
(*c*) differ. 8. cap. 35. §. 18.
(*d*) ſecunda parte Operum Echii *contra Ludderum* edit. Auguſtæ Vindelico. an. 1531. cap. XVI.
(*e*) *in Catbechiſmo Catbolico* latinitate donato, a Tilmano Bredembachio concio. 34. ad verba illa, *Non facies tibi ſculptile*; pag. 135.

„ rem promerentur. Quando itaque oculos ad pi-
„ ctam, ſculptamve imaginem, aut crucem attollo, jam
„ in mentem mihi venit illius ipſius, nempe Jeſum
„ Chriſtum Servatorem meum pro peccatis meis mor-
„ tem oppetiiſſe. Quis igitur mihi vitio vertat, ſi
„ caput aperiam, in genua procumbam, ut hoc ipſo
„ Deo gratum me declarem? Non enim imagini pro-
„ pter ipſam hoc honoris exhibeo, ſed illum potiùs
„ veneror in imagine, quem ea deſignat: ille enim
„ ſanctus eſt: atqui imago per ſe nihil habet ſancti-
„ moniæ, præter ſanctum & pium uſum, ſive ipſa ſit
„ lignea, ſive ſaxea, aut quibuſcunque coloribus ex-
„ preſſa: quemadmodum & codex non eſt niſi charta
„ & atramentum. „

III. Non diſſimilia tradit Pighius, utiturque ad mentem ſuam exprimendam, illuſtrandamque Baſilii, & Gregorii Magni ſententiis. En quemadmodum loquitur ille. „ (f) „ Proinde quem imaginibus ſacris
„ impendimus honorem, non ipſis impendimus pictu-
„ ris aut ſtatuis: ſed illis, quos nobis referunt: &
„ ut D. Baſilii verbis dicam, refertur is ad prototy-
„ pum. Illum, inquit Sanctus Gregorius, in toto cor-
„ de diligis, cujus imaginem præ oculis habere deſi-
„ deras. Neque enim ante imaginem quaſi ante di-
„ vinitatem proſternimur: ſed illum adoramus, quem
„ per imaginem aut natum, aut paſſum, aut in cœle-
„ ſtis gloriæ throno reſidentem recordamur. „

(f) lib. 1. *Hierarch. Eccleſ.* fol. 52.

IV. Pighiũ ſubſequatur editorũ librorũ fama laudatiſſimus Sonnius. Hic porro (g) ſic loquitur. „ Atque ic-
„ circo honor ille, quem Imaginibus impendimus, non
„ Imaginibus in ſe conſideratis ſecundum materiam,
„ aut etiam artificii formam: ſed prototypo ipſi, cu-
„ jus memoriæ Imago conſtituitur, impendatur. Ac
„ proinde nos Chriſtianos, quando coram Imagine
„ Sanctæ Crucis Jeſu-Chriſti genua curvamus, non li-
„ gnum ipſum, ſed eum, qui in ligno propter pecca-
„ ta noſtra mortuus eſt, adorare. Similiter quando
„ Imagini Matris Dei, aut aliorum Sanctorum exhi-
„ bemus honorem, non alligari animum noſtrum, aut
„ hærere in externa figura Imaginis: ſed reſpicere in
„ vivos illos Sanctos, qui apud Deum ſunt.

(g) in eo tractatu, quem *de cultu unius Dei, & Sanctorum veneratione* inſcripſit capite 17. cui præfigitur titulus: *De uſu legitimo Imaginum*.

V. Incidi nuper in libellum, qui ad hunc modum in-

inſcribitur: *Chriſtianum de fide, & Sacramentis editum*, quod quidem compoſitum a Philippo Archinto Pauli III. in Alma Urbe Vicario, eique anno 1545. dicatum, Ingolſtadii anno ſubſequenti Joannis Cochlei operâ recuſum eſt. In eo hæc ad rem noſtram inveni (*h*). *Quis enim adeo eſt hac tempeſtate vecors atque delirus, qui ſimulacra ipſa adoret, licet coram procumbat? & non potius illud ipſum, cujus ea imago ſit? Quo fit, ut ſæpe de Servatoris paſſione non cogitantes, conſpecta Crucifixi imagine, ejus memoriam repetamus, genuque flexo, non materiam ipſam, ſed Deum ipſum, qui depictus eſt, adoremus. Ut enim non materiam veneramur ſcripturæ Evangelii, ſed ipſum Evangelium: ita neque materiam Crucis adoramus, ſed quod ex ipſa deſignatur.... Quamobrem per Sacroſanta Patrum Concilia mos hic adorandi per imagines, recte, & cum ratione eſt comprobatus.* (*i*)

(*h*) parte 2. *de Sacramentis* cap. 12. pag. 32.

(*i*) Notatur autem in margine *ſeptima Synodus*.

VI. An vero omittam Panigarolam, diſertum ſane, nec contemnendum Theologum? Is apertiſſime cultum prorſus amovet ab imaginibus, quas tantum eſſe ait medium, per quod earum protopypa venerationem a nobis habeant. Conſulat, obſecro, Lector lectionem XIV. inter *Calvinicas*, & palam videbit me vera proponere. (38) Pluribus profecto doctrinam hanc explicat, e quibus pauca ego excerpſi, quæ in paginæ calcem rejicio.

VII. Ad hoc caput, ſi tu vis, pertinebunt ea teſtimonia, quibus edocemur, cultum Sacris Imaginibus adhibitum, qui in ſpeciem videtur unus ſemper atque idem, pro diverſitate tamen imaginum diverſum eſſe; nam Imaginibus Chriſti delatus latria eſt, Imaginibus Sanctorum delatus, multo inferior eſt cultus,

---

[38] (*) ,, Quando io adoro per eſempio una immagine del ,, Crocifiſſo; qua non ſono due adorazioni, con una ,, delle quali io adori la immagine, e con l' altra l' ,, immaginato; ma che con una ſola adorazione, per ,, mezzo di quel legno, che è l' immagine; vado ad adorar quel Criſto, che è l' immaginato. Avvertite ,, di grazia, che la coſa importa: Altro è il fare ,, queſto, e queſto: altro il fare queſto per mezzo ,, di queſto. ,,

(*) pag. 170. editio. Mediolan. 1582.

tus, quod quidem diſcrimen interdum manifeſtis argumentis indicamus: ſcientes enim, *Imagines introductas eſſe ad ſupplendam prototypi abſentiam*, Imagineſque perinde alloquuti, ac prototypa ipſa, ſi præſentia forent, alloqueremur, ita ad Chriſti Imaginem ſupplicamus, ut latriam noſtra prece adhibitam, ita vero Sanctos, ut duliæ cultum tantummodo iis delatum a nobis, manifeſtemus. Tradit id apertiſſime Savonarola, (k) Catherinus (l), & præſtantiſſimus Cardinalis Oſius, quippe qui docet, *pro ratione excellentiæ & Sanctitatis exemplarium* imagines coli. Audite illum diſerte, ut ſolet, diſputantem. (m) „ Quapropter & divinus ac „ ſanctus ille beatorum atque ſacrorum cœtus, non „ ſolùm imaginem Chriſti, quemadmodum diximus, „ verùm etiam immaculatiſſimæ, ſemperque Virginis „ Mariæ & Dominæ noſtræ Dei genitricis, & ſacras „ Sanctorum omnium imagines pro ratione excellentiæ „ & ſanctitatis exemplarium colendas, & adorandas „ communium oraculorum decretis conſtituit & confir„ mavit. Per ipſas enim ad præſentiam quodam„ modo atque congreſſum, animi ducimus intentio„ nem „

VIII. Hanc vero doctrinam, cui Thomiſtæ omnes, etiam de Caſtro, (n) & Gretſerus (o) adhærent, hauſerunt noſtri Theologi non modo ex Gregorio II. aliiſque Patribus, quorum verba alibi attuli (p), verum etiam ex Petro Cluniacenſi, & Innocentio III. quorum verba deinceps adducam: (*) ad quæ, ut puto, animadvertentes recentiores Theologi docuerunt, latriam imagini Chriſti deferri, ſed *improprie, & relative*. Sic certe loquitur Eminentiſſimus Gotti, quippe qui hæc ait (q): *Minime vereor dicere, Imagini Chriſti adhiberi cultum latriæ non verum, & abſolutum, ſed improprium, & relativum.* (*) Porro præter D. Thomam, alioſque jam allegatos, in eadem perſuaſione eſt D. quoque Bonaventura, cujus quidem rei rationem hanc proponit. (*) *Quoniam ergo Imago Chriſti introducta eſt ad repræſentandum eum, qui pro nobis crucifixus eſt, nec offert ſe nobis pro ſe, ſed pro illo, ideo omnis reverentia, quæ ei offertur, exhibetur Chriſto, & propterea Imagini Chriſti dicitur cultus latriæ exhiberi. Et hoc eſt, quod dicit Auguſtinus in libris de Doctrina Chriſtiana: Qui* ve-

(k) illius verba deinceps allegabuntur.

[l] Conſule tradita cap. 38. §. 6. &c.

(m) *de legitim. judicibus* rer. Eccleſ. li. 2. pag. 236. Editionis Venetæ Dominici Nicolini ann: 1573.

(n) adverſ. hæreſ. ad verb. *adoratio.* hære. 1.

(o) to. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 57.

(p) cap. 40. §. 27. & ſequen.

(*) quum *de cultu Cruci* adhibendo diſſeram.

[q] articulo xvi. §. vi. n. 34. libri illius, quem ad hunc modum inſcribit: *Vera Chieſa di Criſto dimoſtrata &c.*

(*) Non ho veruno ſcrupulo in dire, che l' Immagine di Criſto ſi adori con culto di latria, non vero, e aſſoluto, ma improprio, e relativo.

(*) in 3. diſtin. xx. quæſ. 2. *in corpo.*

veneratur tale ſignum divinitus inſtitutum, & ejus vim, & ſignificationem intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & tranſit, ſed illud potius, ad quod talia cuncta ſunt referenda. Concedendæ ergo ſunt rationes, quæ hoc (ideſt latriam exhibendam eſſe Imagini Chriſti) *oſtendunt*.

IX. Sed non hi tantum relativo imaginum cultui favent, verum & alii, qui expreſſius abſolutum quemlibet cultum videntur imaginibus demere. Profecto Gulielmus ille Durans, qui *Rationale Divinorum Officiorum* edidit (*r*), ad hunc modum loquitur. ,,Nos ,, Imagines non adoramus, nec Deos appellamus, nec ,, ſpem ſalutis in eis ponimus: quia hoc eſſet idolola- ,, tria; ſed ad memoriam, ac recordationem rerum ,, olim geſtarum eas veneramur. Unde verſus:

Effigiem Chriſti, qui tranſis, pronus honora,
Non tamen effigiem, ſed quod deſignat, adora.

- - - - - - - - - - - - - -

Nec Deus eſt, nec homo, præſens (*ſ*), quā cerno, figura,
Sed Deus eſt, & homo, quam ſacra figurat Imago.,,

(*r*) capite tertio libri primi.

[*ſ*] legunt alii *quam cernis, Imago*.

X. Plurimam profecto laudem, famamque obtinuit Auguſtinus Triumphus, ob eum, quem de *poteſtate Eccleſiaſtica* ſcripſit librum. In hoc porro (*t*) adeo negat, Imagines ipſas a nobis coli, ut tantum velit eſſe excitamentum, occaſionem, & cauſam, cur ii colantur, quorum Imagines intuemur: *Imaginum adoratio* (inquit ille) *prohibetur in primo præcepto, ut res quædam creata eſt, non ut ſunt ſigna rerum adorabilium. Non enim adorantur Imagines, ut terminus ad quem, ſed ut terminus a quo*: (ideſt niſi me fallit animus) non adorantur ipſæ, ſed occaſiones ſunt, & excitamentum, per quod, & a quo fit, ut colantur earum exemplaria.

(*t*) quæſ. 48. ar. 4. ad 1.

XI. Iis fere temporibus vixit Durandus *a Sancto Porciano* Meldenſis Epiſcopus. (*u*) Hic porro ſcriptis hæc prodidit. *Pro tanto dicitur Imago ſub ratione Imaginis adorari eadem adoratione cum re, cujus eſt Imago, quia ad præſentiam Imaginis, ſeu ſigni, fit rememoratio rei, quam rememoratam adoramus eadem adoratione, ac præſens eſſet in ſe; & pro tanto concedi poteſt, quod ſigna, & Imagines adorantur eadem adoratione cum rebus ſignatis, & imaginatis, quia res, ut cognitæ per ſigna, & Imagines*

(*u*) in Commentariis in 3. diſ. 9. quæſ. 2. num. 10.

nes ſimili modo adorantur, ac ſi eſſent præſentes ſecundum ſe.

XII. Nec minus clare Holkoth (x) hæc elocutus: (*) „ Hoc (ideſt ea quæ tradidit D. Thomas de Imaginum adoratione) intelligo ſic, quod „ propter Imaginis repræſentationem, licet mihi coram Imagine Sanctum illum, cujus eſt Imago, adorare. Et eodem modo intelligo Sanctum Thomam, „ & Magnum Baſilium, & totum Eccleſiæ Ritum. „ Hæc Holkothi verba allegat, nec improbat Biel (*).

(x) in caput XIII. libri Sapientiæ lectione 158.

(*) pag. 524.

[*] lect. 49. in Cano. Miſſæ.

XIII. Quanti æſtimetur ab omnibus Joannes Gerſon, norunt qui literis dedere operam. At hic etiam Imagines propterea tantum coli vult, quia ſigna ſunt, adeo ut in iis colatur prototypum, & exemplar, non colantur ipſæ. Id ſane, ut communis fert opinio, ſignificant verba illa tractatus octavi ſuper *Magnificat*. (y) *Nihil habet lignum Crucis Divinitatis, etiam in qua pependit Dominus; ſed in Cruce tanquam in ſigno ſurgit fides noſtra ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Deum verum, qui ſalutem noſtram operatus eſt in ea. Sic de Imaginum veneratione vetus habet Doctorum determinatio. Sic per figuram, ſignum accipitur pro ſignato, ut nomen pro nominato, Imago pro Imaginato.*

(y) in ipſo fere initio ſecundæ partis tractatus octavi in *Magnificat*. pag. 361. tom. 4. editio: Dupin.

XIV. Sed nihil in eo genere præclarius, nihil apertius iis verbis, quæ occurrunt in libro, quem Hieronymus Savonarola inſcripſit *de veritate fidei*. (z) Quippe hæc ait: „ Poſſet indecens „ videri, Crucem, & Imagines Chriſti, Sanctorumque ejus a nobis adorari, propterea quod cultus hic rebus inſenſibilibus exhibetur; ſed hanc objectionem facile ſolvimus. Poteſt enim duplici ratione ipſa imago conſiderari. Una quidem, prout „ quædam res eſt, veluti aurum, argentum, ſeu lignum, vel aliquid ſimile; quo modo neque Crucem, neque Sanctorum Imagines adoramus. Alterâ vero, prout Imago eſt aliquid repræſentans. Et „ quia idem eſt motus in Imaginem, in quantum „ Imago eſt, & in rem ex Imagine ſignificatam, non „ eſt inconveniens, ſi hoc modo Imagines adoramus. „ Ita enim non res inſenſibiles, ſed Imagines colimus, „ Reliquiaſque Sanctorum, quatenus in memoriam „ illi

(z) aliter *Triumphus Crucis* cap. 18. libri 3.

„ illi nobis per ejuſmodi ſigna, ac Reliquias referuntur. Quod rectius dici poteſt, Sanctos a nobis in ſuis rebus, & Imaginibus adorari. Quemadmodum Cæſaris Imaginem, non eo quod talis res ſit, ſed quia illius Imago eſt, ſervi ejus honorant, quod quidem nihil eſt aliud, quàm ipſum Cæſarem venerari. Unde quemadmodum Sanctos, ita etiam ipſorum Imagines adoramus: Crucem videlicet, Crucifixumque adoratione Latriæ, at Virginis Mariæ Matris Dei Imaginem adoratione hyperduliæ, aliorum vero Simulacra Sanctorum adoratione duliæ. Hujuſmodi enim effigies ad recolendam Sanctorum memoriam, ad excitandos eorum exemplo ad virtutem, ſanctitatemque animos, erigendoſque ad illorum ſuffragia pro nobis ad Dominum imploranda adinventæ ſunt.

XV. Favet etiam Turrianus: (*a*) Favet item Petrus Caniſius (*): Favent pariter Caſſander, (*b*) aliique inter minus antiquos.

XVI. Sed cur Theologos referre pergo, cum extra dubium poſitum ſit, in hanc omnes fere veniſſe ſententiam, ut omnino non colantur Imagines ipſæ, ſed relativus ſit tantummodo cultus, qui Imaginibus adhibetur, ideoque earum prototypis, non ipſis delatus? Eam tuentur ii omnes, quos ſequitur Vir præclariſſimus, & ſi quis alius, in Patrum, Conciliorumque lectione exercitatus Gabriel Vaſquez, (*c*) Thomaſſinus quoque (*d*), Boſſuet, (*e*) Jueninus, & reliqui recentiores, quos ego noverim.

(*a*) lib. 3. dogma Chara. pag. 168.

(*) *de Corruptelis Verbi Dei*: to. 2. li. 5. cap. 16. col. 979. editio. Pariſ. 1584.

(*b*) *in Conſultatione* articu. 21.

(*c*) capite tertio diſputationis 108. in tertiam partem D. Thomæ.

(*d*) cap. 17. libri XV. *de Incarnatione*. §. 12.

(*e*) in cate. par. 1. lect. 7. pag. 19. editio. Patav. Semi. *De Cruce &c.*

C A P. XLII.

Aggredimur argumenta Capite XXXIX. *allata, quibus quidem, uti diximus, ea ſententia innititur, quæ aliquo abſoluto cultu ſacras imagines proſequitur.*

I. JUvat modo experiri, utrum argumenta, quibus ea ſententia fundatur, quæ aliquo abſoluto cultu ſacras imagines afficit, diſſolvere valeamus. Sic primo occurre. Imago, quantum ex Damaſceno (*a*) aſſequimur, *eſt ſimilitudo ita exemplar exprimens, ut aliqua ratione ab ea differat*. Porro hæc, ſi generatim loqui volumus, digna honore non eſt. Etenim quis florem honoret, quod alterius floris ſimillimus ſit? Idē dic de lapide, & ceteris hujus generis. Non ergo ſimilitudo in ſe, &, ut dici mos eſt, præciſe inſpecta, aut digna honore eſt, aut dignum id facit, cui illa ineſt. Requiritur itaque primo, ut ſimilitudo inter naturas rationis compotes interſit; nam ſi inſit naturis rationis expertibus, eas minime omnium honorabo; neque enim ſimium honorabo, quod inter brutas animantes, corpus humano ſimile habeat. At non quævis ſimilitudo, quam in naturis ratione præditis comperio, eas honore dignas efficit. Quis enim improbum hominem honoret, propterea quia ſceleſta illius opera adeo ſimilem Dæmoni efficerint, *ut filius Diaboli* in ſacris Scripturis ſit appellatus? (*b*) At non continuo prædicata ipſa minime improba, quæ ſimiles duas naturas rationis compotes faciunt, honorabiles quoque faciunt. Quis enim duos homines honoret, propterea quia ambo albi ſunt valde, aut rubri, ideoque ſimillimi? Ea itaque ſimilitudo tantummodo honorabilem aliquem efficit, quæ ſit convenientia duarum naturarum ratione præditarum in prædicatis veram aliquam excellentiam, ac præſtantiam habentibus. Hinc homi-

(*a*) oratio. 1. *pro Sacris imagini.* n. 9. editio. Le-Quien.

(*b*) III. Reg. 21. 13. Joan. 8. 44. Acto. 13. 10. I. Joan. 3. 10. &c.

hominem, & Angelum, atque adeo homines ſanctitate præſtantes honorabo.

II. Atque his quidem conſtitutis, (c) plane conſtat, ſtatuas, atque icones illud præſtantiæ genus minime habere, quod vere honorabiles eas faciat. Ut enim prætercam, tenuiſſimum, ac remotiſſimum eſſe illud ſimilitudinis genus, quod intercedit eas inter, & Sanctos in illis expreſſos; ut id, inquam, prætercam, rationis profecto expertes eæ ſunt; quam ob rem amari illæ poſſunt, ut pote nobis coṁodæ, atque utiles, laudari quoque illæ poſſunt, ſi pulchre elaboratæ illę ſint, (id tamen ſi probe explicaveris, nihil aliud erit, niſi artificem illarum propter induſtriam, & peritiam adhibitam commendari: ipſæ enim icones, ut pote rationis impotes, nec vituperari, nec laudari revera poſſunt) eſſe quoque occaſiones poſſunt, & veluti anſæ, ut earum prototypa colantur, minime vero honorari ipſæ poſſunt: quia ſcilicet deeſt in iis ſumma illa excellentia, quæ honorabiles efficiat. Liceat porro in rem meam traducere, quæ eximius Suarez in eo, quod pertractamus, argumento diſſeruit. Sic ergo ait ille (d): *Reſpondetur negando conſequentiam. Nam illa eadem forma, & figura adorabilis non eſt, niſi propter habitudinem ad excellentiam prototypi: quod illo met exemplo amoris declaratur; nam ſi quis amet imaginem, quia ejus pulchritudine, & coloribus delectatur, ille non amat imaginem propter prototypon, ſed propter ſe, unde cum illo amore imaginis, poſſet ſimul eſſe odium rei repræſentatæ. Hoc autem modo, non poteſt prudenter adorari imago, quia ut ſic non habet excellentiam aliquam honore dignam, licet habeat aliquam amabilem bonitatem. At vero ſi quis amet imaginem, ſolum ut faciat ſibi aliquo modo præſentem rem, quam repræſentat, tunc licet amet ipſam figuram, tota tamen ratio amandi eſt res repræſentata. Sic ergo dicendum de bonore, quia imagines non poſſunt alio modo boneſte adorari.*

III. Tum porro honorabiles imagines in ſe ipſis eſſe facile negabis: non enim honorem, qualemcunque impertieris, obtinent ipſæ per ſe, ſeu propter excellentiam, ac præſtantiam in iis exiſtentem; ſed quia cum, ut ait Ariſtoteles, (e) & ſæpe inculcat S. Thomas, idem ſit motus *in imaginem, & in exemplar*, ſacras imagi-

(c) Recole tradita capi. 40. §. 3.

(d) tom. 1. in ter. par. quæſ. 25. ar. 3. diſp. 54. ſect. 3.

(e) in libro *de memoria, & reminiſcentia.*

gines cum intueor, ſtatim occurrit earũ exemplar, quod in imagine repræſentatum honoro. Eandem ob cauſam a ſordidis locis removeo, & in decentibus colloco: quia ſcilicet id videntur expoſcere prototypa imaginum illarum, quæ communi gentium omnium conſenſione, ſicut honorantur in imaginibus honore affectis, ita contemnuntur in imaginibus indecore habitis, & contemptis. Et hanc ob cauſam jus quoddam aſyli erat olim apud ſtatuas Imperatorum, erga quas ſi quis indecenter ſe gerebat, reus læſæ Majeſtatis efficiebabatur. (f) Honorari ſcilicet meretur Princeps non modo in ſe, verum in iis omnibus, quæ eum veluti præſentem nobis efficiunt, illiuſque memoriam in nobis excitant. Quod ſi meretur id Princeps, non merebuntur id Sancti cœleſti Regno potiti, & ſuper ſoliis judicantium conſidentes?

IV. His ſtabilitis, ſcis cauſam, ob quã Cruces jubeamur a locis ſordidis, atque indecentibus amovere. Nempe honorifica debet eſſe memoria Domini Jeſu, quam illa repræſentat, minime vero per ſe ſacra efficit Crux loca illa; ſed cum merito conſenſerint Chriſtiani omnes, ut decens ſit Chriſti memoria, juſſere Principes, loca, in quibus poſita Crux memoriam Chriſti in nobis excitat, decentia eſſe, & ſordium quarumlibet expertia.

V. Non abs re, de qua agimus, erit, ut puto, ſi Scriptorem cultui ſacrarum imaginum minime faventem, tamen a veritate ipſa, & communi conſenſione compulſum adduxero. Carolinorum librorum auctor is eſt, qui ſic ait: (g) *Sicut enim non convenit luci & tenebris, calido & frigido, ita nimirum non convenit ſanctitati & contaminationi, puritati & impuritati: Unde magna ex parte errare eos conſtat, cum eas* (*) *& ſanctas eſſe aſſerunt, & in locis contaminatis ſtatuendas eſſe decernunt.*

VI. At neque fortaſſe ipſæ per ſe amantur imagines: Etenim, ut ex nuper allegatis Suareſii dictis liquido conſtat, ſæpe fit, ut dũ puto me amare imaginem, ipſam re vera non amem, ſed illius prototypum amem, & propterea imaginem ſervem, & ſæpe contempler. Sed age, amem. Cum amare queam (quod jam dixi) quodcunque mihi commodum eſt, tam etſi inanimatum il-

lud

(f) Seligo ex plurimis exempla aliqua, quibus id conſtet. Svetonius cap. 53. & 58. vitæ Tiberii. Antiochenos quoque reos læſæ majeſtatis ob Theodoſii Magni ſtatuas contemptas teſtatur Chryſoſtomus. Vide quæ tradunt Patres Benedictini in præfatione his Chryſoſtomi homiliis præpoſita to. 2. editio. Montfaucon.

(g) lib. 4. cap. 26.

(*) imagines.

lud ſit, amare potero & enixiſſime amabo, ſi vis, habeboque acceptiſſimam imaginem propter emolumenta, quæ ex ea proveniunt. At non propterea, ſi *proprie*, & *rigoroſe* loquimur, eam, tametſi ſacram colam. Dixi ſi *proprie*, & *rigoroſe* loquimur: neque enim verentur ii ipſi, qui relativum imaginibus cultum tantum modo deferri docent, dicere imagines coli; quamquam ſi poſcas, quemnam illis adhibeant cultum, improprium ſe deferre illis dicunt; nam proprie earum prototypis deferunt. Quid quod, ſi amare poſſumus, & ſæpe amamus imagines, & amor *cultus*, *adorationiſque* vocabulo interdum ſignificatur, coli a nobis, adorarique imagines (acceptis ſcilicet in ſignificatione minus propria his vocabulis) dicere ſi volumus, poſſumus? (*b*)

VII. Quod porro de amore dixi, de æſtimatione tu dicere facile poteris, ea enim ſæpe æſtimantur, & habetur in pretio, quæ vel metallo, vel raro, elegantique opificio precioſa, vel nobis commoda ſunt, tametſi rationis expertia.

VIII. Nolim autem putes, propterea ſacram (ſi rigoroſe loqui volumus) dici poſſe iconem, quòd Sanctum aliquem referat. Si tua quidquam valet opinio, divina erit quæ Chriſtum refert. Recole hic quæ jam attulimus, (*) Epiſcopi Merſpurgenſis verba, & difficultatem hanc ſuſtuliſti.

IX. Jam vero quod ex Damaſceni verbis opponitur, nihil nos movere poteſt: Nam quod is ait: coli a nobis in Cruce figuram, qua Chriſtus deſignatur, ſic accipiendum eſt, uti accipi vult Joannes Gerſon paulo ante allegatus; ita ſcilicet, ut Crux adoretur *tanquam ſignum* ſignificans Chriſtum, qui revera tum adoratur, & ut expreſſius ait Auguſtinus Triumphus, colitur ut *terminus a quo, non ad quem*. (*i*) Atque id ipſum haud obſcure innuit Ruſticus Diaconus eo ipſo, quem objecerunt loco. Nempe Crux ibi deſcribitur tanquam terminus honoris extrinſeci, quem cum Chriſto ipſi deferre non poſſimus, illius ſigno deferimus. (k)

X. Miracula per imagines fieri libens fateor, idque alibi edocui (*l*). At neque per omnes fiunt, & tamen Bellarminus, aliique Viri præclari, qui hæc objiciunt, imagines ipſas omnes aliquo cultu affici ju-

(*b*) Diſs. I. cap. 3. §. 8.

(*) cap. 41. §. 2. *imago per ſe nihil habet ſanctimoniæ, præter ſanctum, & pium uſum*.

(*i*) Recole quæ diſs. IX. cap. 49. diximus. Multa rurſus eo de argumento diſputabuntur in appendice *de Cruce* ſect. 3.

(*k*) Vide tradita §. 9. capitis 38.

(*l*) Differt. IX. cap. 76. §. 14.

jubent: neque ex eo quod ſint inſtrumenta, quibus Deus ad patranda miracula utitur, veneratione dignas evincis. Vide quæ capite XI. diſſertationis VIII. diximus. Audire etiam præſtat quæ Gabriel Biel hoc ſuper argumento jam pridem tradidit: [m] *Si aliquando miracula fiunt hominibus etiam ad eas* (imagines) *confluentibus, adjutoria, aut ſanitates præſtantur, non hæc virtute imaginum, ſed virtute Dei miniſterio bonorum Angelorum ad interceſſiones Sanctorum contingunt.* Reliqua proſequamur.

XI. Sacerdotis benedictione atque unctione ſacratas fuiſſe imagines ais, ideoque ſacras & veneratione dignas. Inuſitatam fuiſſe apud Græcos imaginum benedictionem, conſecrationemque, ex quibuſdam Conciliabuli Conſtantinopoli ab Iconomachis, Copronymo imperante, coacti verbis conſtare arbitror. (n) Inuſitatam quoque fuiſſe apud Gallos per ea tempora, quibus Carolini libri exarati ſunt, plerique cenſent, id edocente eorundem librorum auctore (o). Sed haud multum virium in hujuſce Scriptoris monitis colloco. Apertiſſime ſcilicet Hadrianus Pontifex tradit, Romanam Eccleſiam ſacras imagines benedicere & ſacra unctione veluti conſecrare, conſueviſſe. Fateor itaque, Eccleſiæ morem eſſe, ut ſacras imagines, fidelium venerationi proponendas, benedictione quadam veluti ſanctificet; atque illius verba nos ipſi nuper retulimus. (*) Sed non continuo fateor, eas tantum imagines a nobis coli poſſe; cum nihil vetet, quominus alias benedictione minime donatas honorem, & venerer. Cum has igitur venerabor, cultu dumtaxat relativo venerabor, cum ea careant unctione, quæ viros Clariſſimos movit, ut aliquam ſacri honoris portionem in imaginibus ſiſtere putarent. Quamquam inſpiciamus, obſecro, quid benedictio hæc importet. Obſecratio ſcilicet quædam eſt, in qua a Deo poſcimus, ut utilitati noſtræ, & pietatis incremento inſervire eas imagines faciat. Et ſane Pontificale Romanum, dum benedictionum harum ritum præſcribit, relativum eſſe indicat ritum hunc, non abſolutum. Pontificalis Romani verba jam retulimus, neque hic repetere eſt opus.

XII. Sed oleo ſacro (inquis) illæ aſperguntur. Nulla revera hujus ritus in Pontificali Romano fit mentio. Id

(m) lectione 49. *in Canonem Miſſæ.*

(n) *Neque orationem ſacram ſanctificantem illud, ut ex hoc ad ſanctitatem ex eo quod commune eſt, transferatur: ſed manet commune, & inhonoratum, ſicut patravit hoc pictor.* (Seſs. VI. Conci: II. Nicæ: pag. 1102. & 1103.)

(o) lib. 2. cap. 27. lib. 4. cap. 16. Indicat id quoque, ſed obſcurius capite 29. libri II.

(*) capite 40. §. 39.

Id tamen aliquando fuiſſe factum, Adriani verba declarant: illas quoque cereas imagunculas, quas *Agnos Dei* appellamus, Oleo Sancto aſpergi, ex *Cæremoniali Romanæ Eccleſiæ* diſcimus (*p*). At quot ſacro oleo reſperguntur, quæ colere non conſuevimus, etiam ſi animata illa ſint? Frontem recens baptizati, aut ſacro chriſmate donati, oleo ſancto reſperſam novimus, nec tamen colimus.

(p) lib. 1. cap. 8.

XIII. Venio ad ea, quæ illaudabilia perinde, ac nobis inevitabilia eſſe ais. (*) Primum ſic diluo. Qualis adhibendus ſit ſacris imaginibus cultus, duobus ſuperioribus capitibus ſatis oſtendi: rurſus etiam ea de re, capite ſubſequenti agam. Non eſt itaque neceſſe, ut multis hoc ſuper argumento diſputem. Nolim vero tibi diſpliceat ſimilitudo, ſeu paritas deſumpta ab honore delato libris ſancti alicujus Doctoris. Nonne ea uſi ſunt ſummi illi viri, quorum verba jam allegavi, & hic recolat Lector velim? (*q*) Cur ergo vetas me illa uti?

(*) §. 4.

(q) cap. 40. §. 35. & rurſus capite 41. §. 2.

XIV. Porro tam multa antea tradidi, quæ ea plane explicant, quæ circa honorem pro varia prototyporũ dignitate, ac præſtantia eorum imaginibus deferendum a viris præſtantiſſimis accepimus, ut Lectori moleſtus eſſem, ſi rurſus ea de re diſputarem. Loca itaque in margine indicata adi (*r*), omneſque, ut puto, ſcrupuli Theologo in noſtra ſententia nondum probe confirmato evellentur. Quamquam hæc ipſa (opinione quidem tua, grandis) difficultas ſolvenda fortaſſe eſt tibi quoque. Sic enim imagines minori illo cultu afficis, ut relativum pro merito prototyporum minime deneges. Id ſcilicet Nicæna II. & Tridentina, vetereſque Doctores a nobis expoſcunt. Incides autem ſtatim in latriam relativam, quum Chriſti imaginem honorabis. At hæc tu videris.

[r] cap. 40. §. 27. & ſeq. & rurſus capite 41. §. 6. & ſeq.

XV. Minime vero quæ diximus, impugnantur ab iis Patribus, quos ſtatim adverſus nos objicis. Ut ab Auguſtino exordiar, illius teſtimonium varias ſubiit explicationes. Sunt qui moneant, de numinibus, & eorum ſimulacris operà manuum hominum conſtructis eum loqui. Nec temere id monent. Etenim verba illa: *Prohibetur coli aliqua in figmentis hominum*, videntur referenda eſſe ad numinum ſimulacra, quæ ſane Deum non exprimunt, neque apta ſunt, ut in iis Deus adore-

tur, ſed potius ab illius cultu retrahunt, cum inſtituta ſint ad falſa numina repræſentanda. Alii id referunt ad imagines Dei veri, quas homines finxerint. His ſi eſſentiam divinam exprimere ſtudeas, merito interdictæ ſunt; quod alibi oſtendi (*). Non eos tamen Theologos improbarim, qui monent, ſumi ab Auguſtino vocem cultus *rigoroſe*; id eſt ad ſignificandam latriam abſolutam, ſcilicet ſiſtentem in objecto, cui defertur. Profecto diſputat tum Auguſtinus *de tribus illis primis præceptis, quæ ad Deum pertinent . . . ut in primo præcepto Patrem intelligamus &c.* Et hanc quidem latriam ſoli Deo, ideoque & Chriſto reſervat. Sed quis inter eos, qui pro relativo imaginum cultu ſtant, negare id audet? Minime vero ſancto huic Doctori diſplicuiſſe relativum illum, de quo diſſerimus, cultum, ut cetera omittam, palam oſtendunt ea, quæ deinceps *ex enarratione in pſal.* 98. allegabo. (*)

(*) Diſſerta. IX. cap. 12., & 13.

(*) §. 25.

XVI. Eadem vero reſponſio, quam Auguſtini verbis adhibuimus, Innocentii verbis adhiberi commode poteſt. Sane Innocentius III. cum imagines reliquas *dulia* adorandas eſſe monet, cum ſolus Unigenitus Dei filius ſit adorandus *latria*, de Angelis, & hominibus, qui Dei animatæ imagines ſunt, loquitur, non de inanimis Chriſti imaginibus; (*) & quum de Sacramentis, ideſt Crucibus, loquitur, (*) vocem *dulia* hic ſumit pro ea, quam Patres Nicæni II. vocant *honorariam ſalutationem*; adeo ut Deo, & Chriſto reſervetur *adoratio* in *ſpiritu, & veritate*, extrinſecus autẽ honor imaginibus deferatur. Erat enim vox iſta *dulia* nuper inducta in Scholas, nec per ea tempora conſtantem habebat ſignificationem. Profecto aut latriam relativam tribuit Cruci, dum eam adorari a nobis ait, aut *duliam* etiam illi denegat, cum monet potius *coram ea* adorari a nobis Dominum, quàm eam adorari: nec *duliam* in ea ſignificatione, qua nunc ſumimus (acceptã ſcilicet, prout demiſſionem aliquam animi denotat) tribuere inanimis imaginibus poſſumus: quis enim inanimis, & ſenſus expertibus animũ ſuũ ſubmittet? Verba ipſa Innocentii, tametſi multa, ſi referam, operæ pretium me feciſſe exiſtimabo. Scilicet ex iis conſtabit, quænam ſit tanti Pontificis mens. Ecce itaque illa. „ Porro, fratres, una eſt Dei Patris imago, quam

(*) *ſcilicet Angelis, & hominibus.*

(*) *Sacramentis &c.*

„ una

„ una cum Patre debemus adoratione venerari, ſcilicet
„ unigenitum Jeſum Chriſtum Dei filium, qui eſt ſplen-
„ dor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque o-
„ mnia verbo virtutis ſuæ. Cujus non ſolum deitatem,
„ ſed & humanitatem adorare debemus, ſecundum il-
„ lud: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum*
„ *eſt*. Cæteras autem imagines non latriâ, ſed duliâ
„ poſſumus venerari: non propter imaginem, quæ per ſe
„ nihil poteſt, ſed propter imaginatum, qui per ſe cun-
„ cta poteſt: non ut nos, qui facti ſumus ad imaginem,
„ & ſimilitudinem Dei, memores nos reputemus ſimiles
„ imaginibus, quas ipſi fecimus ad imaginem, & ſimi-
„ litudinem noſtram: ſed ut nos, propter Deum, ſacris
„ imaginibus inclinemus, qui *propter nos exinanivit ſei-*
„ *pſum, formam ſervi accipiens. Omnis enim, qui ſe exal-*
„ *tat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur*. Vi-
„ dentes quippe imagines inclinamus, non ut ſpem ſalu-
„ tis conſtituamus in illis, ſed ad memoriam excitati,
„ devotionem, quam ipſi Deo corde gerimus, opere de-
„ monſtremus. Duliam enim, ut dictum eſt, creaturis
„ ſanctis, & ſacris poſſumus exhibere, ſcilicet Angelis,
„ hominibus, Sacramentis ..... De adoratione Sacra-
„ mentorum dicit Eccleſia. *CRUCEM TUAM ADO-*
„ *RAMUS, DOMINE*. Unde alibi legitur: Chriſtiani
„ ſacras imagines piè venerantur, & adorant. Verius
„ tamen *ADORAMUS DEUM CORAM IMAGINE,*
„ *QUAM IMAGINEM CORAM DEO*. Unde præ-
„ ceptum eſt: *CORAM ALTARI HOC ADORABI-*
„ *TIS*. Non ait, Altare, ſed Coram altari. Et Pro-
„ pheta: *ADORABO AD TEMPLUM SANCTUM*
„ *TUUM IN TIMORE TUO*. „ An aliter loquun-
tur ii, qui relativum cultum propugnant?

XVII. Neque vero reformidare debet Lector obje-
ctam Tharaſii, & reliquorum Patrum, quos recen-
ſuerunt, auctoritatem. Si illorum verba expendas,
plane intelliges, ab iis Iconomachos refutari; quippe
hi videntes, & thure, & oſculis, & reliquis hujus gene-
ris ſane non levibus honorificentiæ argumentis, ſacras
imagines promiſcue & ſine ullo diſcrimine affici, pari-
lem Deo, & imaginibus honorem a Catholicis defer-
ri dixerunt. Impudentes horum querelas repreſſerunt

 alle-

allegati Patres, dum monuerunt, Deo reſervari latriam, cui uni *in ſpiritu, & veritate adoratio* convenit: adhibitum vero imaginibus cultum *honorariam* eſſe *adorationem*: quaſi dicerent: Tametſi extrinſecus honor non levis ſit, honorificentia tamen vera, ea tantummodo eſt, qua imaginum prototypa veneramur. Ipſa objectorum Patrum loca, ſi integra legantur, & ea quæ capite 40. diximus, recolantur, quàm probabilis reſponſio hæc ſit, palam fiet.

XVIII. Nunc ageſis, experiamur, num pluris æſtimanda ſint, quæ ſequuntur. (*) Quàm apte iis ſimilitudinibus, ſeu paritatibus quarum meminere, nos utamur, §. 35. capitis 40. indicavi. (*) Tamen quoniam eas ipſas adverſus nos urgent, eo in argumento nonnihil immoremur. Atque in eo quidem ſi longiorem orationem impendam, id Lectori moleſtum eſſe non debet: duas porro tantummodo ſolutiones referam, quæ mihi viſæ ſunt reliquis veriſimiliores. Itaque nonnulli non ad imagines quaslibet ſacras comparationes eas reſpicere ajunt, ſed tantum ad imagines Dei, & Chriſti. Hinc quamvis imagines quaslibet ſacras complecti videantur verba illa in definitione Concilii Nicæni II. poſita (*f*): *Ita ut iſtis, ſicuti figuræ precioſæ, ac vivificæ Crucis, & Sanctis Evangeliis, & reliquis ſacris monumentis incenſorum, & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quem ad modum & antiquis piæ conſuetudinis erat:* tamen ad imagines Chriſti (aut, ſi vis, perſonæ alicujus ſanctiſſimæ Trinitatis, veluti Spiritus Sancti, quem in columbis per ea etiam tempora fingi mos erat) verba hæc (ſi Theologis hiſce credimus) tantummodo referuntur. Scilicet verba hæc reſpiciunt ad ea, quæ Leontius Epiſcopus Neapoleos Cypri (*t*) protulerat, fuerantque recitata actione quarta ejuſdem Concilii. En illa. *Et ſicut tu adorans, librum legis, non naturam pellium, vel atramenti, quæ in ipſo eſt, adoras, ſed Verba Dei, quæ jacent in illo: ita & ego imaginem Chriſti adorans, non naturam lignorum, & colorum adoro (abſit) ſed inanimatum characterem Chriſti tenens, per eum Chriſtum tenere mihi videor, & adorare.* Nimirum cultum Sacræ Scripturæ adhibitum Leontius cum eo tantum cultu comparat, quem Chriſti imagini

(*) §. 4. & 5.

(*) Adde, ſi vis, tradita §. 2., & 5. capitis 41.

(*f*) actio: 7. pag. 1207.

(*t*) in ſermone quinto *pro Chriſtianorum apologia contra Judæos, ac de imaginibus Sanctorum*: pag. 886.

ni deferimus, minime vero cum cultu, quo reliquas ſacras, ideoque etiam Sanctorum imagines proſequimur.

XIX. Quod ſi hac de re aliqua adhuc dubitatio te angat, conſule Concilium quartum Conſtantinopolitanum, ideoque Concilium illud, quod inter generalia Nicænum II. ſubſequutum eſt. Nempe doctrinam veluti exponens Concilii Nicæni ſecundi hæc ait: (u) *Sacram imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti & omnium liberatoris, & Salvatoris æquo bonore cum libro Sanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequimur omnes, & ita per colorum imaginariam operationem, & ſapientes, & idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu eſt, perfruuntur utilitate: quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & Scriptura, quæ in coloribus eſt, (*) prædicat, & commendat; & dignum eſt, ut ſecundum congruentiam rationis, & antiquiſſimam traditionem propter honorem, quia ad principalia ipſa referuntur, etiam derivative iconæ honorentur, & adorentur, æque ut Sanctorum ſacer Evangeliorum liber, atque typus precioſæ Crucis.* Idem etiam intelligis, ſi interpretationem eam, cujus auctorem Matthæum Raderum S. J. fuiſſe ajunt, (*) ſequaris: tam etſi enim in reliquis paulo remotior ſit a vetuſta interpretatione, quam nuper propoſuimus; quod tamen attinet ad rem præſentem, prorſus concordat. En illam. (*) *Sacram Domini noſtri Jeſu Chriſti effigiem eâdem, qua Sancta Evangelia veneratione colendam ſtatuimus. Ut enim per ſyllabas in Evangelio ſcriptas ſalutem conſequuntur omnes, ita per imagines arte, coloribuſque pictas, & expreſſas, docti juxta, atque indocti ex objecta re utilitatem capiunt. Quæcunque enim in ſyllabis oratio, bæc in coloribus pictura docet, & repræſentat.* Conſtat itaque, Synodum Nicænam II., & Conſtantinopolitanã IV. cum comparant adorationem adhibitam imaginibus cum adoratione adhibita Evangeliis, & Cruci, de imagine tantum Chriſti, non de reliquis aliis loqui, tametſi imaginum omnium viſæ ſint antea meminiſſe. Porro mirum non eſt, ſi eadem Evangelio, Cruci, atque imagini Chriſti veneratio deferatur, quum hæc omnia unius Chriſti imagines quædam ſint: nam Evangelium quidem doctrinam ejus, & verba refert exhibetque, Crux paſſio-

(u) Tomo X. pag. 633. actione X. canone tertio.

(*) alias *pictura*, ſed eodem recidit.

(*) ibidem pag. 682.

(*) pag. 874.

paſſionem exprimit, imago figuram, & lineamenta vultus; ideoque ſunt typi quidam, in quibus unus Chriſtus adoretur.

XX. At comior eſt ſolutio altera, quæ ultro fatetur, ad imagines quaslibet reſpicere definitionem Nicæni II., ideoque ad imagines etiam Deiparæ, & Sanctorum. At non propterea cenſet, ideo monuiſſe Concilium, longe a latria abeſſe honorem eum, qui imaginibus defertur, quòd alius minor in ipſis Chriſti imaginibus honor ſiſtat hæreatque, ad prototypa minime aſcendens: ſed quia extrinſecus tantum honor imaginibus, Evangelio, & Cruci defertur; pars vero melior, præſtantiorque cultus ad prototypa aſcendit.

XXI. En ſolutiones, quas Theologi non contemnendi adhibent objectis Nicæni II. verbis, in quibus tantas vires ad adſtruendum minorem illum, abſolutumque cultum ineſſe arbitratur Eſtius, ut contendat, Sancto Thomæ ea fuiſſe ignota; etenim ſi illa vidiſſet pro abſoluto, non pro relativo tantum cultu ſtetiſſet. Quamquam & hoc ipſum, quod ait, gratis dicit, & remotiſſimum a veriſimilitudine eſt. Quis enim putet, D. Thomam in Veterum Scriptorum lectione valde verſatum, ignoraſſe dogmata Concilii illius, quod neque ex vetuſtiſſimis erat, neque græca tantum lingua habebatur?

XXII. Oſtendam nunc, ad adſtruendum minorem illum, abſolutumque cultum, qui Bellarmino, & Eſtio placuit, id non eſſe opportunum, quod ex verbis, quibus Eccleſia Sacram Crucem alloquitur, deſumitur. Scilicet ex his ipſis ii, qui pro relativo tantummodo cultu ſtant, non levem probationem ad rem ſuam ducunt. Ita nimirum diſputant. Ex multis Eccleſiæ decretis, & Patrum monitis novimus, nullam ſpem in imaginibus, ideoque etiam in Cruce, ponendam eſſe (x). Novimus quoque, nihil ab eis eſſe poſcendum. Non ergo poterat Crux appellari *ſpes*, multoque minus *ſpes unica*, neque ab ea poſci peccatorum venia, aut gratiæ augmentum, cum tamen in iis, quæ objecerunt verbis, utrumque petamus.

Piis adauge gratiam,
Reiſque dele crimina.

(x) *Non quod credatur ineſſe aliqua in iis* (imaginibus) *divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda*. Concil. Trident. *Neque ſpem ſalutis in eis aliquando habuerunt*. Epipha. Diaco. act. 6. Nicæni II. pag. 1062.

ſeu

ſeu ut antiquitus dicebatur:

> Auge piis juſtitiam,
> Reiſque dona veniam.

Supereſt itaque, ut verba hæc dirigantur ad Chriſtum, qui Crucis vocabulo ſignificatur. Relativa igitur invocatio, & cultus adhibebitur Cruci: & cultus ille, atque invocatio latriæ erit, ideoque non ille abſolutus, & minor cultus, quem Cruci deferendum eſſe, ex verbis illis eruebant. Recole hic, quæ ex Catherino alibi attuli. (y)

XXIII. Age vero, & directe, ut Scholaſticorum more loquar, reſpondeamus. Mihi ſane valde placuit explicatio Vaſquezii monentis, duos tropos in eo hymno extare: primum quidem, quem *Metonymiam* appellat idem Vaſquez: cum nempe Chriſtus Crucis vocabulo ſignificatur. Id vero cum laude fieri, & Joannes Damaſcenus (z), quem ſupra allegavimus, & exempla etiam alia declarant (39). Alter tropus (a) in eo hymno exiſtens proſopopeja eſt, ſeu potius apoſtrophe. Ad hanc ſcilicet revocantur verba illa:

> Arbor decora & fulgida,
> Ornata Regis purpura,
> Electa digno ſtipite
> Tam Sancta Membra tangere.
> Beata, cujus brachiis
> Pretium pependit ſæculi,

Sta-

(y) Capite 38. §. 5. & 6.

(z) cap. olim 12. in nova editione XI. libri IV. *de fide Orthodoxa*.

(a) ita appella, ſi vis, figuram Rhetoribus uſitatam.

---

(39) Huc facile præter ea, quæ alibi diximus (a), id pertinet, quod Gregorius Turonicus (b) ex epiſtola *Beata Radegundis* recitat: *Dei, & Sancta Crucis, beata Maria incurrat judicium*. Juramenta quoque per Crucem facta, de quibus tum alii multi, tum apertius, & luculentius diſſerit Gretſerus (c), Chriſtum Crucis ſigno, & vocabulo ſignificatum declarant. Hinc, ut nuper diximus, indubitate ad Chriſtum feruntur ea verba, quæ jam retulimus:

> O Crux ave ſpes unica &c.

Crux quippe, tametſi inſtrumentum fuerit ſalutis noſtræ, inanima tamen res eſt, ideoque remotiſſima a poteſtate augendæ piis juſtitiæ, & veniæ reis impertiendæ.

(a) diſſer. 9. cap. 49.

(b) cap. 42. libri 9. hiſtoriæ Francorum.

(c) tom. 1. cap. 83. libri 1., & cap. 16. libri 2. ex iis, quos *de Sancta Cruce* inſcripſit. pag. 144. & 207. editio: Ratiſbon.

Statera facta corporis,
Tulitque prædam tartari.

Quibus affinia ſunt illa:

Sola digna tu fuiſti
Ferre Mundi victimam; (*)

& id genus alia. At quis ab his ad cultum Cruci i-pſi deferendum ſe induci ſinat?

XXIV. Nos denique ad ſe advocant poſtrema argumenta ex ratione deſumpta. (b) Sic primo occurrimus. Num Deus in qualibet re coli poſſit, Theologi diſputant. Negare id videtur Magnus Gretſerus, cum monet „ effectum (c) non eſſe vicarium ſuæ cau-„ ſæ, neque locum ejus tenere, ſicuti imago tenet lo-„ cum rei ſignificatæ. Quamobrem major quidam ne-„ xus eſt inter hæc, quàm inter cauſam, & effectum. „ His accedit, quòd ſicut in rebus politicis, cives non „ omnia honorant, eo præcisè nomine, quod ſunt Re-„ gis, ſed illa tantùm, quæ interiorem quamdam cum „ eo connexionem habent, vicemque ejus ſubeunt; ex „ quo genere eſt nomen, imago, corona, Legatus Re-„ gis: ita neque in ſpiritualibus omnia ideò honoran-„ da ſunt, quòd aliquo tandem modo ad Deum per-„ tineant: quia non omnia ſubeunt vicem, nec, ut ita „ dicam, perſonam Dei ſuſtinent in ratione imagi-„ nis. „

XXV. Sed age: fac, Deū in quovis effectu, & Creatura præciſe accepta, ut pote illius imagine, tametſi valde remota, coli poſſe. Scilicet, quum in Creatura imaginem, & effectum Dei conſpiciam, in ea illum colere non recuſabo præeunte Auguſtino, qui (d) hæc ait. „ Ideo „ & ad terram quamlibet (*corpus humanum tum in-„ dicat*) cum te inclinas, atque proſternis, non „ quaſi terram intueris, ſed illum Sanctum, cujus pedum „ ſcabellum eſt, quod adoras; propter ipſum enim „ adoras: ideo & hic ſubjecit: *Adorate ſcabellum pe-„ dum ejus, quoniam Sanctus eſt*. Quis Sanctus eſt? in „ cujus honore adoras ſcabellum pedum ejus. Et cum „ adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, „ & ab ſpiritu non vivificeris: Spiritus eſt enim, in-„ quit, qui vivificat. „ At in creatura, quatenus errat, imaginem Dei non cerno, neque cerno effectum pro-

(*) ſeu ut olim legebatur: *Ferre ſæcli pretium.*

(b) §. 6.

(c) *de Cruce* tom. 1. li. 1. cap. 54. pag. 87. editionis Ratiſbon.

(d) numero nono enarrationis in pſalmum 98. ad Verba illa: *adorate ſcabellum pedum ejus.*

provenientem ab eximia illa, & perfectiſſima cauſa, qualem Deum fatearis oportet, in peccato, in quo, ut alibi oſtendi (*), nullas habet agentis partes Deus, ſed tantum permittentis, utentiſque malitia hominum in ſanctiſſimos ab illo inſtitutos fines.

(*) *in tractatu de Deo prædeterminante.*

XXVI. Quod ad ſimilitudinem ex Principis legato deſumptam attinet, tum eam aptam oſtendes, quum in imaginibus præſtantiam aliquam, atque excellentiam ineſſe demonſtrabis, ob quam meum illis animum cogar ſubmittere. Hæc ſi in legato adſit, legatum ipſum honorabo: ſin minus, Principem tantum in eo honorabo, item ut in imaginibus eum tantum colo & honoro, quem illæ referunt.

CAP. XLIII.

Reliqua argumenta capite xxxix. propoſita diſſolvimus, ideoque ea, quæ ex auctoritate adverſus nos urgent.

I. QUid modo de eo objectionum genere, quod ſubſequitur, dicendum eſt? An admittendum id, quod vehementer cupit Eſtius, vetuſtos ſcilicet Patres ac Theologos pro abſoluto imaginum cultu ſtetiſſe? Minime vero; immo ſi quid probabilis in ſuperioribus capitibus dictum eſt, multo aliter ii ſenſerunt, & relativo earundem imaginum cultui mirum in modum faverunt. Ea recolat Lector. Noſtræ porro hic ſunt partes, fundamēta evellere, quibus adverſarii fidunt. Quem habeant ſenſum Auguſtini verba §. 7. objecta, capite x. docuimus. Subſequens vero, ideſt xi. ediſſerit, quo ſpectent Gregorii verba. Ex his pul-

chre intelliges, hos Patres Eccleſiæ decretis, & conſuetudinibus minime obſtitiſſe, tametſi abſoluto imaginum cultui minime faverint. Et ſane Gregorium Magnum abſoluto imaginum cultui fuiſſe adverſatum, ea, ut puto, oſtendunt, quæ eodem capite XI. tradidi, & jam pridem Scholaſtici valde probabiles id docuerunt.

II. Paulo ante dixi, rurſus id ajo, contendoque, Nicænos, atque adeo vetuſtiores Patres ſæpe declaraſſe, ſacras imagines eſſe colendas. Quam ob rem non modo obſtitere Iconomachis iis, qui Sanctorum interceſſiones negabant, verum etiam iis, qui eas admittentes, ſacras eorum imagines colere recuſabant. At hujus conſilii cauſa multo diverſa fuit ab ea, quam defenſores abſoluti cultus adducunt. Ii ſcilicet Iconomachi, qui Sanctorum interceſſionibus admiſſis, eorum Imagines colere renuebant, ideo eas colere renuebant, quia quoddam ſuperſtitionis, atque adeo idololatriæ genus cultum hunc eſſe putabant; præſertim vero ſi eo adhiberetur imaginibus, quo Catholici conſueverant, modo, ideſt thure ante eaſdem imagines accenſo, ſupplicatione coram iis facta, oſculo iis impreſſo, & affinibus aliis eximii honoris perſpicuis argumentis: hinc imagines *idola* ſæpe appellabant. Chriſtianis quoque interdictum eſſe ajebant eaſdem imagines colere, propterea quia interdictum eis erat materiam quamlibet, & materialia colere. Multo vero magis interdictum iis erat, (Iconoclaſtarum quidem ſententiâ) tam effuſo honore, & immoderato eas proſequi. Improba hæc dicta, & maleſanam perſuaſionem repulere Catholici, monentes, longe ab Idololatria, atque adeo a ſuperſtitione eſſe eum cultum, quem antiquo inſtituto iidem Catholici imaginibus deferebant: tum quia Gentium numina minime repræſentabant imagines illę, ſed Chriſtum, Deiparam, & Sanctos: tum etiam quia imaginibus ipſis non deferebatur is cultus, ſed earum prototypis, cultum revera promeritis. Addebant, thus, cereorum accenſionem, oſcula, aliaque id genus, ſi qua erant, honoris argumenta, quæ ex veteri inſtituto imaginibus deferebantur, veræ adorationis argumenta non eſſe, ſed honoris, amoriſque, & hujus quidem diverſi, prout diverſa erant earundem imaginum prototypa,

qui-

quibus ea adhibebantur: Plurimum proinde errare eos, qui divini honoris indicia hæc eſſe putabant, & eam ob rem Eccleſiam reprehendebant. Poſtremam vero accuſationem repellebant monentes, nec materiam, nec materiale quodpiam revera coli a Catholicis, dum imagines honorant: nam imagines ipſas revera non colunt, ſed in imaginibus eos, quos eæ imagines repræſentant. Interdictum vero minime eſſe Chriſtianis, exteriora quædam honoris indicia, veluti thuris, cereorumque accenſionem, aliaque huic honori affinia imaginibus adhibere: nam ipſius Domini juſſu, Cherubinis arcam velantibus thus accendebatur: neque ullam afferri poſſe legem, qua prohiberentur Catholici hujus modi honorem deferre rebus corporeis, Angelos, & Sanctos, atque adeo Chriſtum, & Spiritum Sanctum repræſentantibus, ad quos quidem aſcenderet honor, qui in ſpeciem videri poterat corporeæ rei delatus. Hæ in ſumma & Iconoclaſtarum accuſationes, & Catholicorum reſponſiones, ac defenſiones erant; qua de re ſi quis dubitet, adeat, obſecro, ea quæ Gregorius II., Adrianus I., Nicæni Patres, & Theodorus Studita copioſe his ſuper argumentis tradunt, palamque perſpiciet, me vera loqui.

III. At eos Patres tibi favere ais, qui unam eandemque adorationem & prototypo, & imagini deferendam eſſe docent. Ego vero multo aliter ſentio. Quo modo enim unus idemque honor & prototypo, & imagini deferetur, ſi tu quidem doces, majorem cultum deferri prototypo; minorem, & ſi cum ſuperiore compares, valde exilem imagini adhiberi? Contra ſi relativum tantum cultum admittis, una eademque adoratio & exemplari, & imagini adhibetur: cujus quidem cultus pars extrinſeca, veluti oſculum, aut ſuffitus, imaginem attingit; pars melior, nempe interior affectio animi, ad exemplar refertur; ex utraque vero parte coaleſcit una adoratio, quæ adæquata, & completa appellari poteſt. Qua quidem animadverſione ſtabilitâ, vides, qua ſignificatione dictum ſit a veteribus, & dicatur etiam a nobis, *una eademque adoratione adorari imagines, & earum exemplar*. Sed alia etiam ſignificatione id ipſum dici poteſt; ſcilicet, ſi accipias *adorationem* pro extrinſeco ipſo honore: etenim ille ipſe honor, qui imaginibus defertur, cum deferatur pro-

pter prototypa, non in imaginibus ſiſtit, illiſque adhæret, ſed ad eadẽ prototypa fertur, quæ propterea in *imaginibus* honorari dicuntur: item fere ut ille ipſe honor, qui Regis legato defertur, propterea quia legatus Regis eſt, eſt honor Regi delatus, adeo ut non duos habeat terminos, ſed unum, nempe Regem, cujus honorandi cauſâ, legato defertur is honor. (*)

(*) Vide quæ §. 11. capitis 41. ex Durando allegavimus.

IV. Nec minus difficilè nobis perſuadebunt, favere abſoluto imaginum cultui ea Patrum monita, quibus docemur, adhibitum imaginibus honorem ad earum prototypa referri, atque aſcendere. Cenſuit ſane Magnus Gretſerus (*a*), *ex hoc ipſo quod aſſeverant* (Patres) *honorẽ imaginis ad prototypum tranſire*, coṁode deduci poſſe, *uno & eodem honore imaginem, & quod hinc ſequitur, Crucem cum prototypo coli. Sic enim D. Baſilius* (liceat Gretſeri argumentationem, ac verba in rem meam transferre: „ Sic, inquam, D. Baſilius: (*b*) *Quemadmodum principatus & poteſtas una eſt, quæ nobis dominatur: ſic etiam glorificatio nobis una eſt, non multæ, propterea quòd imaginis honor ad exemplar, ſeu ad prototypum tranſit:* Eſt ergò unus & idem honos crucis & prototypi, alioqui non diceretur tranſire ad prototypum, ſed in imagine terminari. Quod ſi imagines honorarentur alio quodam inferiore honore, quàm prototypus, ut quidam volunt, tunc non poſſet is tranſire ad prototypũ; cùm honor inferior non competat prototypo. Hanc D. Baſilii ſententiam citant beatus Damaſcenus, & S. Thomas, atque eo, quo diximus modo, interpretantur. „

(*a*) tom. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 57. pag. 93. editio. Ratiſbon.

(*b*) Baſil. li. *de Spiritu Sancto* cap. 18.

V. Verum diu ante Gretſerum, quanam ratione monita Baſilii, aliorumque Patrum ab eodem Gretſero proxime poſt allegatorum, docentium, imaginis honorem ad prototypum aſcendere, accipienda ſint, Theodorus Studita ſæpe tradit. Duo ejuſdem Theodori loca feligo: „ Relativa enim eſt (*) (inquit ille (*c*)) tanquam eorum, quæ ad aliquid ſunt, prototypi & imaginis, juxta effatum magni Baſilii. *Honor enim imaginis aſcendit ad prototypum:* una quippe eſt amborum adoratio, non ſciſſa, neque diviſa; ſed in prototypo quidem eſſentialiter exiſtens, in effigie vero expreſſa relative, quemadmodum & formæ ſpecies, illic quidem naturaliter, hic vero partici-

(*) imago.
(*c*) in epiſtola 167. libri 2. *Diogeni Secretario* data. pag. 521.

pa-

„ patione. Qui ergo adorat imaginem cujuſcumque, „ ſive Chriſti, ſive Deiparæ, ſive Sancti, ſive ſimpliciter regis, ſive principis, ſive inferioris hominis; „ in hac adorat illum, cujus ipſa eſt imago; & ita „ adorans non errat. „ Alter locus, iſque, niſi fallimur, apertior is ipſe eſt, quem §. 30. capitis 40. allegavi, & quem hic recolat Lector, velim. (d)

VI. Majorem difficultatis ſpeciem habet ſubſequens. Sic porro illud diluo. S. Patres (inter quos emineat, ſi vis, Damaſcenus) relativum imaginibus cultum ſtatuentes, ut rem hujuſce modi explicent, ſimilitudines illas, quarum adverſarii meminere, in medium afferunt, non quo illæ prorſus quadrent, & cum delato imaginibus cultu plane conveniant, ſed quod relativi cultus exempla perſpicua ſint: erant enim fortaſſe non pauci, qui relativi hujus cultus notionem minime aſſequebantur, eumque ajebant a Scripturarum monitis plane aberrantem. Profecto Carolinorum librorum auctor, tametſi Scholaſticorum ſubtilitatibus aſſuetus, hæc minime percepiſſe videtur, cum hæc ait: (e) *Uſitatiſſimum, & oppido familiariſſimum illis, qui in adorandis imaginibus æſtuant, hoc eſt, ut credant. & aſſerant, imaginis honorem in eandem formam poſſe tranſire, cujus imago eſt. Quod quidem quomodo fieri valeat, & utrum fieri valeat, nulla ratione percipitur, nec divinorum eloquiorum teſtimoniis adprobatur.* Sed iidem Patres, quum mere relativum indicare cultum hunc volunt, non modo adhibitum Cruci, & Evangeliorum codici honorem proferunt (atque Evangeliorum quidem codici, nemo, quem noverim, abſolutum cultum defert) verum etiam verbis iis utuntur, quæ abſolutum quemlibet cultum videntur excludere, ut mere relativum ſtatuant: de quo quidem argumento ſatis jam diximus.

VII. Quid vero ſi reſpondeam, Damaſcenum in eo loco, quem objicit Eſtius, minime inſtituere paritatem, ſeu argumentationem a cultu delato Virgini, & aſcendente ad Deum, cujus honori vertitur cultus ille, ad cultum delatum imaginibus, & aſcendentem ad eos Sanctos, quorum imagines colimus; ſed tantum accepta occaſione a cultu delato Virgini, & Sanctis, producere in medium aliud genus relativi cultus: illud ſcilicet, quod defertur imaginibus, qui quidem cul-

(d) Epiſtola 112. libri 2. *Joanni Grammatico ſcripta*.

(e) lib. 3. cap. 16.

cultus adeo injurioſus non erat Deo (quod multi quidem blaterabant) ut Deo quoque honori verteretur; quatenus non ſiſtens in imaginibus, ſed ad Sanctos in iiſdẽ imaginibus repræſentatos aſcendens, honorificentiſſimus Deo erat, quia honorificentiſſimus Deo erat cultus, qui Sanctis ſive in ſe, ſive in eorum imaginibus deferebatur: hæc vero omnia ab Apoſtolorum traditione deſcendere. Sane ſi quis paulo diligentius Damaſceni verba expenderit, palã agnoſcet, me vera loqui. Ecce illa, prout in latinum vertit egregius Le-Quien (*f*). *Quid enim alioqui diſcriminis eſt inter illam crucem, quæ Dominum non exprimit, & illam quæ eum repræſentat? Quod etiam de Dei matre ſentiendum erit. Etenim is honor, quem ei adhibemus, ad illum refertur, qui ex ipſa carnem ſumſit. Itemque egregia Sanctorum virorum facinora, ad fortitudinem, & virtutis ipſorum æmulationem & imitationem, necnon in Dei laudes excitamur. Nam, ſicut dictum eſt, ille honor, quem conſervis optimis præſtamus, noſtri erga communem Dominum propenſi ſtudii argumentum eſt: quin & imagini habitus honos ad exemplar transfertur. Eſt autem hæc traditio ex illis, quæ in ſcripturis minime expreſſæ ſunt: ut ea, quâ ad orientem verſi adoramus; nec non illa, quâ crucem veneramur, aliæque complures harum ſimiles.*

(*f*) 4. de fide Ortho: cap. 16. pag. 281. tom. 1.

VIII. Et hę quidem ſunt ſolutiones, quas adhibitas vidi argumentis iis, quibus innititur opinio cultum aliquem imaginibus ipſis tribuens. Num vero hæc vices rependat opinioni, quæ relativo tantummodo cultu eaſdem imagines proſequitur, & re vera diſſolvat argumenta, quibus hæc innititur, capite ſubſequenti dicetur.

CAP.

C A P. XLIV.

De hactenus expoſitis opinionibus judicium ferimus.

I. SAne, ut candide, quæ ſentio, eloquar, multo commodior, ac veriſimilior alterâ mihi videtur eſſe opinio, quæ relativum tantummodo cultum admittit. Commodior eſt quidem, quia multo facilius evitat, diſſolvitque Proteſtantium objectiones. Veriſimilior autem eſt alterâ, ſi ad ea reſpicias argumenta, quæ in rem ſuam profert, & facilitatem qua ſe ab iis, quibus impetitur, expedit. Recole quæ § 24. & ſubſequentibus capitis XL. tradidi, & noſces me vera proferre.

II. Nunc de opinione alia, ea ſcilicet, quæ per *accidens* adorari, colique imagines ait, ferendum eſt judicium. Præter ea, quæ alibi de ea dixi (*), paucis complector, quæ de ea ſentio. Si non aliud intelligi velint adorationis vocabulo, niſi externum illud amoris, venerationiſque argumentum, quo interiorem animi mei affectionem, demiſſionemque teſtatam facio, cum ad imagines hoc immediate feratur, (etenim imagines oſculor, & thure accenſo, & odoro ſuffitu proſequor) ad eas ferri adorationem non diffitebor. Per accidens vero fertur, tum quia fieri poterat, ut ego Chriſtum amans, & colens, Crucem hanc, & imaginem non haberem, ideoque hanc oſculo, thure accenſo, & & odoro ſuffitu non proſequerer; tum etiam quia argumento alio teſtatum facere poteram amorem, & demiſſionem animi mei erga Chriſtum, cujus teſtificandi cauſa Crucem, atque imaginem Chriſti oſculor, & thure accenſo, & ſuffitu odoro proſequor; tum denique quia nemo eſt, qui Chriſti imaginem honore aliquo afficiens id agat, ut imaginem ipſam honoret, a qua nihil obtinere poteſt; id enimvero agit, ut honoret Chriſtum: honoris autem ſigna imagini exhibentur, propterea quod ratio quædam eſt honorandi Chriſtum, ejus imaginem honorare: ideoque imago propter Chri-

(*) cap. 38. §. 8.

Chriſtum tantummodo honoratur: igitur non per ſe, ſed per accidens. Quod ſi adorationis vocabulo aut integram, completamque, & uti appellare conſuevimus, *adæquatam* adorationem, aut etiam præſtantiorem, melioremque & *ſubſtantialem* illius partem ſignificari velint, cum hæc abſint ab oſculo, ſuffitu odoro, & reliquis hujus generis argumentis præciſe acceptis, adorari, ſeu coli imagines, tam etſi *per accidens*, minime aſſentiar.

III. Facilia vero ad diſſolvendum ea ſunt, quibus fidunt Pereſius de Ayala, aliique, qui imagines ſimul cum exemplari, tam etſi per accidens, adorari ajunt. (*) Quod ad repræſentationem attinet, recole quæ capite 42. (*) dixi. Porro neque imagines, neque purpura Regis cultum, aut honorem ipſæ recipiunt, ſed tantum argumenta quædam honoris extrinſeca, & quæ honorem non ipſis, ſed repræſentato delatum exhibent: ſeu potius ſunt *occaſiones proximæ*, & ſtimuli quidam, &, uti fere appellamus, *motiva*, quæ nos ad prototypum in aliis etiam ab eo diſtinctis, ſed ad illud pertinentibus honorandum movent. Commoda vero ea ſententia non eſt, quæ extremas non conciliat.

(*) cap. 39. §. 12.

(*) §. 1. & ſubſequen.

IV. D. Thomas, Damaſcenus, & Hieronymus, & ſi qui ſuut alii, qui huic opinioni favere putantur, vel in ſigno rem ſignificatam exprimi, denotarique tantum ajunt, quod nos facile admittimus, vel integram, adæquatamque adorationem duo complecti docent, quorum primum, potiſſimumque ab interiori animi affectione, directioneque procedens ad prototypa fertur, alterum in extrinſeco ritu, poſitum, cum aſcendere non poſſit ad prototypa (neque enim oſculum ſacrum e. g. figere prototypo poſſum) ſiſtit in imagine, ut pote corporea, & ſenſibus ſubjecta. Sed pars hæc, quæ *adoratio* interdum appellatur, nec vera adoratio eſt, ut alibi oſtendimus, nec verum adorationis argumentum, aut pars neceſſaria. Latria enim, & dulia, & alius quilibet honor conſiſtere in ſolo interiori affectu, & animi demiſſione poterit: quamquam, cum honor, & demiſſio animi ſæpe exprimatur extrinſecis illis argumentis, hæc quoque *adorationis* nomen obtinuerunt. (*a*)

[*a*] In iis, quæ duobus conſtant, ſæpe unum tantummodo in definitione affertur, reticetur alterum. Hoc modo, ut Theologico exemplo utar, quia prædeſtinatio *præſcientia*, & *electione* conſtat, ſæpe *præſcientia* tantummodo nomine indicatur. Recole etiam quæ diſſerta. 1. cap. 3. §. 17. diximus.

CAP.

CAP. XLV.

De probitate cultus Sacris Imaginibus delati.

I. HIs ita conſtitutis, difficile non eſt id oſtendere, quod poſtremo loco reſervavimus: probum ſcilicet eſſe cultum ſacris imaginibus delatum. (*) Si enim non in imaginibus ipſis ulla tametſi leviſſima portio cultus ſiſtit, ſed prorſus ad prototypa aſcendit, cum alibi fuſe oſtenderimus, cultum Sanctis delatum probum eſſe, ac pium (*a*), plane conſequitur, probum pariter, ac pium eſſe cultum eorum imaginibus delatum. Alia hic non inculco, quod ea, quæ paulo ante allegavi, argumento noſtro ſatis eſſe arbitrer.

II. Verum tamen his non moventur Proteſtantes, & præter ea, quæ cap. 20. & ſequentibus diſſertationis IV. jam allata ſunt, & ſoluta, quæque hic recoli poſſunt, hæc peculiariter habent, quæ adverſus nuper dicta intorqueant. Utcunque terri fortaſſe hæc poſſent, ſi hæc eſſet Catholicorum omnium opinio, & ſententia; ſed paucos aſſeclas nunc illa habet. Omnes quippe noſtra hac ætate, duce Bellarmino, abſolutum, eumque verum, ac *proprie dictum* cultum imaginibus ipſis deferendum eſſe ajunt. (*b*) quæ quidem opinio quantum ab antiquorum Chriſtianorum opinione remota eſt, tantum Gentilium ſuperſtitioni, atque idololatriæ accedit. Et ſententiam hujuſce modi adeo Pontificii amare poterunt, ut eam veluti probam, ac piam jactitent? Hæc primum quidem adverſarii.

III. Mirum videbitur fortaſſe alicui, quod nos ſententiam tam copioſe refutatam nunc cogamur vindicare, ac defendere. Id præſtabo tamen, ac Dallæum adverſus Catholicos ob eam ſententiam vehementiſſime decertantem verbis his refutabimus. Falſo obiicitur majorem Theologorum partem pro abſoluto imaginum cultu ſtare: immò ſi vindices ſententiæ illius cum iis compares, qui relativum tantummodo cultum approbant, ſatis paucos invenies. Hic recole, quæ capitibus proxime ſuperioribus hoc de argumento

(*) in præfat.

(*a*) Recole ea, quæ capite 19. & ſequentibus diſſertationis IV. tradidimus.

(*b*) *La pluſpart de leurs auteurs ſouſtenans, que l'image doit eſtre honorée en elle meſme proprement, & de par ſoi meſme.* Dallæus *de imaginibus* lib. 1. cap. 1. *in præfat.* pag. 2. & 3.

to tradidimus. (*) At ii ipſi, qui abſolutũ cultũ tueri videntur, relativum imaginibus cultũ deferri a Catholicis ajunt, & in eo quidem *verum*, &, ſi loqui ita ſinis, *ſubſtantialem* cultum ſitum eſſe teſtantur. Eam porro *honoris* partem, quam imaginibus ipſis deferri volunt, ipſi quoque tam attenuant, imminuuntque, ut ſi cum relativo conferas, pene nullus appareat.

IV. Num mihi fidem habere renuis? Ipſamet Bellarmini verba (c) conſule, & manifeſto videbis, me vera tradere. Aliqua excerpo ex multis. Sic ergo ait ille (d): *Ad primam* (objectionem) *dico*, *imagines ſive honorentur proprie*, *ſive per ſe*, *ſive per accidens*, *ſemper honorari propter exemplar*, *& ſemper honorem earum tranſire ad exemplar*, *ſed alio*, *atque alio modo*; *nam quando imago adoratur improprie*, *quia videlicet honor in ipſam non terminatur*, *ſed per ipſam in exemplar*, *tunc immediate*, *& formaliter honor imaginis tranſit ad exemplar*. *At quando imago honoratur per ſe*, *& proprie*, *ita ut in ipſam vere terminetur honor*, *tunc honor ejus tranſit ad exemplar non immediate*, *ſed mediate*, *& quaſi conſequenter*; *nam qui honorat imaginem alicujus*, *ſine dubio honorat propter eum*, *cujus eſt imago*, *& proinde honor imagini vere exhibitus redundat in prototypum*. *Quemadmodum qui facit eleemoſynam pauperi*, *Chriſto illam feciſſe dicitur*, *non quod eleemoſyna immediate non tendat in pauperem*, *ſed quia qui eleemoſynam facit pauperi*, *propter Chriſtum facit*, *& Chriſtum honorat in paupere*.... *Nos autem hic non aſſerimus*, *eundem honorem*, *ſed* aliquem honorẽ *deberi imagini*. *Et fortaſſe auctores primæ opinionis* (e) *hoc ſolum dicere voluerunt*, *nimirum honorem proprium exemplaris non poſſe exhiberi imagini*, *niſi improprie*: *de honore autem inferiore nihil dixerunt*. *Quod ſi ita eſt*, *ab eis non diſſentimus*.

V. Cetera omitto, ut ſiſtam in Concluſione Bellarmini quinta, quæ ad hunc modũ ſe habet: (f) *Cultus qui per ſe*, *proprie debetur imaginibus*, *eſt cultus quidam imperfectus*, *qui analogice*, *& reductive pertinet ad ſpeciem ejus cultus*, *qui debetur exemplari*. Quibus ſane & ſimilibus aliis verbis oſtendit, verum & proprium cultum minime omnium deferri imaginibus, ſed improprium, &, ut ipſe appellat, *reductivum*.

VI. Eadem Eſtii videtur fuiſſe opinio: leviſſimum nempe honoris genus in imaginibus ipſis ſiſtere docet, præ-

(*) His junge, obſecro, quæ Gretſerus fatetur pag. 95. tomi 1. edit. Ratiſb. §. ad hunc modum incipiente: *Doctrinam hujus capitis*.

(c) *de imaginib. Sancto.* lib. 2. cap. 20. & 21.

(d) cap. 21. §. *Neque objectiones*.

(e) Prima opinio, ad quam reſpicit, hæc eſt: *imaginem non eſſe ullo modo in ſe colendam*, *ſed ſolum coram imagine colendum exemplar*.

(f) cap. 25.

præclariorem vero & ſubſtantialem illius partem; in qua vera cultus portio ineſt, ad prototypa aſcendere. Multa ex eo non exſcribo, quod Lector ea facile per ſe conſulere poſſit. Audite hæc tamen: (*) „ Ad „ tertium reſpondeo, honorem imaginis ad prototypum „ referri hoc ſenſu, quod honoraria adoratio exhibeatur Cruci, aut imagini, quatenus prototypum „ repræſentat, & propter prototypum, licet ho„ noris genus ſit diverſum...... Ad illud autem, „ quod de proſtratione (& idem eſt de ſimili venera„ tione) ante Crucem Chriſti, aut imaginem ejus „ objicitur, reſpondeo, quod illa, prout fertur in Cru„ cem, aut imaginem Chriſti, ſit adoratio honoraria tan„ tum; at vero, pro ut fertur in Chriſtum, latria. Pro „ qua reſponſione obſervandum eſt, quod actus exter„ nus accipit ſpeciem moris ab interno. Internus au„ tem ei reſpondens eſt duplex. Unus, quo animus „ fertur in Crucem, vel imaginem Crucifixi, tanquam „ ſignum, qui eſt adoratio honoraria, alius quo fer„ tur in Chriſtum, & eſt actus latriæ ...., & hac ratione „ non fit imagini, ſed ei, cujus eſt imago . . . . Ex „ quibus ſequitur, quod quandocunque dicitur, crucem „ adorari latria, id intelligendum eſſe, non de ipſa „ Cruce, ſed de Crucifixo. Unde potius dicendum, ta„ lem cultum exhiberi ante Crucem, vel coram Cru„ ce, uti obſervare eſt apud Innocentium III. ſermo„ ne 1. *in dedicatione templi*, ubi hæc habet: *Unde & „ alibi legitur: Chriſtiani ſacras imagines pie veneran„ tur, & adorant. Verius tamen adoramus Deum coram „ imagine, quam imaginem coram Deo. Unde præceptum „ eſt:* Coram altari hoc adorabitis. *Non ait* (in„ quit) *altare: ſed coram altari.* Et Propheta: „ Adorabo ad templum Sanctum tuum. Idem loquen„ di modus eſt apud Patres Concilii Tridentini ſeſſ. 25. „ *de ſacris imaginibus*: ubi docent, venerandas eſſe ſa„ cras imagines, non *tamen more gentilium: ſed quoniam* „ (inquiunt) *honos, qui eis exhibetur, refertur ad „ prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per ima„ gines, quas oſculamur, & coram quibus caput ape„ rimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, „ quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Ubi „ nota non dici: *quas adoramus*, nec *quibus caput ape„ rimus, & procumbimus*: ſed *coram quibus caput aperi-*

(*) ſ. 3. ad 3.

„ *mus*, *&* *procumbimus*. „ Vides itaque, eos ipſos, quorum ſententiam Gentilium errori affinem eſſe vis, ab eo plurimum diſtare: quod ut apertius declaret Eſtius, omnino non meminit cultus, quem imaginibus ipſis deferamus, ſed tantũ honoris: id tamen haud ægre cum iis conciliabis, quæ §. 8. & 9. capitis 38. tradidimus.

VII. Novos tamen animos ſumunt adverſarii, & improbum eum, de quo agimus, ritum hac argumentatione conantur oſtendere. Periculi pleniſſimus ritus hic eſt: hinc ſæpe in eum pietatis ſpecie obtecta ſuperſtitio, atque adeo idololatria illapſa eſt (*g*). Ea porro quæ periculoſa ſunt, a pietate procul dubio, & probitate, remotiſſima ſunt.

VIII. Cur, obſecro, ea pericula urges, quibus obnoxium eſſe vis eum morem? Id ſane remotiſſimum a vero eſt. Quid enim minus veriſimile, quàm ut imagini mortuæ, & ſenſus carenti cultum deferam? Tamen quid, ſi id conceſſero? Multa ſane periculoſa ſunt, & tamen proba. Ipſa Baptiſmi collatio, per ſe procul dubio valde proba, periculis refertiſſima viſa eſt bono illi Monacho, cujus meminit Joannes Eviratus, ſeu, ſi vis, Moſchus (*h*). Sed hæc quæ plane diſſolvuntur monitis iis, quæ ſæpe alibi dedi, (*i*) facile tollis, ſi memineris, Synodi Tridentinæ decreto impoſitum eſſe Eccleſiarum Paſtoribus, ut monitis ſuis, & perſpicua Catholicæ doctrinæ explicatione, pericula ipſa ſuperſtitionis a ritu hoc removeant. Egregia ſunt, quæ ad objectionem non prorſus abſimilem repoſuit maximus Auguſtinus, cujus verba libentiſſime hic recitarem, niſi plurima eſſent. Sed ea in loco, quem in margine annoto (k), per ſe conſulere Lector poterit.

IX. Diſplicet tamen reſponſio hæc noſtra Dallæo, qui contendit, (*l*) Romanam ipſam Eccleſiam ſuperſtitionem promovere, dum, ut ſacrarum imaginum cultum augeat, altiuſque Fidelium animis imprimat, ea docet, quæ palam ſuperſtitioſa ſunt. Hadrianus Papa tradere non veretur, imagines ſacras ita ſalvare Chriſtianos, ut ſerpentis ænei intuitus ſalvabat Hebræos (*m*). Ad hæc: Cæremoniale Romanum (*n*) expreſſe docet, cereas illas imagunculas, quas *Agnos Dei* vocamus, *myſticis cæremoniis ſanctificari*, virtutemque illam

(*g*) Vide quæ §. 1. & 3. capitis 35. diximus.

(*h*) *in prato ſpirituali* cap. 3.

(*i*) diſſer. 4. cap. 24. §. 1. diſſer. 5. cap. 25. diſſer. 6. cap. 55. §. 3. & 4. diſſer. 8. cap. 9. 15. & ſubſeq.

(k) li. 6. *de baptiſmate contra Donatiſtas* cap. 25. alias n. 47. Proderit etiam ea hic recolere, quæ idem S. Doctor lib. 2. *de ſermone Domini in monte* cap. 12. alias n. 41. ſcriptis tradidit.

(*l*) *de imagini.* lib. 1. cap. 2. pag. 21.

(*m*) in epiſto. ad Carol. M. *in defenſio.* imagin. parte 1. cap. 25. col. 1565. to. 8. Conci.

(*n*) li. 1. ſect. 7. cap. 8.

accipere, quam habebat Agnus in Ægypto immolatus, atque adeo illam, quæ inerat in Jeſu Chriſto Cruci affixo? *Sic iſti Agni immaculati virtutem illam accipiant*. Romanum etiam Pontificale nos docet, fulmina pelli ab imaginibus conſecratis: (o) alibi etiam ab Eccleſia Romana certi efficimur dæmones pelli, Angeloſque attrahi *a conſecrata* S Johannis imagine (p). Quæ quidem dicta te movere minime debent: ineſt enim non vulgo tantum, ſed & doctiſſimis quibuſque inter Pontificios perſuaſio, qua putant, *inanimata per conſecrationem accipere ſpiritualem quandam virtutem: per quã apta redduntur divino cultui, ut ſcilicet homines devotionem quandam exinde percipiant*. Id ſcilicet docet Thomas ille, quem Scholæ Pontificiorum anteſignanum jactitant. (*) Atque apud eoſdem Pontificios, Imagines quoque invocantur, illiſque ſupplicatur, ut a peccatis exſolvamur; quod ne quis temere dictum putet, ecce tibi laudatiſſimam illam deprecantiunculam, qua Veronicam, ſeu Veronicæ Sudarium iidem Pontificii alloqui conſueverunt.

Salve Sancta facies noſtri Redemptoris,
In qua nitet ſpecies divini ſplendoris,
Impreſſa pañiculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ ſignum ob amoris.
Salve decus ſeculi, ſpeculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt ſpiritus cælorum
Nos ab omni macula purga vitiorum.
Salve vultus Domini imago beata,
Ex æterno munere mire decorata,
Lumen funde cordibus ex vi tibi data.
- - - - - - - - - - - - - -
Nos deduci ad propria, (*) o fælix figura,
Ad videndam faciem, quæ eſt Chriſti pura.

An non hæc putidiſſima, & ſuperſtitione refertiſſima, ideoque prorſus improba ſunt? Denique reliqui ritus, quibus Pontificii imagines colunt, nimio plus ritibus illis accedunt, quibus idola ſua Gentes venerabantur: hic Sanctorum imagines circumferunt, flores illis offerunt, & id genus alia peragunt, quæ erga idola Gentiles agere conſueverant.

X. His argumentis ita reſpondendum arbitror. Rectiſſime comparavit Adrianus ſacras imagines cum ſer-

[o] Pontifica. Roman. *Sanctifica, Deus, hanc formulam B. Virginis, ut tuis fidelibus ſalutaris auxilii opẽ ferat, tonitrua, fulmina, ſi invaluerint nocentia, celerius expellantur*.

(p) Obed. *Sit hac imago dæmonum ſancta expulſio, Angelorum advocatio, fidelium protectio*.

(*) 3. par. de *Sacram.* quæſ. 83. ar. 3. ad 3.

(*) aliàs: *Nos perduc ad patriam*.

ſerpente æneo a Moyſe erecto; ſicut enim Hebræi eundem ſerpentem intuentes a morſibus corpori inflictis convaleſcebant, ita Chriſtiani ſacras imagines intuentes a vitiis liberantur, & animi morbis. Id fuſius hic non explico, quoniam alibi eo de argumento, quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, copioſe egi. (q)

XI. Irrides Cæremoniale Romanum, quod doceat, cereas illas imagunculas, quas *agnos Dei* vocamus, *myſticis ceremoniis ſanctificari*. At ſine explicemus, in quonam ſita ſit hæc, quæ tibi diſplicet, *ſanctificatio*, nec merito illam irridebis. Recole hic quæ nuper ex capite 76 diſſertationis IX. allegavimus, videbiſque ſanctificationem quandam commode tribui poſſe ſacris his imaginibus; quibus ſanctificationem aliquam ſi quis adjungi dicat ex Eccleſiæ precibus, id dicet, quod mirifice a me probabitur: preces enim Eccleſiæ procul dubio ſanctificationem nobis ſæpe impetrant, & niſi nos obicem poneremus, certo obtinerent.

XII. Conſuetudo vero illa, qua ſacro oleo cereæ illæ imagunculæ aſperguntur, uti antiqua, ita valde laudabilis eſt: myſtica eſt enim, (myſticas porro ſignificationes ſæpe amat Eccleſia) & vetuſtos ritus aliqua ex parte ſervat: jam pridem enim conſuevimus oleo imbuere res Deo deſtinatas: Et hoc quidem ritu ac ſenſu *ſanctificari* dicuntur, non modo altaria, verum alia quævis inanima, quæ ex profano uſu peculiariter deſtinantur divino obſequio. An id in S. Thoma, & Ritualibus noſtris diſplicet, quod Scriptura ipſa haud dubie approbat (r)? Lege, obſecro, ipſa S. Thomæ verba, & dubitatio omnis eâ ſuper re, ex animo tuo tolletur.

XIII. Ceterum immerito reprehendis deprecatiunculam illam, qua Pontifex cereis illis imagunculis benedicit his verbis: *Sic iſti agni immaculati virtutem illam accipiant*: neque enim accipiendæ ſunt voces illæ, perinde quaſi optaremus, ut illæ imagines virtutem agni immaculati acciperent. Apage iniquiſſimam interpretationem: ſed ſic accipiendæ ſunt, ut cupiat Pontifex, imagunculas illas, quas ob impreſſam immaculati Agni imaginem, (ſ) *agnos immaculatos* appellat, *virtutem illam* accipere, quam paulo ante his verbis expreſſerat: „ Te ſuppliciter deprecamur, ut noſtræ vocis

„ exo-

(q) diſſer. 9. cap. 76. §. 6. & ſubſeq. Juvabit etiam ad id, quod agimus, fuſius explicandum ea recolere, quæ capitibus 27. 28. & 29. diſſertationis VII. diximus.

(r) Gen. 28. 18. rurſus 35. 14. Exodi 30. 24. &c. rurſus 37. 29. &c. Addere fortaſſe poſſumus id quod edocemur cap. 17. libri III. *Apoſtolicarum* (ſi ita appellare non renuis) *Conſtitutionum*: etenim *oleo ſancto*, quo unguntur baptizandi, quodam modo præparantur ad divinũ ſervitiũ. Vide etiam quæ traduntur cap. 43. libri 7. earumdem Conſtitutionum.

(ſ) *Has cereas formas innocentiſſimi agni imagine figuratus*,

„ exoratus officio, has cereas formas innocentiſſimi „ agni imagine figuratas bene ✠ dicere, & per invocationem tui ſancti nominis ſanctificare digneris, „ ut per ejus tactum, & viſum fideles invitentur ad „ laudes: fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, ventorum rabies, infeſta tonitrua temperentur: fugiant, atque tremeſcant maligni ſpiritus ante Sanctæ Crucis vexillum: quod in illis exculptum eſt. „ Sed reliqua proſequamur.

XIV. In Pontificali Romano de imaginum benedictionibus agenté perquiſivi ea verba, quæ Dallæus deſcribit, eaque minime reperi. (*t*) Sed age, extent. Utere regula, quam Scripturæ interpretes ſæpe dant: vulgato ſcilicet loquendi modo inſtrumentis ipſis (*u*) actionem tribui; & Dallæi irriſiones, ac ſannas evitaſti. Id quoque dic de deprecatiuncula altera: *Sit hæc imago dæmonum ſancta expulſio &c.*, quæ undenam excerpta ſit, ignorare me fateor. Ea loca, quæ in margine § x. proxime ſuperioris allegavi, illuſtrare, aliqua ſaltē ex parte, poterunt id quod nunc agimus.

XV. At quis Dallæi imprudentiam ne dicam, an impudentem audaciam feret, qui nobis objicit deprecatiunculam illam, quam aliqui recitabant ante *faciem Chriſti Jeſu*, aliàs ante *Veronicam?* Quis inter Theologos noſtros illam approbavit, dignamque cenſuit, ut ederetur? Novi equidem, in eo libello, qui *hortulus animæ* inſcriptus eſt, editusque a Plantino, reperiri illam: (*x*) at novi quoque, libellum hunc jam pridem correctionis indigum fuiſſe judicatum; hæcque in vetuſto Romano Indice inveni. *Hortulus animæ: niſi corrigatur.* Minime vero dubito, quin ad hanc quoque deprecatiunculam animum intenderint Romani Cenſores. An neſcis, jam dudum hæc tradidiſſe Auguſtinum: (*y*) *Multorum preces emendantur quotidie, ſi doctioribus fuerint recitatæ?* Si qui tamen eas imperite recitaverint, ſuaviter emendandi ſunt: etenim *plerũque precis vitium ſuperat precantis affectus.* (*) Auguſtini conſilium ſecuti ſunt deinceps Theologi noſtri, quibus ut Gretſeri verbis utar (*), *minime propoſitum eſt defendere id omne, quod hæretici ex quovis quantum vis rancido, & obſoleto Rituali* (aut affini alio) *libro attulerint; adeo ut fruſtra imperitia nonnullorum Catholicorum venatio ſit* (*) Proteſtantium. Non defuere, fateor, qui de-

(*t*) In Pontificali Romano, anno 1572. Venetiis apud Juntas typis edito pag. 162. & 163. *de Benedictione imaginis B. Virgi. Benedictio imaginum &c.*

(*u*) fortaſſe hæc ipſa regula comprobari aliqua ſaltem ex parte iis exemplis poteſt, quæ attulimus diſſer. 3. cap. 28. §. 7. &c. & diſs. 5. cap. 25.

(*x*) pag. 277.

(*y*) lib. 6. *de Baptiſmo contra Donatiſtas* cap. 25. alias n. 47.

(*) to. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 61. pag. 105. edition. Ratiſbon.

(*) Auguſti. li. 14. contra Fauſtum. cap. 8.

deprecantiunculam illam in bonum ſenſum deducere ſtuderent: hinc in ea prece apoſtrophen delitere dixerunt; aut eſse explicandam, uti explicavimus Romani Pontificalis verba; denique ad eum modum intelligendã, quo intelligimus preces ad Crucem directas. (*) Ad hanc tamen ſolutionẽ ego minime confugio, qui illaudabilẽ cenſeo, & ab indocto homine, tamen fortaſſe non malo, elucubratam deprecatiunculam illam, quam reprobent Catholici neceſſe eſt, quoniam eam reprobat Romana Eccleſia, quæ, ut verbis Hadriani Pontificis utar, (z) a bonis omnibus agnita eſt

JUSTITIÆ SEDES, FIDEI DOMUS, AULA PUDORIS.

XVI. Poſtremum ut ſolvas, recole ea, quæ cap. 35. tradidimus. Dicant porro quod libet Proteſtantes, ego ſane ritus eos minime condemnabo, quos approbat Romana Eccleſia.

(*) recole tradita cap. 42. §. 23.

(z) in epiſtola ad Carol. M. in *defenſion. Nicæn. Synod.* par. 1. cap. 18. pag. 1567. tom. 8. Conci.

ATQUE ILLIUS QUIDEM JUDICIO DISSERTATIONES HÆ DECEM, ET QUÆCUNQUE EDIDI, AUT EDITURUS DEINCEPS SUM, SUBJECTA SUNTO.

DE

DE CRUCE
APPENDIX.

DE CRUCE
APPENDIX.

D*Ediſſet impoſitus Diſſertationi X. finis terminum quoque laboribus noſtris, niſi ad aliam ſuperioribus valde affinem tractationem ſuſcipiendam nos cogeret vetuſtus mos, quo jubentur ii, qui de Sacris imaginibus diſſerunt, de Cruce etiam diſputare. Eam itaque, quam ſæpe declinavimus, tractationem, hic tandem aggredimur, eamque, quod ſuperioribus diſputationibus addita ſit*, appendicem *dicimus. Quatuor porro ſectionibus univerſa, quæ de Cruce quærimus, complectemur. Harum prima hoſtes Dominicæ Crucis recenſebit. Comprehendet altera tractationem Crucis, in qua re ipſa pependit Chriſtus, ſuoque ſanguine pretium Redemptionis noſtræ æterno Patri perſolvit. Diſputabimus in III. de Dominicæ Crucis imagine, ſive ea picta ſit, ſive qualibet ex materia fabricata. Agemus denique de Cruce, quam* tranſeuntem *appellant; ea ſcilicet quam manibus in fronte, vel reliquo corpore deſignare ſoliti ſumus.*

SECTIO L.

CAPUT UNICUM.

Recenſentur hoſtes Dominicæ Crucis.

I. QUum aliquod ex præcipuis Eccleſiæ dogmatibus, aut præſtantiorem aliquem ritum explanandum, ac defendendum ſuſcepimus, ne hiſtoriam negligere videremur, eos recenſere conſuevimus, qui eidem dogmati, rituique obſtiterunt. Eundem morem hic ſequimur, & de Cruce diſſerere aggreſſi, eos enumerare operæ pretium ducimus, qui *Dominicæ Crucis inimici* extitere. Quamvis vero huic non æque inimici fuerint ii ipſi, quos deinceps recenſebimus, aliqui enim illam oderunt adeo, ut prorſus tollere, atque abolere contenderint, alii vero minus infenſi Cruci, eam adorari tantummodo vetuere; uno tamen capite complectar omnes, præſertim cum paucos offenderim, qui adorationem illi adhibitā averſantes, Crucē ipſam quoque non oderint, eamque delere, tollereque non ſtuduerint. Atque hic quidem non comēmoro Ethnicos, Judæos, & Mahometanos, & reliquos omnes, qui propterea inimici ſunt Crucis Chriſti, quod Chriſti etiam ipſius, Religioniſque ab eo inſtitutæ ſint inimici. Eorum itaque tantum modo ſeriem hic texere propoſui, qui Chriſtiana in Religione enutriti, Cruci tamen infenſi extitere.

II. Si Chriſtianorum in numero ſtultiſſimos Paulicianos recenſere non renuis, eos fortaſse invenis, qui e Chriſtianis omnium primi Crucem Chriſti deſpexerunt. Hi non modicam ſectam conflaverunt anno fortaſſe 640. Multa de iis Scriptores narrant; ſed quod ad Dominicam Crucem ab iis odio habitam pertinet, hæc ex Cedreno exſcribere operæ pretium reor (*a*): *Quin & venerandæ Cruci ſcelerate detrahunt, Chriſtum eſſe* Cru-

(*a*) pag. 434. editio. Pariſ. 342. Venetæ.

Crucem dicentes, *neque adorandum eſſe lignum*, *execrationibus deditum inſtrumentum*. (1) Quamquam ex eodem Cedreno (*b*), & Euthymio Photium citante (*c*) conſtat, aliquos ſaltem ex ipſis (*) haud jugiter contemptui habuiſſe Crucem: *Etenim cum in vehementiorem aliquem morbum inciderint*, *pretioſam*, *& vivificam Crucem ex ligno factam ſibi ipſis imponere*: *tum recuperata ſanitate*, *illam confringere*, *conculcare*, *& abjicere* (*). Num quia ficto animo Crucem antea coluerint, (2) an aliam ob cauſam? judicet Lector.

III. Utrum hi revera omniũ primi Crucis imagines oderint, incertum habeo: etenim ex eodem Cedreno conſtat, Valente Valentiniani Magni fratre imperante, Bogomilorum hæreſim exordium habuiſſe. Bogomili porro (quemadmodum mox videbimus) Crucem ſunt execrati. Sed minime narrat idem Cedrenus, num ii Bogomili, quos in Eccleſiam ſæviiſſe Valentis tempore dicit, eadem plane ſentirent, atque ii Bogomili, qui Alexio Comneno imperante peſtiferam hæreſim excitavere (3). Veterum ſane Bogomilorum errores non admodum noti ſunt, niſi ſi ipſiſſimi ſint, atque ii, quos Maſſaliani, Euchitæ, & Enthuſiaſtæ profitebantur.

IV. Conſueverunt aliqui Iconoclaſtas inter Dominicæ Crucis inimicos recenſere: at procul dubio falluntur. Etenim inter ea argumenta, quibus reprehenſi ii ſunt, illud non ultimo loco poſitum eſt, quod minime conſentanea ſibimet ipſi proponebant. Hi enim Cruces ligno, aut ære formatas minime frangentes, ſed ho-

(*b*) pag. ſubſequente.

(*c*) in Panop. ti. 21.

(*) *Quidam ex ipſis*, *cum morbis*, *doloribuſque premuntur*, *Crucem ſibi imponunt*. Cedre. pag. 343.

(*) ſubſtitue *conſueverant*.

(1) Agunt de iiſdem Paulicianis Zonaras lib. 16. anna. n. 2. to. 2. pag. 156. editio. Pariſ. 122. Venetæ, ubi docet Paulicianos fuiſſe appellatos *ex Paulo*, *& Joane non auctoribus quidem perverſæ opinionis*, *ſed ejus ſectatoribus*, *& ſtudioſis ſupra modum*, *& præconibus*: (filii hi erant Manichææ *cujuſdam mulieris*, *Callinicis nomine*:) (1) Agunt quoque de iis Petrus Siculus, & Photius. ab Euthymio citatus [2] ex quorum poſtremo nos verba aliqua allegamus; plura autem adducit Petavius. (3)

(2) Geneſium Manichæum, cognomento Timotheum & Agapium faudulentis verbis odiũ adverſus Cruces ab iis conceptum contexiſſe, diſcimus ex Petro Siculo, (4) & Photio (5). Vide etiã quæ tradit Cedrenus nuper allegatus (6).

(3) *Iiſdem annis Maſſalianorum hæreſis*, *quæ & Euchitarum*, *& Enthuſiaſtarum*, *& Bogomilorum dicitur*, *orta eſt*: (7)

(1) Vide Cedrenum pag. 432. editio. Pariſ. 341. Venetæ. Petr. Sicul. in vita Mane. pag. 820. to. 16. Biblio. Pa. Par. [2] titul. 21. pag. 204., & ſubſeq. tomi 19. Biblio. Patr. Lugdu.

(3) capite 7. libri xv. *de Incarnatione*.

[4] pag. 821. tom. 16. Biblio. Pa. Par. *Anathema*, *qui non adorat* . . . *Crucem*: *Crucique intelligebat Chriſtum ipſum manibus expanſis Crucem efformantem*.

(5) Codice 279.

(6) pag. 343.

(7) pag. 247. Venetæ editio. pariſ 312.

honorantes, & colentes, reliquas imagines ſacras minime confringendas, ſed honorandas, colendaſque, ſuo quoque exemplo demonſtrabant. Quo de argumento cum alibi ſatis dixerim, (*) hic differere non eſt neceſſe.

(*) cap. 5. §. 7. & 8.

V. At Crucem odio maximo inſectatus eſt Claudius Taurinenſis, de quo tametſi alibi locutus fuerim, aliqua tamen rurſus de eo tradere operæ pretium reor. A Civitate illa, cui Epiſcopus, curante Ludovico Pio (*), præfuit, *Taurinenſis* eſt appellatus. *Per aliquod temporis* (*d*) (inquit Jonas Aurelianenſis) *in palatio glorioſiſſimi, ac ſereniſſimi, Deoque amabilis Auguſti* (Ludovici Pii) *in officio Presbyteratus militavit. Sed, ut aliorum utilitati, doctrina prædicationis Evangelicæ, quæ illi admodum ineſſe videbatur, conſuleret, ipſius piiſſimi Principis clementia, Præſul Taurinenſis ſubrogatus eſt Eccleſiæ.* Ceterum Hiſpanum fuiſſe illum affirmat Jonas, ac Fælicis Urgelitani diſcipulum, ideoque Felicis illius, qui cum Elipando Toletano *de Chriſto adoptivo filio* hæreſim propugnavit: quæ quidem hæreſis in Concilio Francofordienſi damnata eſt; refutata vero tum ab aliis, tum peculiari labore a S. Paulino Aquileenſi Patriarcha. (*) Hic non ſolum reliquas imagines ſacras, (quod Iconoclaſtis omnibus commune fuit) verum etiam Cruces confregit, evertitque. Adverſus eum ſcripſit Theodomirus Abbas (quem poſtea amarulento, ac mordaci libro inſectatus eſt Claudius:) tum Dungalus (*), & Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, quorum opera collecta habes tomo quarto Bibliothecæ Patrum Pariſiis anno 1640 editæ.

(*) cap. 17. §. 3.

(*d*) Jonas Aure. par. 1. to. 4. Biblio. PP. Par. col. 538.

(*) in editio. Vene. a Clariſ. Madriſio adornata pag. 99. & ſubſeq.

(*) par. 2. col. 245.

VI. Hic omnino recenſendi ſunt Bogomili, de quibus jam ſermonem habuimus. Tanto odio hi Crucem proſecuti ſunt, ut cum multi ea de hæreſi accuſarentur, incertuſque eſſet Imperator, quiſnam merito, quiſnam injuria accuſatus fuiſset, hac denique ratione agnovit, quis ea hæreſi infectus, quis ab ea alienus foret. Duos paravit rogos, quorum uni impoſita fuit Crux, deſtitutus Cruce fuit alter, & iis, qui accuſati fuerant, liberum eſſe dixit, ut in horum altero comburerentur. Catholici porro rogum Cruce inſignitum elegerunt, Bogomili vero eum, quem Crucis expertem viderant. Hujus rei teſtis eſt locuples Anna Comnena libro xv. hiſto-

hiſtoriarum (e) id accurate narrans: ad quem quidem vos allego.

VII. Iis fere temporibus, quibus hi Orientem ſuæ peſtiferæ doctrinæ veneno inficere ſtudebant, Petrobuſiani, aliique horum ſimiles Occidentem pervertere nitebantur. In hos Bernardus, Evervinus, quorum alibi meminimus, (f) & Petrus ille Cluniacenſis Abbas, qui *Venerabilis* eſt appellatus, calamum exacuere, ſtultiſſimoſque eorum errores ingenioſe, vehementerque refutavere. Præclaras ſane epiſtolas in hos conſcripſit Petrus ille, quem nuper dixi: quas quidem epiſtolas (e quibus breviſſima prima eſt, & ſumma errorum capita perſtringens, ſed multo prolixior altera) in ipſo Voluminis limine invenies. Secundæ epiſtolæ caput integrum impendit adverſus eos, qui dicunt, *Crucem Domini nec adorandam, nec venerandam: ſed magis confringendam, & conculcandam eſſe.* Atque ex eodem Scriptore diſcimus, Petrobuſianos (g) *ad inauditam divinitatis contumeliam, magno de Crucibus aggere inſtructo, ignem immiſiſſe, pyram feciſſe, carnes coxiſſe, & ipſo paſſionis Dominicæ die Paſchalem Dominicam præcedente, invitatis publice ad talem eſum populis, comediſſe.*

VIII. Eadem fæce pollutos novimus Catharos (ſi tamen a Petrobuſianis diſtinctos illos fuiſſe vis). Quis enim inter *inimicos Crucis* non recenſeat illos, de quibus teſtatur Reinerus: (h) *Nunquam imploraſſe patrocinium Angelorum, vel Sanctorum, ſeu Beatæ Virginis, neque ſe muniſſe ſigno Crucis?* Quod mirum quidem non eſt; intelligimus quippe ex Bonacurſo (i), conſueviſſe illos *Crucem* appellare *characterem beſtiæ*.

IX. Nec ab eo errore alienos Waldenſes volo. Sane, ne multa referam, a libello illo, qui *Iconiſmus Waldenſium* inſcribitur, certiores efficimur (k), in eorum cœtibus nullas extitiſſe *imagines*, *nullas Cruces &c*

X. Quis porro, dum Crucis hoſtes enumerat, Wiclephiſtas prætereat, quando quidem exploratiſſima res eſt, hac quoque de re reprehenſos fuiſſe illos, refutatoſque ab egregio Viro Thoma Walden Titulo 20. cap. 158. 159. & 160., quæ legas opto?

XI. Ecce quos anteceſſores habuerint ii, qui reliquis Eccleſiæ ritibus adverſati, illi potiſſimum obſiſtere

vi-

(e) pag. 491. & 492. editio. Pariſ. 388. & 389. Venetæ.

(f) differ. 2. cap. 6. §. 9. & ſubſe.

(g) folio 16. col. 1.

(h) in libro contra Valdenſes cap. 6. Extat hic liber 2. p. tom. 4. Biblio. Patr. Par. pag. 757.

(i) pag. 209. tom. 1. Spicilegii d'Achery editio. 1723.

(k) to. 4. Biblio. Patrum par. 2. pag. 1194. n. 2.

videntur conſuetudini, quam in retinenda, colendaque Dominica Cruce, & illius imagine, jam pridem ſervavit, & nunc etiam ſervat Eccleſia. Quem tamen morem Lutherani, Calviniſtæ, & reliqui omnes, qui a Romana Eccleſia defecerunt (3), uſque adeo oderunt, ac deteſtantur, ut idololatras, inſanos, excœcatos, & plane perditos Pontificios, Crucis ſcilicet adoratores, ſæpe appellent: quorum quidem nefarias voces repreſſerunt alii vehementer; nos mitiſſime, quod hactenus conſuevimus, non negligenter tamen, nec deſidioſe refutabimus.

SE-

(3) Nonnullos enumerat Petavius, Zanchiſi nempe, Chemniciſi, Petrum Martyrem, Salmaſium, atque hunc quidem *omnium deploratiſſimum* (*) eſſe ait, locaque indicat, in quibus id tradunt. Id ipſum præſtat Magnus Vir Gretſerus [*]. Atque ad hos quidem egregios Scriptores Lectorem delego.

(*) 15. *de incar.* cap. 7. §. 6.

(*) to. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 58. pag. 96. editio. Ratiſbon.

SECTIO II.

DE CRUCE, IN QUA RE IPSA PEPENDIT CHRISTUS.

PRimùm de inventione ejuſdem Crucis diſputabo: eſt enim res, ſi qua alia, ſcitu digniſſima. Ubi id exſecutus fuero, quæſtiones aggrediar tres; primam, an illi cultus a veteribus adhibitus ſit: alteram, an recte, prudenterque adhibitus ſit: explicabit accuratius tertia genus ejuſdem cultus.

CAP. I.

AN REPERTA ALIQUANDO FUERIT EA CRUX, IN QUA RE IPSA PEPENDIT CHRISTUS.

Probatiſſimis monumentis oſtenditur, imperante Conſtantino Magno, fuiſſe repertam.

I. LIcet ex iis, quæ de relativo imaginibus, & reliquiis adhibito cultu tradidi, ſatis conſtet, quàm infirmum ſit illud Proteſtantium argumentũ, quo nos irrident, atque adeo veluti ſuperſtitioſos, atque idololatras diſtringunt, quod putantes Dominicam Crucem nos *adorare*, vile aliquod lignum Dominicæ Cruci nullo prorſus tempore inventæ temere ſuppoſitum adoremus: (ubi enim illa plane intellexerint, quæ antea a nobis tradita ſunt, & deinceps accuratius inculcabuntur, intelligant etiam neceſſe eſt,

eſt, cultum hunc Cruci Sanctiſſimæ delatum, cum Chriſto ipſi deferatur, præcepto Dei minime adverſari, eiſeque & ſapienter inſtitutum, & conſtanter retinendum); tamen, quo magis cognoſcant, ſe circa venerabilem Crucem in errore verſari, ſtatim oſtendam, illam ipſam Crucem, in qua Chriſtus paſſus eſt, Conſtantino Magno imperante inventam: quæ veterum ſollicitudo, & cura facile etiam comprobabit, fuiſſe apud illos Crucem Chriſti, in honore ſummo, longe aliter ac ſibi perſuadeant Proteſtantes.

II. Age itaque monumenta proferamus, quibus id conſtet. Præire Cyrillum Hieroſolymitanum volo, ut pote omnium, qui expreſſiſſime inventæ Crucis meminerunt, vetuſtiſſimum. Is (*a*) inventam ſub Conſtantino Magno vivificam Crucem his verbis affirmat. *Ac tempore quidem Deo dilectiſſimi, beatæque memoriæ patris tui Conſtantini, ſalutare Crucis lignum Hieroſolymis inventum eſt: divina gratia ei, qui pietatem recte quærebat, etiam occultorum Sanctorum locorum inventionem annuente.*

III. Cyrillum ſubſequatur Ambroſius, vetuſtus ipſe quoque, ſed & accuratus, ſcriptor. Hic cum copioſe rei geſtæ ſeriem narret, (*b*) aliqua tantum exſcribam.. „ Venit ergo Helena, cœpit reviſe-
„ re loca ſancta, infudit ei ſpiritus, ut lignum Crucis
„ requireret, acceſſit ad Golgotha, & ait: Ecce lo-
„ cus pugnæ, ubi eſt victoria? Quæro vexillum ſalu-
„ tis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, &
„ Crux Domini in pulvere? ego in aureis, & in rui-
„ nis Chriſti triumphus? ille adhuc latet, & latet
„ palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbi-
„ tror, ſi redemptio ipſa non cernitur?.... Aperit ita-
„ que humum, decutit pulverem: tria patibula confuſa
„ reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconde-
„ rat: ſed non potuit obliterari Chriſti triumphus.
„ Incerta hæret: hæret ut mulier; ſed certam inda-
„ ginem Sanctus Spritus inſpirat, eo quod duo latro-
„ nes cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo
„ medium lignum. Sed poterat fieri, ut patibula in-
„ ter ſe ruina confunderet, caſus inverteret. Redit
„ ad Evangelii lectionem, invenit, quia in medio pa-
„ tibulo prælatus titulus erat: *Jeſus Nazarenus Rex*

Ju-

(*a*) in Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem, in qua miraculum exponit lucidiſſime illius Crucis, quæ Hieroſolymis in aere conſpecta fuerat: n. 3. pag. 352. edition. Touttée, qui novã etiam interpretationem dedit: ſed ego antiqua utor.

(*b*) n. 43. & ſubſequentibus orationis in funere Theodoſii Imperatoris.

„ *Judæorum.* Hinc collecta eſt ſeries veritatis, titu-
„ lo Crux patuit ſalutaris. Hoc eſt quod petentibus
„ Judæis Pilatus reſpondit: *Quod ſcripſi, ſcripſi*, ideſt,
„ non ea ſcripſi, quæ vobis placerent, ſed quæ ætas
„ futura cognoſceret: non vobis ſcripſi, ſed poſteri-
„ tati; propemodum dicens: Habeat Helena quod
„ legat, unde Crucem Domini recognoſcat. Invenit
„ ergo titulum, Regem adoravit, non lignum uti-
„ que, quia hic gentilis eſt error, & vanitas impio-
„ rum, ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcri-
„ ptus in titulo .... Quæſivit clavos, quibus crucifixus
„ eſt Dominus, & invenit .... Miſit & frænum.
„ Utroque uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmi-
„ ſit ad poſteros Reges ... Sapienter Helena, quæ
„ Crucem in capite Regum locavit; ut crux Chriſti in
„ Regibus adoretur .... Corona de Cruce, ut fi-
„ des luceat: habena quoque de Cruce, ut poteſtas
„ regat, ſitque juſta moderatio, non injuſta præce-
„ ptio. Habeant hoc etiam Principes Chriſti ſibi li-
„ beralitate conceſſum, ut ad imitationem Domini di-
„ catur de Imperatore Romano: *Poſuiſti in capite*
„ *ejus coronam de lapide pretioſo.* (*)

(*) Pſ. 20. v. 4.

IV. Id ipſum memoriæ prodidit Paulinus Nolanus (c), qui nonnulla etiam addidit, quæ in Ambroſii oratione deerant, & quibus procul dubio ea narratio plurimum illuſtratur. Audite illum hæc tradentem. „ Regina illa venerabilis (Helena Conſtan-
„ tini mater) ut venit Hieroſolymam .... Crucem
„ Domini ſtudioſiſſime inquirere adorſa eſt. Sed quæ
„ via, vel ratio inveniendi ſubeſſet, cum index ido-
„ neus nemo inveniri poſſet, ubi memoriam, & cu-
„ ram religioſæ conſcientiæ vel obſervantiæ, & anti-
„ quitas ævi, & ſuperſtitionis impiæ diuturnitas abole-
„ viſſet? Verum ipſo omnium & terris, & animis o-
„ pertorum conſcio & teſte Domino, fidelis mulier
„ Sanctum Spiritum per affectum pium meruit: quo
„ aſpirante, cum rem ab humana conſcientia divinitus
„ remotam fruſtra diligens requiſiſſet, de loco tantum
„ paſſionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſolum
„ de Chriſtianis doctrina & ſanctitate plenos viros,
„ ſed & de Judæis peritiſſimos, & propriæ, qua mi-
„ ſeri & gloriantur, impietatis indices exquiſivit, &

(c) in ea ad Severum epiſtola, quæ olim XI. erat, nunc 31. eſt n. 3. & ſubſequen. Ea porro, quæ hic allego, ex n. 5. allego.

„ accitos in Hieroſolymam congregavit. Tum o-
„ mnium una de loco teſtificationis confirmata, juſſit
„ illico, urgente ſine dubio conceptæ revelationis in-
„ ſtinctu, in ipſum locum operam foſſionis accingi;
„ paratâque mox civium pariter, & militari manu,
„ brevi laborem iſtius molitionis hauſit; & contra
„ ſpem omnium, ſed ſecundum ipſius tantum Reginæ
„ fidem, alta egeſtione reſeratis terræ ſinibus, abdi-
„ tæ Crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter
„ cruces, ut quondam fixæ Domino, & latronibus ſte-
„ terant, repertæ fuiſſent; gratulatio repertarum cœ-
„ pit anxia dubitatione confundi, juſto piorum metu,
„ ne forſitan aut pro Cruce Domini patibulum latro-
„ nis eligerent, aut ſalutare lignum pro ſtipite latro-
„ nis abjiciendo violarent. Reſpexit pias fideliter
„ æſtuantium curas Dominus, & ipſi potiſſimum,
„ quæ tam piæ ſollicitudinis princeps erat, hujus con-
„ ſilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum in-
„ quiri, & inferri juberet. Nec mora, verbum fa-
„ ctum: cadaver illatum eſt; deponitur, jacenti una
„ de crucibus admovetur, & altera: ſed reorum li-
„ gna mors ſprevit. Poſtremo Dominicam Crucem
„ prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum mor-
„ te profuga funus excuſſum, & corpus erectum eſt;
„ tremefactiſque viventibus ſtetit mortuus; & fune-
„ bribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, il-
„ lico inter ſpectatores ſuos redivivus inceſſit. Er-
„ go Crux Domini tot operta ætatibus, & a Judæis in
„ tempore paſſionis abſcondita, neque gentibus in ædi-
„ ficatione fani terram ſine dubio ad ipſam fabricam
„ egerentibus revelata, nonne manu (*) latuit, ut
„ nunc inveniretur, cum religioſe quæreretur?

V. Id quoque narrat Rufinus (*d*), tametſi ali-
quibus circumſtantiis nonnihil variatis. Illius quoque
verba referre placet. „ Per idem tempus Helena
„ Conſtantini mater, fœmina incomparabili fide, &
„ religione animi, ac magnificentiâ ſingulari, cujus
„ verè Conſtantinus & eſſet filius, & crederetur, di-
„ vinis admonita viſionibus, Hieroſolymam petit, at-
„ que ibi locum, in quo ſacroſanctum corpus Chriſti
„ patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit.
„ Qui idcirco ad inveniendum difficilis erat, quod
„ ab

(*) Fortaſſe *tam diu*, aut aliud affine.

(*d*) lib. 1. hiſtoriæ additæ Euſebii libris (alias 10.) cap. 7., & 8.

„ ab antiquis perſecutoribus ſimulacrum in eo Vene-
„ ris fuerat affixum, ut ſi quis Chriſtianorum in loco
„ illo Chriſtum adorare voluiſſet, Venerem videretur
„ adorare. Et ob hoc infrequens, & penè oblivioni
„ datus fuerat locus. Sed cum, ut ſupra diximus,
„ religioſa fœmina properaſſet ad locum cœleſti ſibi
„ indicio deſignatum, cuncta ex eo profana, & pol-
„ luta deturbans; in altum purgatis ruderibus tres
„ confuſo ordine comperit cruces. Sed obturbabat
„ reperti muneris lætitiam uniuſcujuſque crucis indiſ-
„ creta proprietas. Aderat quidem & titulus ille,
„ qui Græcis, & Latinis, atque Hebraicis litteris à
„ Pilato fuerat conſcriptus: ſed nec ipſe ſatis eviden-
„ ter Dominici prodebat ſigna patibuli. Hinc jam
„ humanæ ambiguitatis incertum divinum flagitat te-
„ ſtimonium. Accidit, in eâdem urbe primariam quan-
„ dam loci illius fœminam gravi ægritudine confe-
„ ctam ſeminecem jacere. Macarius per idem tem-
„ pus Eccleſiæ illius Epiſcopus, ubi cunctantem Re-
„ ginam, atque omnes pariter, qui aderant, videt:
„ Adferte, inquit, huc totas, quæ repertæ ſunt, cru-
„ ces: & quæ ſit, quæ portaverit Dominum, nunc no-
„ bis adaperiet Deus. Et ingreſſus cum Reginâ pa-
„ riter, & populis ad eam, quæ decumbebat, defi-
„ xis genibus, hujuſcemodi ad Deum precem profu-
„ dit. Tu Domine, qui per unigenitum Filium
„ tuum ſalutem generi humano per paſſionem crucis
„ conferre dignatus es, & nunc in noviſſimis tempo-
„ ribus adſpiraſti in corde ancillæ tuæ perquirere li-
„ gnum beatum, in quo ſalus noſtra pependit, oſtende
„ evidenter ex his tribus, quæ Crux fuerit ad Domini-
„ cam gloriam, vel quæ extiterit ad ſervile ſupplicium,
„ ut hæc mulier, quæ ſemiviva decumbit, ſtatim ut
„ eam lignum ſalutare contigerit, a mortis januis re-
„ vocetur ad vitam. Et cum hæc dixiſſet, adhibuit
„ primo unam ex tribus, & nihil profecit: adhibuit
„ ſecundam, & ne ſic quidem aliquid actum eſt: ut
„ vero admovit tertiam, repente adapertis oculis
„ mulier conſurrexit, & ſtabilitate virium receptâ,
„ alacrior multo, quàm cum ſana fuerat, totâ domo
„ diſcurrere, & magnificare Domini potentiam cœpit.
„ Sic evidenti indicio Regina voti compos effecta, Tem-

„ plum

„ plum mirificum in eo loco, quo crucem repererat, „ regiâ ambitione conſtruxit. Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frænos compoſuit, quibus uteretur ad bellum. Ex aliis galeam nihilominus belli uſibus aptam fertur armaſſe. Ligni vero ipſius ſalutaris partem detulit filio, partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco; quæ etiam nunc ad memoriam ſollicitâ veneratione ſervatur.

VI. Atque ad hos quidem Scriptores, ſed præſertim ad Paulinum reſpexiſſe videtur Sulpitius Severus, dum hæc ſcriptis prodidit. (*e*) „ Ejuſdem Reginæ beneficio crux Domini tum reperta: quæ neque in principio, obſiſtentibus Judæis, potuerat conſecrari, & poſtea dirutę civitatis oppreſſa ruderibus, nonniſi tam fideliter requirenti meruit oſtendi. . . . . Hic vero major dignoſcendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos, menteſque turbaverat, ne errore mortalium forſitan pro cruce Domini latronis patibulum conſecrarent. Capiunt denique conſilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. Nec mora, quaſi Dei nutu, funeris extincti ſolemnibus exequiis deferebatur, concurſuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius fruſtra crucibus admotis, ubi Chriſti patibulo attactum eſt, dictu mirabile, trepidantibus cunctis, funus excuſſum, & inter ſpectatores ſuos adſtitit. Crux reperta, dignoque ambitu conſecrata. „

VII. Inventæ pariter Crucis meminere Chryſoſtomus (*f*), Socrates (*g*), Sozomenus (*h*), Theodoretus (*i*), Caſſiodorus (*k*), Acta S. Luciani (*l*), Gregorius Turonicus (*m*), Hormiſda (*n*), Andreas Cretenſis (*o*), Zonaras [*p*], Cedrenus (*q*), Glycas (*r*), Menologium Græcorum (), Alexander Monachus (*t*), Juſtinianus (*u*) & Leo (*x*) Imperatores, Beda (*y*), Freculphus (*z*), Theophanes (*a*) (1), Anaſtaſius Bibliothecarius (*b*), Ni-

(*e*) lib. 2. hiſtoriæ ſacræ pag. 379. editio. Sigonii: & cap. 49. pag. 372. editio. *cum notis* (ut ajunt) *variorum*.

(*f*) homi. 85. aliàs 84. in Joan. pag. 505. to. 8. editio. Montfau.

(*g*) capite olim 13. in editio. Valeſii 17. libri 1.

(*h*) cap. 1. libri 2.

(*i*) capi. 18. libri 1.

(*k*) in tripartita: lib. 2. cap. 18.

(*l*) Apud Metaphra. in Surio to. 1. die 7. Janua. pag. 158. & to. 1. Bollan. pag. 362.

[*m*] cap. 34. libri 1. hiſto. Franco., & 1. de glor. mar. cap. 5. & 6.

[*n*] in epiſto. ad Euphemiam Auguſtam pag. 615., & 616. to. 5. Concilio. *Nec ejus major eſt gloria, qua humana ſalutis ligni ſcrutata eſt, & ſolam Crucem, quam omnis veneratur Mundus, invenit.*

(*o*) *in exalta. S. Crucis*. Habetur tom. 2. Gretſeri pag. 79. edi. Rat.

(*p*) li. 13. anna. cap. 2. pag. 4. editio. Vene. pariſi. 5. to. 2.

(*q*) in annali., ſeu *hiſto. comp.* pag. 225. editio. Vene. Pariſi. vero 284.

(1) Verba Theophanis, ut pote rem, de qua agimus, diligentiſſime & minute deſcribentia, minime omittenda

da (*r*) in

(*b*), Nicephorus Calixtus (*c*), Joannes Malala (*d*), Joannes Phoca (*e*), Ado quoque, (*f*) Hermannus Contractus, (*g*) & Otto Phriſingenſis. (*h*) Quos omnes num præiverit Euſebius Cæſarienſis, deinceps dicemus.

CAP.

---

da putavi. Quia tamen multa habet id ipſum narrantia, quod Scriptores paulo ante allegati in paginæ calcem rejeci. Sic nec repetita ejuſdem rei narratione fatigabitur Lector, nec ea deſtituetur. ,, Eodem ,, anno beatam Helenam cum ingenti pecuniarum pondere, ad vivificam Domini crucem perquirendam, ,, divinus Conſtantinus Hieroſolymam miſit. At cum ,, debito honore Imperatrici factus obviam Macarius ,, Hieroſolymorum Patriarcha una cum ipſa ſemotus a ,, comitatus tumultu, mentis dico tranquillitate, fervidis orationibus, & jejuniis vacans, deſiderati ligni ,, perquiſitionem agebat. Quibus ita perſolutis, divino tandem nutu, locus, quo Veneris impuri dæmonis templum ac ſimulacrum erecta fuerant, ipſi ,, Macario manifeſtatus eſt: cumque Helena divinitus ,, coronata Imperatrix regia poteſtate uſa, operarum ,, adhibita multitudine, a fundamentis effoſſum dejecit, ,, rudera exportavit, & cuncta ab Ælio Adriano quondam ibi magnis ſumptibus conſtructa demolita eſt, & ,, expurgavit. Confeſtim vero ſanctum monumentum ,, detectum, & Calvarii locus patefactus, & his proxime tres cruces ad Orientem effoſſæ: ſed & ſtudioſius inveſtigantibus clavi etiam reperti. Anxiis ,, vero cunctis, quæ utique crux Dominica foret, & ,, & beata Helena valido mœrore confecta, Macarius ,, Epiſcopus proprii nominis claritudine beatus, dubium ,, omne fide ſua diſſolvit. Illuſtrium enim fœminarum cuidam de vita deſperatæ, & jam animam agenti, hujus, & illarum Crucium admotis lignis, Dominicam agnovit. Nam ut ad infirmam ſola acceſſit ,, umbra, quæ abſque ſpiritu, & omni motu deſtituta jacebat, divina virtute confeſtim exiliit, & magna voce Deo laudem reddidit. Pientiſſima vero ,, Helena cum tremore, & plurimo cordis tripudio vivifica cruce ſublata, partem quidem cum clavis ad ,, filium detulit: aliam autem argenteo loculo incluſam ,, Macario Epiſcopo tradidit, ſequuturæ deinceps poſteritati munumentum. ,,

(*r*) in anna. par. 4. pag. 195. edit. Vene.

(*ſ*) 14. Septem. tomo 3. the. mon. Cani.

[*t*] *de invention. S. Crucis* tom. 2. Gretſe. *de Cruce* pag. 24.

(*u*) auth. coll. 4. t. 7. Novel. 28.

[*x*] in epiſto. ad Umarum to. 3. Bibliothe. Patrum: Eam etiam habes pag. 59. tom. 2. Gretſe.

(*y*) De locis Sanctis cap. 2.

(*z*) to. 2. lib. 3. cap. 18. pag. 1170. to. 14. Biblio. Pa. Lug.

(*a*) in Chronogra. ad an. Conſtan. 20. pag. 16. edit. Vene. Pariſi. 20.

(*b*) in Euſebio. ſect. 32.

[*c*] lib. 8. cap. 20.

(*d* editus pridem fuerat: ſed rurſus editus eſt Venetiis a Joanne Baptiſta Paſquali anno 1733. Verba, quæ allego, habes parte 2. *de Conſtan.* li. 13. pag. 4.

[*e*] in Symmictis Allatii. Rurſus editus eſt Venetiis anno 1733. n. 14. pag. 8. Scripſit hic auctor imperante Manuele Comneno.

(*f*) ætat. 6. *in Conſtantin.*

(*g*) in Chroni. ad an. 324.

(*h*) Chroni. par. 1. lib. 4. cap. 5.

CAP. II.

Aggredimur objectiones, & hoc quidem in capite diſſolvimus argumentum, quod ab Euſebii, & ceterorum Conſtantini æqualium ſilentio repetunt.

I. Sed evellamus oportet eas, quas Proteſtantes (*) ſuę dubitationis prætextunt cauſas, oſtendamuſque levia eſſe, atque imbecilla argumenta illa, quibus rem indubitatam infirmare nituntur, & dubiam reddere. Quoniam vero plurima in nos intorquent, articulatim ea producamus, atque hic quidem id proferre libet, quod ex Euſebii, & ceterorum Conſtantini æqualium ſilentio deſumunt. Ne quis vero me reprehendat, quaſi attenuem vim argumentationis, qua nos urgent Proteſtantes, iis ipſis uti libet verbis, quibus diſputat Dallæus, hiſtoriæ hujus, ſi quis alius, infenſus hoſtis. Audite itaque illum ſic diſſerentem: (*a*) „ Certe qui rei „ tam, ſi vera fuit, admirabilis, ad quam Helena & „ ſuſcipiendam divinis revelationibus admonita, & per„ agendam multis, magniſque miraculis, etiam cu„ juſdam mortui reſurrectione confirmata fuiſſe dicitur, „ qui rei, inquam, omnium, quæ illo ſæculo accide„ runt, maxime, ſi iſtis creditur, memorabilis me„ minerit, plane nemo reperitur eorum quidem, „ qui Helenam viderunt, iiſdemque cum ea tem„ poribus vixerunt. Euſebium Cæſareæ Urbis, in Hie„ roſolyma vicinia poſitæ, Epiſcopum, Conſtantini „ Auguſti, & Helenæ familiarem, id, ſi vere factum eſ„ ſet, neſciviſſe, nemo opinor dicet. Hoc eundem, „ ſi ſciviſſet, in deſcribendis Helenæ laudibus, & actis „ ad Chriſtianam pietatem pertinentibus prætermiſſu„ rum fuiſse, quo nihil eſse fertur in omni Auguſtæ il„ lius vitâ excellentius, mirabilius, celebrius, nemo cor„ datus credit, qui quidem Euſebium, non dico Epi„ ſcopum, non dico doctum, & eruditum Scriptorem, „ ſed

(*) Magdeburgenſes, Hoſpinianus, Dallæus &c. Id pariter negant Salmaſius (in epiſtolis *de Cruce*, *& in annotationi. ad Sulpicii Severi* locum jam allegatũ: Hornius, ipſe pariter in añotatio. in eundem Sulpitii locum) Spanhemius, & Baſnagius, a Sanctiſſimo Benedicto XIV. (*in annotatio. ad feſtum inventionis S. Crucis* n. 549.) allegati, aliique etiam.

(*a*) *de cultus religioſi objecto* li. 5. cap. 1. pag. 705. edition. Gene. 1664.

„ ſed vel virum fuiſse conceſserit ſenſus communis non „ plane expertem. At Euſebii luculentiſſimum extat „ *de Conſtantini vita* inſcriptum, & in quatuor libros „ diſtinctum opus; in cujus parte tertia multis ille „ Helenæ pietatem laudibus effert; illud ipſum Augu- „ ſtæ in Judæam iter deſcribit, in quo Crucem Domi- „ nicam Latini ab ea repertam fuiſſe volunt; res in „ Judæa geſtas narrat; duas nominatim Eccleſias, unã „ Bethelemi, alteram in monte olivarum Deo ab ea „ poſitas, ac conſecratas memorat; tum de piis ejuſ- „ dem & in totas Eccleſias, & in ſingulas per Orien- „ tem largitionibus; poſtremo de beato, ac Chriſtia- „ no illius obitu non paucis perorat: de Cruce Do- „ mini repertâ, non modo verbum facit nullum, ſed „ ne leviſſime quidem quidquam, quod eò referri poſſit, „ innuit. Quod autem in talibus locis tacet vir & „ eruditiſſimus, & talium curioſiſſimus, & Helenes, ut „ apparet, ſtudioſiſſimus, id eum neſciviſſe, ego qui- „ dem non dubito: non dubitabit quiſquis mecum ex „ vero, citra animi ſtudium, judicabit. Rem vero „ tantam, ſi vere eo tempore geſta eſſet, neſciviſſe „ Euſebium, nemo niſi ſtultus, putaverit. Hoc ar- „ gumentum tanti eſt, ut unum ad difflandam atque „ diſplodendam omnem illam de Cruce ab Helena in- „ ventâ narrationem ſatis ſit. „ Audiſtis hactenus, quod paulo ante dixi, Dallæum ex ſilentio Euſebii diſputantem. Noſtræ nunc partes ſunt, ratiocinationem hanc, quæcunque ea ſit, refellere; quod ſic exſequor.

II. Num familiaris Helenæ Euſebius fuerit, an non, nunc non agitur; iique minime errare videntur, qui id negant, præſertim quum neminem noverimus familiarem fuiſſe Helenæ ex iis, quos Ariana factio ſuſpectos Catholicis reddebat. Porro Euſebium Cæſareenſem Arianorum partibus indulſiſſe, fortaſſe etiam faviſſe maxime, [b] valde probabilis virorum doctiſſimorum opinio eſt, cui non leve robur adjungunt ea Euſebii in Pſalmos comentaria, quæ edidit Mont-faucon [c]. Sed hæc, aliaque a Dallæo poſita concedamus, ſtatuamuſque, quod Dallęus vehementer expoſcit: Euſebium & propter loci, cui Epiſcopus præerat, propinquitatem, & propter ſummam cum Conſtantino, atque Helena familiaritatem, minime ignoraſſe Dominicę Crucis inven-

(b) De hoc argumento copioſe egi, quum *de Verbi divinitate* datâ operâ diſſerui.

(c) *Nova Patrum Collectio.* tom. 1. *in prolim. in Euſebii commenta.* cap. 6. pag. xv. &c.

tionem, ſi vere inventa fuit eadem Crux. An continuo fabulis accenſenda ea narratio, ex qua eam inventam novimus? Minime vero. Duas porro ſolutiones huic argumento adhibitas vidi. Utra præſtet, judicaverit Lector. Summas vires in eo argumento, quod *negativum* dicimus, ineſſe is negabit, qui ea legerit, quæ edocuerunt præclariſſimi ii Scriptores, quos allegavi in margine capitis 33. diſſertationis IX. (d) His, ſi vis, illud adde exemplum, quod præbet Evagrius [e]: nam ex eo ipſo videbis, omitti aliquando a Scriptoribus, tāetſi diligentibus, id, quod ad eorum rem videbatur maxime facere. Ceterum Euſebius (*) minime negat, Helenam inveniſſe Crucem, quamvis peculiariter, & minute non deſcribat ejuſdem Crucis inventionem. Silentium hoc Euſebii (ſi appellare ita vis) non pauci referunt vel in antiquam Scriptorum conſuetudinem, ut id minime deſcriberent, quod omnibus notiſſimum eſset, vel propterea id factum ajunt, quod de Conſtantini geſtis agens, fuſius de Helenæ geſtis differere non habuit in animo. Hinc carptim, & niſi fallimur, minime ſervato temporum ordine, [f] de Helenæ itinere, & ædificiis agit. Laudem porro ob Eccleſiam Reſurrectionis ædificatam tribuit Conſtantino, & Eccleſiam Bethleemis, alterā quoque in loco, in quo Chriſtus ad Cælum aſcendit, curæ Helenæ tribuit, quia vel Conſtantini ſumptibus erecta prima eſt, reliquæ duæ ſumptibus Helenæ; vel quia primam, quam tantum inchoaverat Helena, magnificentiſſime perfecit Conſtantinus, plurimiſque donariis auxit. En prima reſponſio.

III. Negat altera, id omiſſum fuiſſe ab Euſebio. Et revera ad eam, de qua agimus, inventionem reſpicere videtur Euſebius, dum Conſtantinum hæc ad Macarium Hieroſolymorum Antiſtitem ſcripſiſſe affirmat. (g)
„ *Victor Conſtantinus Maximus Auguſtus Macario.*
„ Tanta eſt Servatoris noſtri gratia, ut nulla ſermonis
„ copia ad præſentis miraculi narrationem ſufficere
„ videatur. Nam ſacratiſſimæ illius paſſionis monu-
„ mentum, ſub terra jam pridem occultatum tot anno-
„ rum ſpatio detuliſſe, quoad communi omnium ho-
„ ſte ſublato, famulis ejus in libertatem vindicatis af-
„ fulgeret, omnem revera admirationem ſuperat. Nam
„ tametſi omnes, quotquot ubique terrarum ſapientes
„ habentur, in unum coacti, aliquid pro hujus rei di-

„ gni-

(d) §. 2.
(e) lib. 1. hiſto. cap. 13. edit. Valeſii. *Verum deprehendimus id ab illis præcipuè omiſſum eſſe &c.*
(*) *de vita Conſtan.* 3. 41.
(f) *de vita Conſtantin.* Bollan. 3. Maii n. 5. pag. 362. *encomium potius ejus texendo quàm ordinatam, & hiſtoricam rerum ab ea in Oriente geſtarū narrationem.*
(g) li. 3. *de vita Conſtantini* cap. 29. in editione Chriſtophorſoni. 30. in editione Valeſii.

„ gnitate dicere inſtituerint, ne ad minimam quidem
„ ejus partem aſpirare poſſe mihi videntur. Quippe
„ hujus miraculi fides, omnem humanæ rationis ca-
„ pacem naturam tantum excedit, quantum humanis
„ divina præcellunt. Quocirca hic unus mihi, ac præ-
„ cipuus ſemper eſt ſcopus, ut quemadmodum verita-
„ tis fides novis quotidie miraculis inclareſcit, ſic et-
„ iam mentes omnium noſtrûm ad ſanctiſſimæ legis ob-
„ ſervantiam cum omni modeſtia & concordi alacrita-
„ te incitentur. Quod quoniã omnibus perſpectiſſimum
„ eſſe confido, illud tibi in primis perſuaſum velim, ni-
„ hil mihi antiquius eſſe, quàm ut ſacrum illum locum,
„ quem Dei juſſu turpiſſima adjectione ſimulacri, velut
„ gravi quodam pondere exoneravi; & qui ab initio
„ quidẽ Dei judicio ſanctus fuit, poſtea verò multò ſan-
„ ctior effectus eſt, ex quo Dominicæ paſſionis fidem in
„ lucem protulit; eum, inquam, locũ fabricarum pul-
„ chritudine exornemus. „ Quendã etiã locũ comenta-
riorum in pſalmos adjungunt, in quo quidem ad mira-
cula in Crucis inventione facta reſpicere videtur. (*)

IV. Nec defuere, qui id ab eodem Euſebio expreſ-ſe traditum fuiſſe ajunt: proferunt vero locum quendam Chronici ejuſdem Euſebii a S. Hieronymo latinitate donati: atque ad hunc quidem modum locus ille ſe habet: *Helena Conſtantini mater, divinis monita viſionibus beatiſſimum Crucis ſignum, in quo Mundi ſalus pependit, apud Jeroſolymam reperit.*

V. Sed ne quid diſſimulẽ, aliena manu, eaque Hieronymo ipſo poſteriore fuiſſe additũ poſtremũ hunc locũ, Viri etiam præclari tradunt (*b*). Ab Euſebio tamen, aut ſaltem a Hieronymo ea fuiſſe ſcriptis tradita, alii aſſeverant: & eam ob cauſam nonnulli Codices ea verba habent. (*i*) Quod ſi iiſdem verbis alii Codices carent, in librariorum longo labore feſſorum & finem moleſtæ ſcriptioni imponere cupientium negligentiam id referunt: ob quam fit, ut pleraque Codices in fine præſertim mutilati ſint, & mendoſi: de quo quidem argumento ſatis alibi egimus. De loco autem illo *comentariorum in pſalmos* quid judicem, anceps hæreo. Illum expendat lector, & quod veriſimilius cenſuerit, eligat. Ea porro quæ priore loſunt recitata, (*) mihi videntur valde apta; indicat enim, (niſi plane fallor) Euſebius Dominicam Crucem verbis illis: *paſſionis monumentum . . . occultatum &c.*

(*) Hæc didici ex Clariſ. Touttée in annot. in n. 3. epiſtolæ Cyrilli ad Conſtant. Porro Euſebii verba a Montfaucon latinitate donata ad hunc modum ſe habent; *Quod ſi quis animũ adhibeat iis, quæ noſtro tempore ad ſepulcrum & Martyrium Salvatoris noſtri patrata ſunt, mirabilibus, is ſanè deprehendet quo pacto ea quæ prænunciata fuerant, opere completa ſint.* in Pſal. 87. n. 12.

(*b*) Conſule quæ hoc ſuper argumento docet Papebrochius cap. 3. n. 26., & 27. (Typographi errore poſtremum hoc caput notatur 28.)

(*i*) Vide quæ monent Veronenſes hujuſce Chronici editores ad an. Conſtantini XV. & ſubſequent. & Sanctiſ. Benedi. XIV. in annotatio. ad *feſta Sanctorum* in feſt. *inven. S. Crucis*.

(*) ex vita *Conſtantini* lib. 3. cap. 30.

CAP. III.

Expendimus conjecturas, quibus adverſarii innituntur, ut Dominicam crucem minime repertam affirment.

I. SEquitur, ut eos refellamus, qui conjecturas quaſdam ſuas in medium adducentes, dictitare non verentur, his manifeſto redargui narrationem eam, quæ Dominicam crucem Conſtantino imperante inventam fuiſſe docet. Atque hic quidem eas prætereo, quæ adverſus probationes noſtras afferuntur: nam has deinceps adducemus, & hic tantummodo eas recenſeo, quæ adverſus narrationem ipſam directe, ut ita loquamur, militant. En ſtatim eas. Simillimum veri eſt, combuſſiſſe Judæos ſtatim, aut ſaltem abjeciſſe tum Dominicam Crucem, tum eas etiam, quibus affixi fuere ii latrones, *in quorum medio* ſuffixus eſt Cruci Chriſtus: quis enim patibula ſervet, quibus ſontes appenduntur, aut affiguntur? Non ergo peculiari loco, & humo aggeſta ſervata eſt Dominica Crux. Minime ſane veriſimile id eſt, quod in narratione hac traditur: diu ſcilicet multa humo ſuper aggeſta abditas Cruces, ab Helena demum fuiſſe inventas, e quibus, ut Dominica reliquis ſimillima diſcerneretur, ad miracula ventum eſt. Nonne multa humus eiſdem Crucibus ſuperpoſita, perque tria ſecula illis incumbens, illas plane diſſolviſſet, ſi ſub ea vere jacuiſſent? Humor ſcilicet, quo humus imbuitur, inficit primum ligna, quæ premit, tum mucore, & tabe in ea inductis plane diſſolvit & conſumit. Quis ergo ſibi in animum inducet, per tria ſæcula perſtitiſſe integras eas Cruces, adeo ut eas integras repererit Helena, atque inter eas prompto miraculo dominicam ſelegerit, & propoſuerit ad adorandum? Fit autem multo minus veriſimilis fabula, ſi adverteris, potuiſſe fortaſſe, ſi vis, ob immanem molem, qua eas conſtare nonnulli finxerunt,

in-

integras perſtare Cruces; at integer perſtare non potuit titulus, levi fragilique tabella conſcriptus: & tamen (horum quidem mendacium Scriptorum ſententia) integer prorſus, & ſine ulla labe repertus eſt; adeo ut ſi Ambroſio, & Chryſoſtomo credimus, eo indicio potuerit Helena dominicam Crucem a reliquis dignoſcere. (*) En conjectura illa, cui tantum fidunt adverſarii noſtri, ut ab ea potiſſimum ad irridendam eam, quæ Catholicorum animis inhæſit *de inventa Dominica Cruce*, perſuaſionem, ſe moveri affirment. Audite tamen & reliquas, quas minori habent in pretio. Si Crux primùm eo in loco abdita eſt, ex quo deinceps erui potuit, eum procul dubio novere Chriſtiani; quorum maxime intererat (ſi Pontificiis fidem damus) ne Dominica Crux periret. Ignoravere tamen id pro ſus priores Chriſtiani, qui neque quando orabant ad eum locum ſe vertebant, ubi eadem Crux erat abdita (& tamen Pontificii quum orant, ſe ad aliquam Crucem vertunt) neque de ea perquirenda fuere ſolliciti: adeo ut *viſis*, & *ſomniis* fingatur impulſa Helena, ut Crucem perquireret: neque locum noverant, ubi eadem Crux ſepulta fingitur. Hinc in eâ, quæ *de Cruce inventa* circumfertur fabulâ, non Chriſtianos, ſed Judæos conſulens inducitur Helena: quæ tamen id a Judæis omnino conſequi non potuiſſet, ſi id optaſſet, oderant enim memoriam quamlibet Redemptoris Judæi, quos propterea (quod nuper diximus) ſimillimum veri eſt combuſſiſſe ſtatim, aut ſaltem abjeciſſe cum reliquis, Dominicam Crucem.

II. Et his argumentis innixi Salmaſius, aliique Salmaſii ſimiles rem exploratiſſimam non modo in dubium vertere, verum etiam prorſus negare ſe jure meritoque poſſe confidunt. Quàm imprudenter id fiat, ſubſequentibus animadverſionibus Lector comprehendet. Judæos conſueviſſe reorum cruces, aut comburere, aut projicere minime evincis. Quin ex probabilibus monumentis diſcimus, reos ſepeliri conſueviſſe cum inſtrumentis ſupplicii & mortis illis inflictæ. (*) Id itaque peractum fuiſſe cum Chriſto, & cum latronibus illis, in quorũ medio crucifixus eſt Jeſus, certo crediderim. Neque is minus veriſimilia proponeret, qui diceret, ideo ſepultas fuiſſe cum Dominica Cruce reliquas duas, quia aliò

(*) Conſule dicta cap. 1. §. 3. & quæ docet Chryſoſtomus homi. 85. in Joan.

(*) Conſule, obſecro, quæ tradit Gretſerus tom. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 37. pag. 57. editio. Ratiſbon. §. *accedit conſuetudo*. Allegat autem teſtes hujuſce conſuetudinis Baronium, & Velſerum; ſed nec prçterii Hebræorum libros: ex quibus aſſequimur, *vetitum fuiſſe cadavera damnatorum inferre in ſepulcra cæteris communia; ſed in privata ſeorſim ab aliis fuiſſe ponenda; rurſumque ſeparatim pariter ſepeliri debere inſtrumenta illa, quibus mors illata fuiſſet, nempe cruces, clavos, enſes, lapides, pro mortis genere, quo quis interiiſſet*, eaque ratione vetitum etiam fuiſſe tradunt, *aliquem ſuffigi arbori, ſed ex ligno exciſo crucem componendam fuiſſe, eamque ſeorſim ſepeliendam cum reliquis ad mortem adhibitis inſtrumentis*.

ſor-

fortaſſe deducta ſunt latronum illorum, ut pote infamium, & ex minuta plebe hominum, & vili campo ſepulta corpora; ad quem quidem locum difficilius fuiſſet, & laborioſius, deferre etiam cruces, quibus ſuffixi fuere. Cum eorum vero cadaveribus ſepulti fuere tantummodo tituli crucibus eorum affixi, ut mos ille, de quo nuper egimus, utcunque ſervaretur; dum vero prope ſacrum Chriſti ſepulcrum condita fuit illius Crux, reliquæ duæ conditæ fuere etiam, & aggeſta humo obrutæ. Hinc, cum dominica Crux inventa eſt, reliquas duas Cruces inventas quidem novimus, & titulum, qui antea dominicæ Cruci fuerat ſuperpoſitus, & per id tempus ſeorſim jacebat. Dum hæc tradimus, neque ad peculiarem divinam providentiam, neque ad curam aliquam Joſephi ab Arimathęa, Nicodemi, aliorumque diſcipulorum, ſi qui fuere in curando Chriſti funere, minus timidorum confugimus. Cæterum qui ad hæc confugeret valde probabilia proponeret. (*) Celebria enim ſunt Sancti Leonis monita, decreviſſe Dominum vertere in triumphi occaſionem, quod fuerat ſupplicii, & pœnarum inſtrumentum. (*)

III. Conjectura porro alia, cui maxime fidit Salmaſius, mea quidem opinione, leviſſima eſt. Robur, quercus, & affines arbores ut firmiores fiant, & magis dureſcant, ſub aquis ſepeliuntur; hinc Venetæ naves præliis deſtinatæ ut robuſtiores reddantur, & adverſus tormentorum bellicorum impetus validiores, conſtruuntur ex quercubus, quæ plurimis annis ſub aquis detentæ fuerunt. Sed dic age; unde ſcis, humorem, & aquas pluvias eo uſque penetraſſe, ubi conditæ eæ cruces fuere? Memoriæ ſane proditum eſt, plurimam terræ copiam iiſdem crucibus ſuperimpoſitam fuiſſe, ædificia etiam ſuper illas fuiſſe conſtructa, Potuerunt itaque Cruces illæ citra miraculum integræ ſervari; ſæpe enim domorum fundamenta dum jacimus, nonnulla occurrunt multis antea ſæculis illic poſita, eaque integra prorſus, atque illæſa. Id porro titulo dominicæ crucis accidere potuiſſe, nemo niſi plane in opinione ſua pervicax, denegabit; præſertim cum plerique putent, valde firmum, & probe compactum fuiſſe illum. Quod ſi adhuc pugnaciſſime vis labem aliquam ab illo fuiſſe contractam, tibi minime obſiſtam; neque enim integrum titulum habemus nunc, neque

(*) Vide quæ tradit Paulinus n. 3. epiſtolæ olim 11., nunc 31. *ad Severum*.

(*) Recole quæ diximus capite 2. diſſertationis VII. §. 8. &c.

que labis prorſus expertem fuiſſe illum, cum inventus eſt, vetuſti Scriptores prodidere. (*)

IV. Hactenus primæ conjecturæ ſatisfecimus: reliquas nunc aggrediamur. Sciviſſe olim Chriſtianos, ubi nã Dominica Crux fuerit condita, ex eo conjicimus, quod ne locus ille ab iis frequentaretur, impium delubrũ ibi erectum eſt a Gentilibus. (*) Illud ne colere viderentur, ab eo loco frequentando caverunt Chriſtiani, e quorum proinde memoria facile excidit monumentum illud. At non omnino ex eorum memoria excidiſſe ii indicant, qui *Urbis incolas* ab Helena etiam conſultos affirmant: a Judæis enim illos ſecernunt, dum *Judæos* quoque ab ea conſultos ajunt. Porro Catholici ad Crucem, ſi quam præſentem habent, ſe vertunt, quia in ea Chriſtum Dominum repræſentari ſcientes, ab illius aſpectu ad pietatis devotioniſque ſenſus excitantur. Ceterum nemo tradidit, conſueviſſe illos, aut nunc ſolere ſe jugiter vertere ad locum illum, in quo ſervari ſciunt Dominicæ Crucis fragmentum aliquod.

V. Quæ de Hæbræis ab Helena locum Dominicæ Crucis perquirente conſultis proditum eſt a nonnullis, ita accipitur a Papebrochio, ut ab iis tantum exquiſierit paſſionis locum. Si quis tamen pertinaciter conſultos vellet ab Helena Judæos (dummodo hic notam de Cyriaco carcere concluſo, damnatis ad mortem Judæis, niſi ſtatuto tempore Crucis locum revelaſsent, fabellam non commemoret: ea enim narratiuncula putida eſt, & a veriſimilitudine prorſus aliena, & jam dudum a Gelaſio, quod mox dicemus, rejecta:) dummodo, inquam, fabellam eam non commemoret, ego quidem minime obſiſtam: fortaſſis enim Judæorum conſilio, atque opera tam copioſâ humo ſuper inductâ contecta eſt Dominica Crux, & amoto titulo, cum ceteris permixta, ne a ceteris dignoſceretur: (*) novimus enim, Hebræos ſubducere ſtuduiſse Chriſtianis ea, quæ a nobis ſacro honore afficiuntur: hinc Gentiles incitatos ab iis novimus, ut in ſacra martyrum cadavera furerent, ne ſcilicet ea a Chriſtianis recepta colerentur. (*a*) Potuit autem captum ab avis conſilium feris etiam innoteſcere nepotibus, ideoque notus iis potuit locus eſse, in quo ſepulta fuerit Dominica Crux.

(*) Sane hæc de ... titulo habet Nicephorus cap. 20. li. 8. *Ceterum, quod litteræ diffluxerant, & tabula temere acta jacebat &c.*

(*) Sozome. lib. 2. cap. 1. Paulinus epiſto. olim 11. nunc 31. ad Sever. n. 3. Num. vero 5. hæc ait: *Memoriam & curam religioſæ conſcientiæ vel obſervantiæ, & antiquitas avi, & ſuperſtitionis impia diuturnitas aboleviſſet.*

(*) Conſule quæ tradit Paulinus in epiſto. olim 11. nunc 31. ad Sever. n. 3.

(*a*) Vide n. 17. actorum S. Polycarpi pag. 37. Ruinart edit. Veron.

CAP.

CAP. IV.

Ea afferimus, ac diſſolvimus, quæ tum a nobiliſſimo Gelaſii Decreto, tum a notis, atque indiciis quibuſdam repetunt, quibus dubiæ, atque adeo ſpuriæ, fallaceſque narrationes a certis ſinceriſque ſecerni ſolent.

I. AT validius dictis his inſurgunt in nos adverſarii. Pontificiis detur, ut libet, diſsolvi ſuperiora poſſe: An id diſsolvent, quod ex vetuſtiſſimi ſapientiſſimique Pontificis decreto adverſus eã narrationẽ, quæ Dominicæ Crucis inventionẽ minute atque exacte deſcribit, urgetur, ineluctabile prorſus, & inenodabile? Nimirum Gelaſius, qui quinto ipſo Eccleſiæ ſæculo magna cum ſanctitatis, ac doctrinæ laude floruit, fabellis nuper inventis accenſuit eam, quæ a Pontificiis adeo extollitur, & commendatur, *de inventa Dominica Cruce* narrationem. Ecce ipſa decreti verba (*a*): *Item ſcriptura de inventione Dominicæ Crucis, & alia ſcriptura de inventione capitis B Joannis Baptiſtæ novellæ quidem relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt: ſed cum hæc ad catholicorum manus pervenerint, Beati Apoſtoli Pauli præcedat ſententia. Omnia probate, & quod bonum eſt, retinete.* Quid expreſſius ad refutandam eam, cui unice fidunt boni Pontificii, hiſtoriolam?

(*a*) Reperies decretum iſtud pag. LXI. tom. 4. Anaſta. Bibliothe. editio. Romanæ: ſed hæc, quæ allego, verba habes pag. LXV.

II. At hæc ipſa interea omittamus; aliunde etiam conficta noſcitur ea narratio. Animum ſerio advertamus ad eas regulas, quibus innituntur Critici, ut certa ab incertis, ſincera a falſis, atque ementitis ſcriptis ſecernantur. Eminent ſane ſubſequentes: ab antiquioribus Scriptoribus, quorum maxime intererat id narrare, prorſus omittitur: ii porro qui deinceps ea de re ſcripſere, in circumſtantiis iis, quas iidem Critici *ſub-*

ſtan-

ſtantiales appellant, minime conveniunt, ſed plane diſſident. Conſtat itaque, eos fallaci neſcio qua fama illuſos, narratiunculam de Cruce inventa nobis obtrudere voluiſſe. Audi num vera eloquar. Tempus hujuſce inventionis ſi perquiras, diverſum plane tibi indicabunt hujuſce fabellæ fautores. Ut ea præteream manifeſta errata, quæ in Florentini, aliaque illi ſimilia vetuſta Martyrologia irrepſerunt, Euſebio Romanum Pontificatum obtinente, id eveniſſe ait Anaſtaſius Bibliothecarius (*b*). Alii annum 13. Conſtantini huic rei aſſignant. Num hos, an potius Anaſtaſium ſequatur Bellarminus, dum ad initium Imperii Conſtantini id rejicit, (*) incertus hæreo: certo tamen novimus, pleroſque annum Conſtantini XX. præclaro hoc facinore illuſtrare ſtuduiſſe.

II. Quod ſi modum perquiris, quo inventa eſt Crux, Ambroſius (*c*), & Chryſoſtomus (*d*) ex titulo agnitam Dominicam Crucem docent: neque id negare audet Ruffinus. Contra reliqui omnes titulum procul a Cruce Dominica poſitum fuiſſe ajunt, & ab ea valde remotum, adeo ut ab eo indicari plane non potuerit. Hinc, cum nullum adeſset, quo illa a reliquis diſcerneretur, humanæ prudentiæ pervium argumentum, ad miracula ventum fuiſſe dicitur. Atque hoc ipſum dum narrant, rurſus diſſident. Paulinus, quem ſequitur Sulpitius Severus, atque adeo Romana Eccleſia, per reſurrectionem hominis nuper mortui agnitam Crucem ait. (*e*) Contra reliqui ſemianimem quidem, & morti proximam ægrotam crucibus reliquis fruſtra primum admotam, tertiam demum cum tetigit, repente convaluiſse ajunt; atque hoc indicio agnitam fuiſse Crucem, cui Dominus fuerat affixus. Ineptiſſimum autem eorum effugium eſse conſtat, qui ut diſcordes hos Scriptores utcunque concilient, utrumque miraculum accidiſſe teſtantur; quod ſane propoſuit Nicephorus ille, qui tertio decimo ſæculo vivens, hiſtoriam ſuam mendaciis, putidiſque fabellis conſarcinavit, adeo ut plus æquo eidem futili Scriptori fidant, qui non modo e periculoſa ægritudine ſanitati reſtitutam fuiſse fœminam per Crucis contactum, verum etiam fœminam alteram e mortuis excitatam aſſeverant: quod tamen procul dubio a ſcitulo aliquo excogitatum eſt ad gloriam inventæ Crucis augendam.

III. Quod tamen mirabile eſt magis, diſſident prorſus

(*b*) *in Euſebio ſectio* 32.

(*) §. *ſecundo quod &c.*

(*c*) n. 45. orationis *in Theodoſ. fune.*

(*d*) n. 1. hom. 84. aliàs 85. *in Joannē.*

(*e*) *Ad Crucis contactum reſurgunt mortui, & Dei magnalia referantur.* In Reſponſorio ſecundæ Lectionis Nocturni II. in Inventione Crucis. Vide etiam quæ tradit Sozom. li. 2. cap. 1.

ſus in deſignando auctore præclariſſimæ hujus (ſi Pontificiorum ſententiam ſequimur) inventionis. Conſtantino egregiam hanc laudem nonnulli tribuunt, veluti Theophanes, qui innuit, cæleſtibus monitis permotum fuiſſe Conſtantinum, ut Crucem perquireret. Id tamen alii tribuunt Helenæ. Demunt id tam Conſtantino, quàm Helenæ Scriptores alii, qui Macarium nobiliſſimi hujuſce operis unicum auctorem videntur facere. (*f*) An ſi certum aliquid, exploratumque ea de re habuiſſent Veteres, in tam diſcordes ſententias abiiſſent? At adhuc diffident, cum adjutores deſcribunt hujus inventionis. Aliqui incolas Hieroſolymæ memorant. Rufinus, reticentibus antiquioribus omnibus, Judæos memorat ab Helena conſultos. Eoſdem Judæos non modo conſultos, verum etiam accitos, & compulſos, ut vel inviti Crucis locum detegerent, oſtentant narratiunculæ aliæ; quas ſi conſulimus, diſcimus, Judam quemdam, quem Helena juſſerat *in fovea ſeptem diebus ſine cibo, & potu perſtare, bis præteritis denique clamaſſe: Eripite me de hinc, obſecro, & ego vobis oſtendam Crucem*. Nec diſſimilia ſunt, quæ narrantur de tribus millibus Judæis, quos Helena igni jam deſtinaverat, propterea quia Crucis locum ſtatim non manifeſtaverant, *qua pœna territi tradiderunt Judam*: illum nempe, cujus nuper meminimus, quique fingitur non modo revelans locum, in quo delitebat Crux, verum etiam deinceps ex Judæo Chriſtianus adeo probus, ut in ipſa Hieroſolyma Epiſcopatum ſit adeptus: ad quam quidem narrationem, quis eſt tam ferreus, ut teneat ſe, atque in riſum non diſſolvatur?

IV. Et hæc tamen adeo a veriſimilitudine aliena non modo in hiſtorias (*g*), & *Legendaria*, (*h*) verum etiam in *Breviaria* boni Pontificii intulerunt: atque his quidem ſibi in animum induxerunt, veriſſima eſſe illa, quæ de *inventa Cruce* in ea narratiuncula tradita ſunt.

V. Fortia, fateor, viſa ſunt multis argumenta hæc tua; ſed ubi patefecero, quid de irriſa a te narratione judicem, intelliges plane, non ita deſipere Pontificios, ut tu jactitas. Quod ut præſtem, ſine, quæſo, ut omiſſo argumento a Scriptorũ Conſtantini æqualiũ ſilentio deducto, (nam de eo ſatis nuper egimus (*)) ſine, inquam, ut objectionum tuarum ordinem ſervem quidem, ſed diu in eo immorer, quod tu paucis verbis in objectionum ipſarum limi-

(*f*) Videantur ii Scriptores, quos allegant Bollandiſtæ ad diẽ x. Martii, de Sancto Macario Hieroſolymitano Epiſcopo agentes, pag. 34., & 35.

(*g*) Grego. Turoni. cap. 34. lib. 1. *hiſto. Franco.*

(*h*) Vide *legendam auream*: legendariũ Petri de Natalibus in 3. Maii diem: *ſpeculum hiſto.* Bellovac. lib. 13. cap. 94., & 95. &c.

[*] Breviariũ Romanum editum Venetiis *ſumptu Andreæ Thoreſani de Aſula* an. 1521. *&c.*

(*) cap. 2.

limine poſuiſti. Fabuloſam eam narrationem eſſe mones, quæ Dominicæ Crucis inventionem minute, atque exacte deſcribit. Si dum hæc ais, ad Ambroſii, Paulini, Rufini, & reliquorum, quorum ſcripta Gelaſius approbat, reſpicis, multum erras; hæc quippe a fabulis remotiſſima ſunt; neque poſſet Gelaſius ea, quæ Scriptores iſti de Crucis inventione narrant, rejicere, niſi ſibimet ipſe repugnaret. (*) Si vero eã narrationẽ innuis, quæ a Petro *de Natalibus*, aliiſque minus accuratis Scriptoribus in eorum legendas inducta eſt, quæque deinceps (i) a Papebrochio integra deſcripta, ac valide repulſa eſt, tibi minime obſiſtã. Atque ad hanc quidem, niſi plane fallimur, reſpexit Gelaſius, dum *novellam narrationem* appellavit, & in eam illapſa quædam monuit, quæ probe diſcutienda a Catholicis forent: quippe in ea nonnulla quidem inveniſsent, quæ, ut pote bona, retinenda iis eſsent (k), ſed in quædam etiam incidiſsent, quæ ab iis, ut pote minus probabilia, repellenda forent. Quo quidem diſcrimine conſtituto, reliqua haud difficile diſsolvuntur. Tempus, quo ſalutiferæ Crucis lignum Chriſtianis rurſus proditum eſt, ad Conſtantini imperium referunt omnes. Si annum quæris, hic aliqua inter ſcriptores ſuborietur fortaſse diſsenſio. Exploratum tamen eſt mihi, valde probabilem eorum eſse opinionem, qui 20. Conſtantini imperantis anno id eveniſse ajunt: plerique enim veterum id teſtantur. At quot Chronologicæ quæſtiones aguntur a Criticis in re aliqua ceteroqui convenientibus? Dic mihi, obſecro, quoto poſt Chriſtum ortum anno Magi ex Oriente venerunt? quot annos agebat, dum prædicare cœpit Chriſtus? quot vitæ duxit annos, antequam morte ſua nos Patri reconciliaret? In his ſane evolvendis, explicandiſque plurimum laboris Theologi, atque interpretes inſumunt: tametſi hæc omnia eveniſse conſentiant. Ceterum non defuere, qui Anaſtaſium, cujus tamen in temporibus exacte deſignandis non admodum multa extitit diligentia; non defuere, inquam, qui t ſtarentur, Anaſtaſium minime tradere, Euſebio Pontificatum Romanum gerente detectam fuiſse Crucem, ſe tantum Pontificatum geſſiſse Euſebium ſub primordiis imperii Conſtantini: atque eodem quidem Conſtantino imperante detectam Dominicam Crucem: adeo ut vox *hujus* referenda ſit ad Conſtantinum, de quo nuper fa-

(*) tom. 4. Anaſtaſ. Biblio. pag. LXIV. Chryſoſtomi, & Ambroſii, LXV. vero opuſcula approbat.

(i) ad diem Maii 3. pag. 363., & 445. to. 1. Maii.

(k) *quod bonum eſt, retinete.*

(*l*) Anaſtaſii verba Lectori ſubjicio, ut perſpiciat, nū probabilior ea ſit expoſitio, an non: *Fuit autem temporibus Conſtantini: ſub hujus temporibus inventa eſt Crux Domini . . . Et baptizatus eſt Judas, qui & Cyriacus.*

[*] *Parataque mox civium pariter, & militari manu.*

(*m*) Papebrochius nu. 17. pag. 364. Vide etiam, obſecro, quæ tradit Gretſerus to. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 62. §. *Hinc D. Ambroſii &c.* pag. 108. edi. Ratiſ.

(*n*) Recole quæ §. 5. capitis 1. retulimus.

cta fuerat mentio, non ad Euſebium. Sed quæcunque ſit verborum Anaſtaſii ſignificatio, (*l*) quis tanti faciat leves has conjecturas, ut rem ab innumeris, iiſque vetuſtiſſimis & probatiſſimis Scriptoribus traditam propterea in fabulis recenſeat?

VI. At tu eam ipſam narrationem, quam ego approbo, deſumptam ſcilicet, quemadmodum dixi, ab Ambroſio, Paulino, & Rufino ad apocrypha amandas, propterea quia aliqua tibi in narrationibus præclariſſimorum horum Virorum videtur eſse diſsenſio. Quæ quidem ratio, ſi ad rejicienda geſta hiſtoriis prodita vim haberet, potiſſimam Romanæ hiſtoriæ partem ad fabulas allegaret. Quota enim pars illius eſt, in qua Dionyſius Halicarnaſſæus, Liviuſque conſentiant? immo quota pars eſt in ipſa Eccleſiaſtica hiſtoria, in qua Scriptores omnes prorſus conveniant? Interpretationem illam, quam *ſeptuaginta* fere appellamus, excipiunt omnes; at quantum Theologi diſſident, dum illius originem, & modum, quo peracta illa eſt, deſcribere ſtudent? Id porro in re noſtra tanto facilius accidere potuit, quanto veriſimilius id eſt, quod multi cenſent: adfuiſſe nempe inventioni huic ignaros quoſdam, & imperitos homines, quorum ſcilicet operâ effodiebatur terra, & Cruces efferebantur. (*) Porro hi ruditer rem geſtam deſcribentes, fuere in cauſa, ut docti ipſi errarent. Hinc non verentur viri optimi deceptos cenſere tum eos, qui ex titulo agnitam fuiſſe Crucem teſtati ſunt, tum eos etiam, qui tradidere, mortuum Crucibus fuiſſe admotum, ut miraculo Dominica Crux dignoſceretur. (*m*) Ceterum non defuere, qui ad hunc modum has ipſas narrationes conciliare ſtuderent. Multi inter eos, qui *ex titulo* Chriſti Crucem agnitam ajunt, de primo illo indicio locuti ſunt, quo novere Macarius & Helena, eo in loco re vera extare Dominicam Crucem, immo in numero illarum eſſe, quas ante ſe habebant. Quænam vero ex tribus illis eſſet, aliunde dignoſci oportuit; miraculo ſcilicet, ad quod in re tam obſcura, & quæ aliter declarari non poterat, confugit Macarius. Id aſſequimur ex Rufino, aliiſque, qui ſcriptis ea prodidere. (*n*)

VII. Atque ea ſane Rufini verba quidam præclariſſimi Viri diligentius expendentes, valde probabilem ex-

pli-

plicationem alteri, ut tu quidem putas, contradictioni ſe adhibere poſse crediderunt. Fœminam ſcilicet, quam *ſeminecem* appellat, & *a mortis januis revocatam fuiſſe ad vitam* teſtatur Rufinus, vulgato tritoque ſermone uſus *mortuam* dicere commode quis potuit. Hinc Medici, quum ægrotum, deſperata illius ſanitate, pharmacis juvare deſinunt: ſe id agere dicunt, ne *mortuo* pharmaca præſtent. Num vero poſt revocatam a mortis *januis* fœminam, mortuus aliquis admotus deinceps ſit Dominicæ Cruci, & ea ratione vitæ reſtitutus, nec ne, ego quidē affirmare non audeo; ſed affirmanti haud vehementer obnitar. Fides enim hujus modi miracula interdum impetravit, neque omnia, quæ poſcentibus liberaliter indulſit Deus, ſtatim prodita ſcriptis ſunt. Atque ad aliquod horum reſpicit fortaſse Eccleſia Romana, dum verba illa concinit: *Ad Crucis contactum reſurgunt mortui &c.* (o)

VIII. Quoniā porro animum tuum graviter offendit ea, quā (tua quidem ſententia) in veteribus Scriptoribus offendimus, in auctore hujuſce inventionis deſignando inconſtantia, ſine, quæſo, ut eo in argumento paulisper conſiſtam. Atque hic repetere juvat, quod de hoc incommodo in hiſtorias haud raro illabente nuper diximus (p). Si tamen vis, conabor, has ipſas, quas tu mirū in modū extollis, & auges contradictiones ſubmovere. Nec vereor hoc in nodo diſſolvendo eos ſequi, qui primas hac in re dant Conſtantino, quod hic ante alios omnes cœleſtibus monitis permotus ſit ad Crucem hanc perquirendam. Quod ut certius aſſequeretur, Helenæ, cujus pietatem, & in rebus agendis peritiam pulcherrime noverat, id munus impoſuit. Helena porro cœleſtibus *viſis* ad tam præclarum opus permota dicitur, vel quia eadem viſa fuerunt in cauſa, ut Conſtantinus Crucem perquireret, ideoque ad eam perquirendam Helenam ſeligeret, vel potius quia ad id aſſequendum non modo Conſtantinus, verum etiam Helena iiſdem cœleſtibus *viſis* Crucis locum indicantibus impulſa eſt. Atque id quidem videtur manifeſto Rufinus tradere his verbis (q): *Per idem tempus Helena . . . . divinis admonita viſionibus . . . . cum properaſſet ad locum cœleſti ſibi indicio deſignatum &c.* An neſcis, iiſdem plane viſionibus fuiſſe

(o) Alii tamen aiunt reſpicere Eccleſiam ad ea miracula, quæ tum peracta ſunt, quum ab Heraclio, antiquo Sacrario Crux illata eſt. Conſule quæ tradit Ado in Martyrolog. 14. Septem.

(p) §. 6.

(q) cap. 7.

ſe interdum illuſtratos haud paucos,quos ad aliquod præclarum opus ea ratione perurgere voluit Deus? Nonne vetuſtis monumentis aſſequimur, eadem nocte,eadē plane viſione fuiſſe incitatum Liberium Romanum Pontificem, Joannem patricium Romanum, & ejus conjugem, ut ſacram ædem eo in loco, qui nive lapſa deſignabatur, Virgini Deiparæ erigerent? (*) Nonne hiſtoriæ Patrum, *quos de Mercede* appellamus, nos docent, eadem nocte fuiſſe commonitos Jacobum Aragoniæ Regem, Raymundum a Pennafort, & Petrum Nolaſcum, ut ſacrum religioſorum ordinem inſtituerent, quibus incumberet Chriſtianos captivos e Maurorum manibus, ac jugo redimere? (*) Nonne denique, (ut vetuſtiſſima afferam, quibus tantum fidem habent, ſi tamen habent, adverſarii noſtri) nonne eadem nocte, eodemque plane viſionis genere ii omnes, qui S. Fructuoſi reliquias ſibi comparaverant, moniti ſunt, ut eas Eccleſiæ reſtituerent? (*) Vide itaque ex hiſce exemplis, fieri pariter potuiſſe, ut iiſdem plane viſionibus ad Crucem perquirendam excitarentur Conſtantinus, & Helena. Scriptores vero, dum de alterutro incidit ſermo, viſiones illius commemorant, ſermone minime inſtituto de viſionibus alterius, cui tamen nemo ex veteribus hanc laudem eripuit. Merito ſane ab aliquibus Conſtantinus,ab aliis Helena, ab aliis denique Macarius ea de re laudantur, auctoreſque dicuntur inventæ Crucis, quod plurimas partes hi ea in re habuerint. Putant quidem plerique, Conſtantino primùm per viſionem cæleſtem impoſitum fuiſse, ut dominicam Crucem perquireret; Helenæ vero id deinceps fuiſse præſcriptum, ipſamque unam habuiſſe laudem,eā ſane non levem, quam executio adjungit. Macarius autem alias quidem hac in re partes habuit, ſed hoc peculiare præconiū illius eſt, quod ceteris in dubitatione poſitis, & ſollicitis, ut e tribus crucibus coram ſe poſitis dominicam dignoſcerent, egregio conſilio, ſuaque opera id eſt aſsecutus. Quo de argumento vide quæ nuper diximus.

(*) Brevia. Rom. V. Aug.

(*) Brevia. Rom. in feſto S.Petri Nolaſci 31. Janua.

(*) In Act. SS. Fructuo. &c. §.6. & annot. 24. pag. 193. edit. Veron. Ruinart.

IX. Cur porro, obſecro, eos reprehendis, qui præter viſiones cœleſtes, quibus ad Crucem perquirendam excitatam diximus Helenam, ſtudium etiam illius deſcribunt, ut loci incolas conſuleret? Locum ipſum determinatum non deſignaverant viſiones illæ,

ſed

ſed tantum monita fuerat, ut locum perquireret, in quo crucifixus fuerat Dominus; quem ut noſset, vetuſtam ea de re famam a Civibus popoſcit. (r) Fortaſse etiam ideo perquiſivit, ut notior fieret ejuſdem Crucis inventio: multa enim perquiruntur, non quo ea ignota ſint nobis, ſed ut aliis innoteſcant, certioreſque fiant multi de iis, quæ plane comperta ſunt nobis. (ſ)

X. His expoſitis, reliqua, quæ adverſus nos intorſerunt, plane ſubmovemus. Narratiuncula ea, quæ tradit, Judæos ab Helena fame, miniſque compulſos, ut locum, in quo dominica Crux cum reliquis duabus delitebat, revelarent; ea quoque, quæ de Juda id revelante, & deinceps ad fidem catholicam converſo, & ad Hieroſolymitanum Epiſcopatum promoto narrantur, pleriſque meræ fabulæ viſæ ſunt. Placet tamen aliis, nonnulla in his narrationibus vera eſse, conficta reliqua. Atque id quidem videtur innuere Gelaſius, cujus verba jam retuli, & hic recole, ſi libet. Nec propterea Eccleſia eam narratiunculam veluti omni ex parte verā approbavit, dū aliquando in Breviaria illabi permiſit. (*) Tibi ſcilicet incumbit, ut probes, publicâ Eccleſiæ, non privati alicujus Epiſcopi auctoritate id eſse factum. Et ſane, antequam Concilium Tridentinum celebraretur, Epiſcopi, ii præſertim qui præſtantioribus Eccleſiis præerant, in evulgandis Eccleſiaſticis libris ampliſſimas partes ſibi ſumebant; immò interdum privati ipſi viri, ſi apud alios doctrinæ famam obtinuerant, eccleſiaſticos libros facile evulgare poterant, ſperantes ab Eccleſiis excipiendos eſſe, atque probandos. Belinus Martyrologium per ſe, niſi probabilis narratio nos decipit, confecit, typiſque edidit, & illud ſtatim non paucæ Eccleſiæ receperunt, illæque ipſæ, quæ emendare illud ſtuduerunt, paucifsima mutarunt; quod ego ſane perſpexi, cum Martyrologium emendatum ab Alexandro de Peregrinis, cum antiquiore Belini Martyrologio contuli. (t) Hinc compulſi Romani Pontifices ſunt, ut Breviaria, Martyrologia, & Miſſalia emendarent, noveruntque omnes, a Pio V., a Xiſto item V., a Gregorio XIII., a Clemente VIII., & Urbano pariter VIII. ſelectos viros præſtantiſsimos plurimum laboraſſe, ut eccleſiaſticos li-

(r) Hanc ſane ſignificationem plerique tribuunt illis Paulini verbis §. 4. capitis 1. allegatis: *de loco tantum paſſionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſolum de Chriſtianis &c.* (Hebræi enim vetuſto edicto incolere Jeroſolymam prohibebantur.)

(ſ) Vide quæ ad verſ. 3. capitis XI. Matthæi, & Job. 1. 7. interpretes docent.

(*) De Breviarii Romani, & ceterorum Eccleſiaſticorū librorum auctoritate nonnulla ad rem noſtram ſpectantia olim ſcripſit Gallonius (*in apologetico adverſus Conſtant. Bellot.* pag. 10., & 11. &c.) plurima autem, eaque vere egregia Sanctiſ. Benedi. XIV. (de Canoniz. lib. 4. par. 2. cap. 3.)

(t) Editum eſt Martyrologium Peregrini Venetiis apud Variſcū anno 1560.

libros, omni deterſa labe, plane perficerent. Quamvis porro egregiam operam in id inſumſerint, adhuc tamen nonnulla ſupereſſe, quæ emendentur, evincit ſtudium Benedicti XIV. (quem diu Eccleſiæ commodo, atque ornamento Deus ſervet incolumem) ut rurſus eoſdem libros correctioni ſubjiciat, & prorſus emaculet, ad id ſelectis præſtantibus, ac doctis viris, quos hic promeritis laudibus efferrem, niſi eorum modeſtia, ac virtus prohiberet. Tanto vero lubentius ab eorum laudibus abſtineo, quanto plus vereor, ne videar eos laudans, noſtra laudare, & tribuere amicitiæ, & veteri conſuetudini, quod virtuti & doctrinæ tribuerem. Tametſi porro interdum Proteſtantes Eccleſiam catholicam carpant, quod ſæpe ſua corrigat, & emendet, temere tamen reprehendunt. Quin immo propterea maxime laudabilis eſt, quod ut labores perficiat ſuos, ſemel atque iterum correctioni ſubjicit eos, quibus utitur, libros. Novi quippe, hiſce in rebus nos proficere in dies, & jam pridem ab Auguſtino moniti ſumus, in preces ipſas ad Deum fuſas aliqua interdum temere irrepſiſse, quæ deinceps Eccleſia, doctorum virorum labore atque opera emendat. (u) Sed jam e diverticulo in viam.

(u) *Multorum enim preces emendantur quotidie, ſi doctioribus fuerint recitatæ.* Lib. VI. *de baptiſmo contra Donatiſtas* cap. 25. n. 47. quod quidem monitum exceptum videtur a Canone 103. Eccleſiæ Africanæ (✠).

CAP.

(✠) *Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive præfationes, ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino contra fidem præferantur; ſed quæcunque a prudentioribus fuerint collecta (1) dicantur (2).*

(1) pag. 1336. tom. 2. Concilio.

(2) aliàs: *cum prudentioribus fuerint collata.*

CAP. V.

Solutiones ab adverſariis probationibus noſtris adhibitas proferimus, & refutamus.

I. ECce vero alios adverſariorum conatus. Metuentes ſcilicet, ne eorum cauſæ male conſultum foret, *ſi poſitivis* probationibus eam tantummodo tuerentur, *ad negativa* argumenta ſe conferunt, id eſt ad ſolutiones earum probationum, quibus innitimur. Sic autem diſputant Dallæus, & Dallæi aſſeclæ. Probationes omnes, quibus Pontificii in eam perſuaſionem inducti ſunt, ad duo veluti capita revocantur, nempe ad famam quandam, & veluti communem opinionem in vulgus ſparſam, qua id credebatur: & ad Scriptores, qui libris id conſignarunt. Utrumque porro probationum genus infirmum eſt, atque imbecillum prorſus, ac frivolum. Ut enim a primo incipiamus, id eſt a fama, communique opinione in vulgus ſparſa, quis eam non contemnat, quando quidem certo novimus, plurimas fabulas fuiſſe ea ratione in plebem diſſeminatas, & a multis temere, atque imprudenter receptas? „ Quid per multa ſæcula (inquit „ Dallæus (*a*)) apud Chriſtianos celebrius fuit Con„ ſtantini leprâ, & baptiſmo apud Romam a Syl„ veſtro Urbis Epiſcopo ſuſcepto? Quid Cyriaci Pa„ pæ Urſulam, deſertâ ſede ſuâ, cum undecim millium „ Virginum choro Coloniam deducentis profectione „ nobilius? Quid ampulla illa Remenſi ad inungen„ dum Chlodovæum divinitus delatâ famoſius? Quid „ Joanna Papiſsa in omnibus litteris decantatius? Nunc „ tamen apud Latinos illa quidem tria ſuperiora fabu„ loſa esſe multi viri graves confitentur; hoc vero ul„ timum omnes etiam delirum, ac ridiculum esſe per„ tendunt. „ Tum proſequitur idem Dallæus, adteſtans, ſe hujus generis exempla ſexcenta proferre poſse, ſi vellet; nimis quippe ad fingendum, mentiendumque hu-

(*a*) *De religioſi cultus objecto* li. 5. cap. 1. pag. 706.

humanum ingenium pronum eſt; præſertim *ſi ad ea commendanda fingere utile ſit*, *quibus impenſius ſtudet*. Multum autem intererat iis, qui in reliquias perquirendas, colendaſque effuſi erant, (quorum quidem quarto Eccleſiæ ſæculo non levis erat copia) ut crederetur, Crucem, reliquiis omnibus præſtantiorem, fuiſſe detectam, ex qua ſcilicet particulæ deinceps ſpargerentur in vulgus. Quibus quidem conſtitutis, mirum non eſt, ſi hanc fabulam plurimi deinceps narraverint, atque adeo amplificarint, & auxerint. Conſpiraverat enim, ut ita loquamur, orbis totus in reliquias perquirendas, colligendas, retinendas, celebrandas, colendas denique, foventibus atque adeo promoventibus populorum ſuperſtitionem Epiſcopis ipſis, ceteroqui præclaris; qui proinde fabellam nuper inventam facile credidere, aliiſque inculcavere. En vero, cur eam fortaſſe Cyrillus Hieroſolymitanus, Ambroſius, Chryſoſtomus, & crediderint, & populis enarraverint. Viri ſane egregii erant iſti, ſed plus æquo in reliquiarum laudes, & venerationem propenſi, inclinatique. Commodam itaque perſpicientes narratiunculam hanc, huic facile aures, fidemque præbuere, creditam vero, ut aliorum animis imprimerent, ſtudium non leve impendere. Mirabile eſt porro, quod in narratione hac haud ita multis poſt Helenæ, & Conſtantini mortem annis in vulgus invectâ accidit: primùm ſcilicet ſimpliciter, & præciſe traditum eſt, Dominicam Crucem imperante Conſtantino fuiſſe inventam. Sic loquitur Cyrillus Hieroſolymitanus, ſeu potius Cyrilli Hieroſolymitani nomine latens vafer aliquis, & ſubdolus Scriptor. Cyrillum ſequitur Euſebiani Chronici corruptor, niſi quod hic Helenam addit. Tum vero ſenſim addita ornamenta & apparatus, ut elegantior appareret hæc fabula. „ Sic Ambroſius (audite iterum „ Dallæum ſic declamantem (*b*)) Ambroſius (inquam) „ poſtea vel de ſuæ eloquentiæ penu fabellam adhuc rudem inſtruxit, & ornavit; vel ab aliis inſtructam excepit, & Helenam quærendæ, & inveniendæ Crucis ducem, & auctorem edidit, & adjecit deprehendiſſe ex titulo, quænam de tribus Crucibus vere Chriſti eſſet. *Titulo* (inquit) *Crux patuit ſalutaris*. Denique, & de Clavis, quibus confixus fuerat Chriſtus, non ſpernendum auctarium commentatus eſt.

(*b*) pag. 709.

Aliis

,, Aliis Ambroſii de Cruce ex titulo agnita narratio ,, exilior, atque jejunior viſa eſt. Placuit eam ali- ,, cujus miraculi gloriâ animare (neque enim reli- ,, quiariis ullibi unquam deeſt hæc machina). Itaque ,, ad Ambroſium acceſſit primo paulo junior Ruffinus, ,, qui novum colorem hiſtoriæ addidit; Macarium ,, Epiſcopum in medium drama inducens, cruces mu- ,, lieri graviſsime laboranti, quod nuper dicebamus, ,, admoventem, & quæ mulieri ſanitatem extemplo ,, repræſentavit, hinc eam vere fuiſſe Dominicæ paſ- ,, ſionis inſtrumentum ingenioſe argumentantem. Sed ,, ne hoc quidem Paulino Poetæ, & Oratori illius me- ,, moriæ haud vulgari ſatis pro rei majeſtate fuiſſe vi- ,, ſum eſt. Hic ergo Reginam fecit, non ex Macarii ,, vel auctoritate, vel ſuggeſtione, ſed ex infuſo ſibi ,, divinitus conſilii lumine, mortui hominis cadaver ,, crucibus ſigillatim admovere, & veram eo depre- ,, hendere, quod contacta mortuum ſtatim, vitâ ei red- ,, ditâ, in pedes erexit. Hoc primum fuit fabulæ ru- ,, dimentum, haud paucioribus quàm ſexaginta poſt ,, Helenæ mortem annis delineatum, in ipſo ortu di- ,, ſcors, & ſecum pugnans, quod eorum fere, quæ fin- ,, guntur, fatum eſt. De hac a quatuor illis viris mi- ,, niſtrata materia, varie pro ſuo ingenio luſerunt ſe- ,, quentium ſæculorum Scriptores; Nicephorus calli- ,, diſsime, qui miraculum & mulieris ex morbo cura- ,, tæ, & hominis ex morbo reſuſcitati, utrumque pa- ,, riter admiſit, ne quid auctoritas vel *Ruffini* Pauli- ,, num, vel Paulini *Ruffinum* pulſaret, ſi unum dum- ,, taxat factum fuiſse miraculum ſtatueretur. Inge- ,, nioſe, planeque ex græcanica ſolertia. Apud Am- ,, broſium rem unus titulus abſque miraculo abſolvit. ,, Apud Ruffinum ad expediendum nodum adhibetur ,, cœleſtis machina, & miraculum, ſed unum incidit: ,, Apud Paulinum itidem miraculum ſonat, diverſum ,, fateor, ſed unum tamen. Tandem apud Nicepho- ,, rum duo ex uno miracula fiunt. Nimirum alma ,, illa fabularum mater, & nutrix fama *vires*, quod ,, veriſſime canit ſummus poeta, *acquirit eundo*, ut aquas ,, flumina curſu colligunt. ,, Audiitis hactenus orantem Dallæum, qui ſtatim monet, mendaciorem procul dubio fuiſse fabuloſam eam *de Cruce inventa* narrationem, quam cenſura ſua diſtrinxit Gelaſius.

II. Sed & hæc, quæ aliquando Dallæus innuit, copioſe vero Proteſtantes alii proſequi ſolent, prætereunda non ſunt. Mirabile prorſus in his narrationibus accidit, ut tum crucis inventio, tum reliqua omnia per id tempus a Scriptoribus enarrata miraculis infercirentur. Profecto non uno tantum miraculo decorata, ut ita loquar, a viris ceteroqui probabilibus fingitur Crucis inventio, verum etiam innumeris: innumera enim miracula admittes, ſi id excipias, quod de multiplicatione ejuſdem Crucis narrat Paulinus: & quaſi hæc exigua eſſent, aut pauca, parilem multiplicationem Sulpitius Severus adjungit tenuiſſimæ illius arenæ, quæ eo in loco inerat, in quo Chriſtus cœlos conſcenderat. Audite primum quæ narrat Paulinus. „ (c) Quæ quidem Crux „ in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo „ tempore innumeris pene quotidie hominum votis li„ gnum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, „ & quaſi intacta permaneat, quotidie dividua ſumen„ tibus, & ſemper totam venerantibus. Sed iſtam im„ putribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem de „ illius profecto carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem „ non vidit corruptionem. „ Quæ vero dixi Sulpitii Severi monita, hæc ſunt. (d) „ Quin etiam calcati Deo „ pulveris ad perenne documentum eſt, ut veſtigia „ impreſſa cernantur. Et cum quotidie confluentium „ fides certatim Domino calcata diripiat, damnum „ tamen arena non ſentiat, & eadem adhuc ſui ſpe„ ciem, velut impreſſis ſignata veſtigiis, terra cuſto„ dit.

(c) n. 6. epiſto. olim 11. nunc 31. *ad Severum*.

(d) lib. 2. ſacræ hiſto. cap. 49. pag. 372. editio. Elzevi. 1665.

III. Atque his quidem conſtitutis, opus non, eſt ut vel Cyrilli, vel Ambroſii, Paulini, aut ſubſequentium Scriptorum auctoritatem urgeamus. Priores illi vulgata fama decepti, falſa quidem, ſed *innocenter* poſteris tradidere. Porro hi fidem temere, atque inconſulto Veteribus habentes, ea & crediderunt ipſi, & aliis credenda propinaverunt, quæ ab antiquioribus exceperant, illud poeticum uſurpantes: *Credenti nulla procella nocet*. (e)

(e) Ovidius.

IV. Et hæc, Dallæe, hæc Salmaſi, hæc Proteſtantes reliqui, qui vos *Magiſtros in Iſrael* dicitis, grandia illa ſunt argumenta, quibus nos illuditis, quaſi plus æquo credulos, & in dijudicandis Veterum ſcriptis

plane

plane indoctos, & imperitos? Nimium profecto in veſtro ingenio, ac ſagacitate confiditis, ſi ſtrophis iſtis opinionem veſtram probabilem vos reddidiſse arbitramini. Id ne temere dixiſse videar, veſtra argumenta ſtatim aggredior. Atque a principio fateor, vulgi rumori, ac populari famæ non eſse ſtatim fidendum: hæc enim ſi nullo probabili auctore, ſed vulgi tantum opinione innixa eſt, incerta ſæpe eſt, ideoque mendax, ac fallax. At nolo *popularis* cum *probata fama* confundatur, ac miſceatur: quantum enim illa negligitur ac contemnitur, tantum iſta ab Eccleſia perquiritur, atque approbatur; quo de argumento cum alibi egerim, (f) hic dicere ſuperſedeo. Expendamus tamen, obſecro, num populari tantum, ideoque incerta fama innitatur Dominicæ Crucis inventio. Ut ea hic omittam, quæ ex Euſebio jam retuli, tibi ne deſpiciendus videtur Cyrillus Hieroſolymitanus, qui ipſo imperante Conſtantio Conſtantini filio, ideoque Helenæ nepote ad eundem Conſtantium ita ſcripſit, ut eam inventionem notiſſimam omnibus, atque exploratiſſimam eſſe ſignificaret? An, ſi ſola vulgi fama innixa ea perſuaſio fuiſset, ita ſcripſiſset præcipuæ ſedis Epiſcopus, non minus doctus, quam candidus, ad Imperatorem ipſum, cui viſus fuiſset illudere, ſi putidiuſculam fabulam pro vera hiſtoria venditare tentaſſet? Non ita ſane cum Principe agitur, atque adeo cum eo Principe, qui cum paternæ gloriæ ſtudioſus ſit, veris, non fictis monumentis ſtabiliri eam velit. Porro (quod alibi innui) Cyrilli Hieroſolymitani teſtimonium ſupplere facile poteſt ceterorum hiſtoricorum teſtimonia: proximus enim iis temporibus extitit, quibus inventa eſt Crux; doctus eſt quoque, pius, &, quod ad rem præſentem plus facit, valde cautus, adeo ut rem a vero alienam minime ſcripturus fuiſſet ad Conſtantium, cui procul dubio exploratum fuiſſet, num vera, an falſa ſibi ſcriberentur. Sed de Scriptoribus reliquis, quorum tu auctoritatem deſpicis, contemniſque, jam dicamus.

(f) diſſer. 8. cap. 17. §. 5. & ſeq.

V. Adeone vero de Ambroſio peſſime ſentis, ut in publica concione, cui Honorius ipſe adſtitit, (g) fabellam narraſſe, ornaſſe, auxiſſe velis? Pium ne virum hæc decent? Decentne Epiſcopum, a mendaciis prorſus alienum? At id juvabat, inquis, Ambroſium nimis in reliquias perquirendas, colendaſque proclivem? Sed quanam ra-

(g) Id ante nos monuerunt Patres S. Mauri *in præfatio. in hanc oratio.* pag. 1196. to. 2.) Conſule n. 54., & 55. ejuſdem orationis,

ratione, obſecro, Ambroſius juvabatur, ut fabellam narraſſe, atque adeo ornaſſe, atque auxiſſe arbitreris? Illum ne inter eos recenſebis (a Proteſtantibus vero Pontificii facile recenſeri eo in numero ſolent) qui temporale lucrum ex reliquiis capiunt? Sed age: dic, quodnam lucrum aſſequi poterat ex ea narratione Ambroſius, qui nullum plane percepit ex reliquiis ceteris?

VI. Sed nec minus temere ſuſpicaris, conficta fuiſſe multa in ea, de qua agimus, narratione a Paulino, & Rufino. Is, qui de Viris præclaris pravum aliquid ſuſpicatur, ſuſpicionis ſuæ cauſam & momenta ſane non levia producere debet. Quid porro ad accuſationem tuam vindicandam profers? An avaritiam, an laudis, ac glorioſæ cupiditatem? cum tamen in pecuniarum, atque honorum contemptu emicuerit maxime Paulinus; nec jure, meritoque vitia hæc ſuſpicari poſſimus in Ruffino, quem *virum religioſiſſimum* (h) appellavit antiquitas. Fingere porro miracula improbus tantum, & a Chriſtiano candore remotiſſimus nebulo audebit.

(h) Gelaſius in Canone: *Item Ruffinus Vir religioſiſſimus*.

VII. Quod porro affirmas de ſenſim auctâ, ut tu quidem ais, & veluti per gradus ornatâ fabellâ, leviſſimum plane eſt. Etenim diligentior expoſitio alicujus circumſtantiæ, ſeu ut expreſſius loquar, additamentum alicujus circumſtantiæ in aliqua narratione minime recenſetur inter probabiles notas, ob quas eadem narratio falſitatis accuſetur. An non (i) cum *clamore valido, & lacrymis obtuliſſe Dominum preces ſuas, ſupplicationeſque*, non Evangeliſtæ, ſed Apoſtolus Paulus, ſcriptis tradit (k)? Plurima quoque ex libris *Paralipomenon* diſcimus, quæ in libris Regum, res geſtas ceteroqui accuratius narrantibus, minime occurrunt. Quot etiam occurrunt in libro *Sapientiæ*, quæ in libro Exodi, licet copioſius Judaici populi in Ægypto degentis, & Moyſis geſta deſcribente, minime habes? Ubinam in Exodo hæc legis? *Quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pavorem illis præſtabant*. (l) Sævitia Saul in Gabaonitas non ex I. Regum libro, in quo Saulis bella deſcribuntur, ſed ex libro II. (m) innoteſcit, atque eam quidem adhuc ignoraremus, niſi Gabaonitæ ultionem illatæ in-

(i) Morti proximum, niſi plane fallimur.

(k) Heb. 5. 7.

(l) Sap. 17. 4.

(m) cap. 21.

injuriæ a Davide exquiſiſſent. Difficile etiam ex alio Scripturæ loco id aſſequeris, quod apertiſſime docet Paulus his verbis: (n) *Sorte diſtribuit eis terram eorum quaſi poſt quadringentos, & quinquaginta annos.* Sed infinitus propemodum forem, ſi vellem ſingula recenſere exempla, quibus aſſequimur id, quod a priore Scriptore, rem diligenter deſcribente, fuerat omiſſum, a ſubſequente id ipſum ſtrictim ceteroqui perſequente ſuppletum fuit, & poſteris proditum.

VII. Ceterum pleroſque e poſterioribus Scriptoribus jejune prorſus, exiliterque, & certe multo brevius, quàm veteres illi fecerint, Crucis inventionem memoriæ prodidiſſe, is palam fatebitur, qui ad loca ea, quæ §. 7. capitis I. allegavi, advertet animum. Vide itaque, quàm recte affirmes, ſenſim, & veluti per gradus quoſdam, vires cepiſſe eam famam, qua illa, de qua agimus, narratio innotuit.

VIII. Sed dic age: cur miracula adeo odiſti, ut ea ex probatiſſima Eccleſiaſtica hiſtoria delere ſtudeas? Non infrequentia per id tempus miracula fuiſse, tum ex aliis quidem multis valde probabilibus Scriptoribus, tum apertiſſime ex Paulino (o), ex Ambroſio (p), ex Epiphanio (q), & ex Auguſtino (r) diſcimus; quorum hac in re monita notiſſima quidem ſunt, ſed tamen in margine ea indicare placet, ne putet Lector, me illi illudere voluiſſe. Reliqua a te objecta, cum vel diſſoluta jam ſint, (ſ) vel deinceps ſint diſſolvenda, (t) hic prorſus omittimus.

(n) Act. 13. v. 19. & 20.

(o) in vita S. Ambroſii n. 10. 14. 15. 17. 20. 28. 52.

(p) in epiſtola 22. Claſſis I.

(q) *adverſus hæreſim Ebionitarum* hære. 30. n. 12. pag. 136. editio. Colon. an. 1682. tom. 1. Petavio interprete.

(r) lib. 9. confeſſi. cap. 7. aliàs n. 16. & lib. 22. *de Civitate* cap. 8. Adde, ſi vis, ea quæ in libris, qui de *Miraculis S. Stephani* inſcribuntur, & Evodio vulgus tribuit, nec contemnenda, nec pauca leguntur.

(ſ) ex dictis ca. 4. 5. 6. diſſolvi ea poſſunt, quæ ex diverſitate narrationis Paulini, & Rufini deſumuntur.

(t) cap. 8.

CAP.

CAP. VI.

Eorum expendimus argumenta, qui conficta fuiſſe ajunt, vetuſtiſque Patribus temere, atque imprudenter adſcripta ea, quæ a nobis allata ſunt, teſtimonia.

I. CAllidius conſilium ſibi viſi ſunt excogitaſſe ii, qui fundamenta, ipſamque radicem (ſi loqui ita liceat) probationum noſtram convellere ſtudent, monentes, conficta eſſe potiſſima teſtimonia, ſuper quæ perſuaſio noſtra ſtabilitur, & vafre aſſuta operibus Sanctorum Patrum, quorum quidem nomine, veluti ſplendido pallio obtecta fraus non modo viris ſimplicibus, & imperitis, ſed doctis etiam, & prudentibus impoſuit. Audite porro, quàm aſtute, & ſubtiliter diſputent. Non eſt profecto Cyrilli Hieroſolymitani auctoritas contemnenda, ideoque contemnenda non eſſet ea de Cruce inventâ narratio, quæ dudum allata eſt, ſi conſtaret, vere a Cyrillo eſſe conſcripta ea, quæ præpoſito illius nomine circumferuntur: at minime ſane conſtat, ea revera eſſe a Cyrillo conſcripta. Etenim ut prætereamus, procul dubio eſse conſictas, aut ſaltem interpolatas Catecheſes, quæ illi tribuuntur: (*a*) (ex qua quidem re probabile argumentum ducimus, ut dicamus, id ipſum pronunciandum pariter eſse de ea epiſtola, quæ ad Conſtantium Auguſtum data eſse fertur, & in qua inventioni Dominicæ Crucis favet: ille namque impudentiſſimus Scriptor, qui audaces manus in reliqua Cyrilli ſcripta injecit, in hanc quoque epiſtolam injeciſse dicendus eſt): ut id, inquam, prætereamus, peculiari argumento epiſtola hæc Cyrillo Hieroſolymitano abjudicatur: ſilentio ſcilicet Hieronymi, qui reliqua Cyrilli ſcripta recenſens, hanc epiſtolam omittit. An omiſiſset, ſi re ipſa eam Cyrillus conſcripſiſset, præſertim cum rem admirabilem in ea narrare fingatur:

(*a*) Vide quæ copioſe hoc de argumento Rivetus diſputat.

tur: apparitionem ſcilicet Crucis, quæ ſacris Pentecoſtes diebus in cælo ſe conſpicuam coram omnibus dedit? Venio ad Ambroſium.

II. Quis non ad apocrypha ableget orationem eam, quæ Ambroſii ementitur nomen, & in Theodoſii funere recitata eſſe traditur? Hæc nempe magnorum virorum, Eraſmi ſcilicet primùm, & deinceps Magdeburgenſium perſuaſio eſt: quin etiam ipſa oratio ſe Ambroſio ſuppoſitam his argumentis prodit. Pauciſſima de Theodoſio, quem tamen laudandum ſuſceperat, narrat; plurimum vero extra propoſitum ſibi ſcopum evagatur; eaque de Helena, de Cruce, & clavis inventis tradit, quæ nullam habent cum Theodoſio, aut Honorio ejus filio, affinitatem. Sed demus, orationem ipſam non eſſe confictam, nec temere Ambroſio tributam. Illum certe locum, in quo luculenter, ſi vis, ſed inepte ſane & abs re, multa de inventa ab Helena Cruce, & clavis inſeruntur, reliquis orationis partibus aſſutum, ſanctoque Doctori immerito tributum fateberis, ſi tu ſapis. Porro ſi ſuppoſita eſt Ambroſio oratio ea, aut ſaltem ea orationis pars, in qua deſcribitur Crucis, & clavorum inventio, dicendum erit pariter, antiquiſſimum illud, & præſtantiſſimum monumentum, cui maxime innituntur Catholici, ſuppoſitum eſſe. Quod ſi ſuppoſitæ ſunt Cyrilli epiſtola, & Ambroſii oratio, quibus Dominicæ Crucis inventio præſertim ſtabilitur, reliqua tam etſi vetera monumenta, quæ id ipſum narrant, *ſuppoſita* appellari merito poſsunt: *ſuppoſita*, inquam, ut Sholaſtici ajunt, in *fonte*, ſeu *fundamento*; ideſt fundata in ſcriptis ſuppoſitis, & contemnendis, ideoque contemnenda ipſa quoque, & ableganda ad fabellas, quia ſcilicet *ſuppoſitis* ſcriptis tantummodo innituntur. Hactenus ingenioſiores nonnulli (ut ſibi quidem perſuadent) Proteſtantes.

III. Ego vero illorum ſententiæ nunquam ſubſcribam: etenim ſi id faterer, quod potiſſimum optant: ſuppoſita nempe eſſe Cyrilli, & Ambroſii loca, non propterea cauſa caderem; ſupereſſent enim Rufini, Sulpitii, aliorumque vetuſtiſſimorum Patrum teſtimonia, quæ manifeſto id docent, nec ullus tamen extat, qui de illorum integritate, ac ſinceritate dubitet. Sed ne putet quiſpiam, revera conficta, & Cyrillo, atque

Ambroſio, quorum nomina præferunt, temere adſcripta eſſe opuſcula illa, quæ allegavi, ſtatim objectiones tuas repello. Atque hic quidem noverit, velim, Lector, Catecheſes Cyrillo ipſi merito tribui: (b) eam, de qua agimus epiſtolam jam dudum fuiſse allegatam: (c) Crucis apparitionem, ob quam plerique eamdem epiſtolam oderunt, ex aliis quoque Scriptoribus innoteſcere, (d) eam quoque ſerio vindicari a Clariſ. Touttée, (e) ad quem Lectorem amando: Tu quidem validum putas argumentum, quod Hieronymi ſilentium tibi præbere videtur, & propterea eam epiſtolam rejicis, quod illius non meminit S. Doctor, ſed ut præteream, quæ de vi argumenti negativi nuper attigi, (f) dic amabo, cur alia multa veterũ Scriptorum opuſcula non rejicis, quæ neque Euſebius, nec Hieronymus Euſebium ſecutus, enumerant? Juverit ſane affini ſuper argumento differentem audire S. Maximum, cujus monita non levi ex parte exſcribit, atque in rem ſuam transfert Baronius (g). Id porro in re præſenti tanto animoſius dicere poſſumus, quanto certius novimus, epiſtolas illius generis ſcripta eſſe, quæ nec ſæpe, nec omnibus, nec ſtatim evulgantur: nec admodum comperta fuiſſe Hieronymo Cyrilli geſta (h). Sed quod ad difficultatem hanc accuratius enodandam attinet, ea, uti dixi, conſulat Lector, quæ Clariſs. Touttèe tradit.

IV. Sed jam demum illud eſt expendendum, quod de abjudicata Ambroſio oratione, quæ *in Theodoſii funere* recitata eſse dicitur, objecerunt. Num Ambroſio veteres Critici orationem in *funere Theodoſii* recitatam dempſerint, an non, nondum aſsequi potui, tam etſi non pauca eorum ſcripta pervolverim. Ut de Eraſmo dicam, is ſane in ea præfatione, quam præponit tertio tomo operum Ambroſii, quamvis in multos ſermones eo tomo contentos cenſuram acerbiorem ferat, nullum tamen de oratione *in funere Theodoſii* recitata verbum habet; ideoque ſilentio ſuo eorum ſententiam approbat, qui eandem orationem Ambroſio tribuunt. Sed quæcumque ſenſerit ille, judicium eorum, qui Ambroſio adimunt, equidem poſtponam ſententiæ Patrum Benedictinorum, qui eandem orationem Ambroſio indubitate tri-

(b) Agit ea de re Clariſs. Tottèe diſſerta. II. pag. xciii.
(c) Eam manifeſto allegat Alexander Monachus *de invention. Crucis*. Vide pag. 27. & 28. tom. 2. Gretſer. edit. Ratisb.
(d) Sozome. lib. 5. cap. 5. Theophanes, Cedrenus, aliique plurimi, quos allegat Clariſ. Touttée pag. ccLIV., & 355.
(e) pag. 345.
(f) cap. 2. §. 2.
(g) in annota. in Martyrol. Rom. 9. Octob. litt. b.

(h) in Chroni. ad an. 352. inter eos enumerat, qui ab Arianorum factione non abhorruerunt: cum tamen indubitatum apud omnes ſit, Cyrillum obſtitiſſe Arianis, & eam ob cauſam mala plurima atque incommoda ſubiiſſe. Vide quæ profert Clariſ. Touttée *in vita* Cyrilli: in præfatione præpoſita editioni Operum Cyrilli ab eodem Touttée adornatæ. & in diſſertat. 3. pariter præpoſita Operibus ejuſdem Cyrilli.

tribuunt. Audite quæ illi tradant. „ (*i*) Neque tamen „ diſſimulandum, Magdeburgenſes, alioſque nonnullos, „ an hoc epicedium Ambroſio tribuendum ſit, in du„ bium revocaſſe. Verum nec minimam dubii ſui ra„ tionem reddunt, & contra ipſos intexta hiſtorico„ rum eventuum ſeries, ſtylus operis, & ſcripturæ in„ terpretandæ, & argumento accomodandæ ratio in„ victe pugnant. „ Sed neque portionem illam, quæ tibi diſplicet, ſed tamen a ceteris omnibus Ambroſio tribuitur, orationi illi temere aſſutam probas. Excurrit ſane a præcipuo ſibi propoſito ſcopo Ambroſius, ſed id facere interdum ſolet, ut quædam pietatis monita intermiſceat. (2) Aptiſſime vero Crucis inventionem in orationem intulit ſuam, tum ut propoſito Conſtantini, & Helenæ exemplo ad ſimilia pietatis exempla adoleſcentem Imperatorem accenderet, tum ut tacite laudandi Theodoſii anſam arriperet: quippe ipſe pariter Crucis cultor fuit eximius, ideoque hac in re, Helenæ, & Conſtantini imitator egregius. Etenim Crucem ipſe quoque in vexilla intulit, quod apertiſſime nos edocet Theodoretus (*k*). Oroſius etiam (*l*) fiduciam, quam in Crucis ſigno poſuerat Theodoſius, his verbis deſcribit. *Sciens vero* (Theodoſius certamine Eugenium, & Arbogaſten adorturus) *ſe eſſe non ſolum ſigno Crucis tuendum, ſed & victoriam adepturum, ſigno Crucis ſe muniens, ſignum prælio dedit, ac ſe in bellum, etiam ſi nemo ſequeretur, victor futurus, immiſit.*

[*i*] *admoniti.* in hanc oratio. pag. 1195. to. 2.

[k] lib. 5. cap. 24. Valeſ. inter.

[*l*] libro 7. cap. 36. alias 35.

Oo 2 CAP.

(2) In libro, quem inſcripſit *de Iſaac, & Anima*, plurima inſerit de caſto illo connubio, quo ſibi animam Chriſtus Jeſus jungit, multaſque Cantici Canticorum partes explicat, quamquam hæc procul dubio ab hiſtoria Iſaaci plurimum remota ſunt. Vide caput tertium, & ſubſequentia. Id ante nos animadvertère Patres S. Mauri in præfatione huic libro præpoſita (1), Tillemont [2], & Sixtus Senenſis (3). Pauca etiam de Helia diſſerit in eo libro, ſeu tractatu, quem inſcripſit *de Helia, & jejunio.*

(1) pag. 353. to. 1.
(2) Tomo X. pag. 289., & 290. edit. Vene. ar. 88. vitæ Ambroſii.
(3) libro quarto Bibliothecæ Sanctæ pag. 109. editionis 1586. Coloniæ.

CAP. VII.

Alia adduntur argumenta, quibus Dominicam Crucem inventam fuiſſe, rurſus evincitur. Horum primum (cui quidem caput hoc aſſignamus) deſumitur tum a mentione, quam Veteres faciunt particularum Dominicæ Crucis; tum a ſummo illo ſtudio, quo priſci etiam Chriſtiani ejuſdem Dominicæ Crucis particulas ſibi compararunt.

I. Atque hæc in hoc argumento dixiſſe ſufficeret, niſi quorumdam adverſariorum pertinacia nos cogeret ad alia etiam perquirenda id ipſum comprobantia argumenta. Porro non leve præbet nobis tum crebra apud Veteres mentio particularum Crucis, tum eximium illud, ac vere mirificum ſtudium, quod vetuſtiſſimi etiam Chriſtiani adhibebant ad Dominicæ Crucis particulas ſibi comparandas. An vero earum meminiſſent, an eas tanto opere perquiſiiſſent, ſi omnino inventa non fuiſſet Crux, ex qua particulæ decerpi poſſent, & inter Fideles diſtribui? Atque in hoc quidem argumentorum genere præire volo Helenæ Imperatricis exemplum, dum aut perquiſitam a Conſtantino, aut magni muneris loco accipiendam ab illo prævidens, ad eundem Conſtantinum non modicam Dominicæ Crucis portionem miſit, quam ipſe cupidiſſime excepit, & in ſtatua ſibi erecta collocavit, præſidium ſcilicet novæ Urbi a ſe edificatæ, & Civibus ornamentum, atque adeo incolumitatem allaturam. Socratis verba, prout in latinum ea vertit Valeſius, id quod dixi, atteſtantia, ſtatim recito. (*) „ Crucis vero portionem unam argenteâ incluſam thecâ, iis qui viſere eam vellent, „ ad perpetuam memoriam illic reliquit. Alteram „ vero ad Imperatorem miſit. Quam ille cum acce„ piſſet, pro certo habens civitatem illam perpetuo „ incolumem fore, in qua hoc pignus ſervaretur, in „ ſta-

(*) lib. 1. cap. olim 13. in editio. Valeſii 17.

„ ſtatua ſua recondidit, quæ Conſtantinopoli in foro, „ quod Conſtantini dicitur, ſuper ingenti columna purpureâ poſita eſt. Atque hoc quidem auditione acceptum, huic hiſtoriæ inſerui. Omnes tamen ferme, „ qui Conſtantinopolim incolunt, id verum eſſe affirmant. „

II. Scio hæc in dubium verti a Proteſtantibus, præſertim vero a Centuriatoribus (a) qui hæc populari quidem famâ vulgata, minus tamen probabilia eſſe affirmant: neque enim adeo ſuperſtitioſus putandus eſt (inquiunt) Conſtantinus, ut ſpem in ligno poneret. Sed levia effugia hæc eſſe contendo. Nimirum Socrates id veluti rem apud omnes notam enarrat, quam valde probabilem ea facile evincent, quæ capite 24. & ſequen. Diſſertationis VII. copioſe dixi.

III. At hæc, a præſenti inſtituto nonnihil aliena omittamus, & de Crucis ligno in Conſtantini ſtatua repoſito nihil hic dicamus; neque, ſi vis, multum innitaris Nicephoro (b) eandẽ re atteſtante; ad id, quod nunc agimus, ſatis eſt, ſi concedas, portionem aliquam Dominicæ Crucis fuiſſe ab Helena ad Conſtantinum miſſam; atque id quidem veluti indubitatum memoriæ prodidit Socrates, cujus auctoritatem attenues quantum libet, non propterea minus probabilem illius narrationem efficies: etenim illam quoque habent Sozomenus, (c) & quod pluris æſtimandum eſt, Theodoretus (d), prudens, & cautus Scriptor.

IV. Dum porro urbem a ſe conſtructam Cruce ditavit Conſtantinus, Romam deſtitui tanto theſauro noluit. Aſſequimur id ex eo libro, qui *de munificentia Conſtantini* inſcribitur. Tam etſi vero non omnia in eo contenta a Criticis recipiantur, quod tamen ad ea attinet, quibus Romanas Baſilicas ornavit Conſtantinus, fidem merito obtinet: illa enim recenſet, quæ eo, quo ſcribebantur tempore, ſupererant, notuſque erat is, qui dono eiſdem Baſilicis dederat. Sic autem loquitur ſcriptor ille: (*) *Eodem tempore fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicam in Palatio Seſſoriano, ubi de ligno S. Crucis poſuit, & in auro, & gemmis concluſit &c.*

V. Subjiciendus eſt jam Cyrillus Hieroſolymitanus, cujus verba propterea recitari hic merentur, quod doceat, non modo portiones quaſdam Sanctæ Crucis (e) Hie-

(a) Centu. 14. cap. 13.

[b] li. 8. cap. 29.

[c] lib. 2. cap. 1.

(d) lib. 1. cap. olim 18 in edition. Valeſii 18.

(*) to. 1. Concilio. col. 1436.

(e) cate. 4. n. 10. &c.

Hieroſolymis fuiſse ſervatas, verum etiam eandem Crucem per particulas inde decerptas totum terrarum Orbem impleviſse. Cyrilli verba, ut pote multa in paginæ calcem rejicio. (3)

VI. Novi equidem, ſtuduiſse nonnullos perſpicua Cyrilli dicta eludere rurſus monentes, ementitas eſſe, & Cyrillo ſuppoſitas eas Catecheſes, quæ illius nomen in fonte præferunt, aut ſaltem priſcis Cyrilli ſcriptis aſſuta fuiſſe ea, quæ recitavimus, verba: quod ne temere videantur dicere, notant Scriptorem hunc uti his verbis: μίχρι σήμερον, quaſi longum temporis ſpatium deſignantem; cum tamen paucis ante has Catecheſes annis, nec amplius quam viginti, detecta dicatur Crux. Sed revinci facile poterunt. Ac primi quidem a Clariſſimo Touttée adeo validis argumentis refelluntur, ut paucos jam habeat ſectatores eorum audacia. Ii vero, qui aſſuta fuiſſe contendunt prioribus Cyrilli ſcriptis ea, quæ allegavimus verba, advertant, oportet, valde a veriſimilitudine remotum eſſe, quod ajunt: tribus ſcilicet locis aſsuta fuiſse verba, quæ particularum Dominicæ Crucis totum per Orbem diſtributarum mentionem faciunt. Verſutum nimis facis interpollatorem, qui loca cuncta perquiſierit, in quibus dominicæ Crucis Cyrillus meminit, ut fabulam caute insereret, ne mendacium dignoſci poſſet. Tam prudens eſse minime ſolet perditum illud genus hominum, quod Veterum ſcripta corrumpit.

VII. At mendacium detegi ais ex nota temporis. Ego tamen id falſum eſse contendo. Præclare monuit Clariſ. Touttèe (f), ea, quæ objecerunt Cyrilli verba, commode referri poſse ad illud annorum ſpatium, quod interceſſit inter Chriſti paſſionem, & tempus, quo Cyrillus hæc recitabat. At quid ſi cum eodem Touttèe uſi-

(f) In annota. in Cate. 10. §. 19. pag. 146.

(3) (*) *Crucis ligno univerſus jam Orbis in partes ſectò repletus eſt.* (*) = *Sanctum Crucis lignum teſtatur, quod ad hodiernum uſque diem apud nos conſpicitur; ac per eos, qui fide impellente ex eo fruſta decerpunt, Orbem fere totum hinc jam opplevit.* = (*) *Nam ſi nunc negavero* (fuiſſe Chriſtum Cruci affixum), *arguet me iſte Golgothas, cui nunc omnes proxime adſiſtimus: arguet me Crucis lignum, quod per particulas ex hoc loco per univerſum jam Orbem diſtributum eſt.*

(*) cate. 4. §. 10.
(*) cate. 10. §. 19.
(*) cate. 13. §. 4.

uſitatum fuiſse dicam tum apud Canonicos, tum apud ſacros Scriptores, verba iſta *μέχρι σήμερον*, & affinia alia, quæ multum temporis ſpatium in ſpeciem indicare videntur, ita ſumere, ut annos haud multos ſæpe indicent? Hoc modo verba illa libri Judith.: (g) *In omni ſpatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis*; verba, inquam, illa *annis multis* ad annos haud ita multos coarctantur. Similia alibi occurrunt exempla. Haud dubium mihi videtur illud, quod præbet caput 29. libri I. Regum, in quo quidem hæc elocutus dicitur Rex Achis: (h) *Num ignoratis David... & eſt apud me multis diebus, vel annis*. Paucorum tamen annorum ſpatio apud Achis permanſerat David. Alia etiam exempla Lectori ſubjicio. Capite 2. v. 2. libri 3. Reg. hæc habemus: (i) *Habitavit itaque Semei in Jeruſalem diebus multis. Factum eſt autem poſt annos tres &c.* Act. 24. 10. *Reſpondit autem Paulus.... Ex multis annis te eſſe judicem genti huic ſciens &c.* Tamen haud longum annorum ſpatium locis his indicatur. (k) Et ne a Cyrillo ipſo diſcedamus, ad eundem modum loquitur n. 10. Catecheſis 17. & tamen annos haud ita multos ſignificat. Nec diſſimile id eſt, quod habet numerus 27. Catecheſis 18.

VIII. Sed jam alia Veterum loca ſubjiciamus. Celebratiſſimum illud eſt, quod Nyſsenus enarrat: tanto vero illud lubentius affero, quanto apertius ex illius verbis conſtat, faſſum fuiſse illum, veras Dominicæ Crucis reliquias a fidelibus fuiſse ſervatas, delataſque, moremque illum ab eodem fuiſse approbatum. *Veſtiana* (inquit ille (l)) *propriis manibus ornans ſanctum illud caput, cum ejus cervici manum ſubmiſiſſet, ecce, inquit, ad me reſpiciens, quale collo Sanctæ, monilis ornamentum pendet? & hæc dicens, ſolutis ponè vinculis, prætendit manu ferreum crucis ſignum, & annulum quendam ex eadem materia, quæ quidem utraque tenui redimiculo appenſa cordi ſemper adhærebant. Et ego, communis, inquam, ſit hæc poſſeſſio: ac tu quidem habeas crucis inſigne, mihi autem hæreditas annuli ſatis erit, ſiquidem in hujus etiam pala crux erat impreſſa: At eum mulier intuens, rurſus ad me, in deligendo, inquit, non aberrâſti, etenim excavatus eſt annulus ſub ipſa pala, ibique de ligno vitæ particulam conditam habet, quod ſuper adjacens pala ſimili nota ſignificat.*

(g) cap. 16. v. 30.

(h) v. 3.

(i) v. 38. & 39.

(k) Eôdem ſpectare videtur quod legitur 1. Macha. 6. 9. & cap. 11. v. 40. ejuſdē libri. Luc. 23. 8. Act. 13. 30. Ibidem 16. 18.

(l) in vita Macrinæ ſororis. Sequor interpretationē Gretſeri. Extant porro, quæ allegamus verba, pag. 186. tomi XIV. Oper. Gretſeri.

IX.

IX. An Chryſoſtomum præteribo mirum in modum id, quod agimus, verbis his comprobantē? (*m*) „Illud vero ipſū „ lignum, in quo ſacrum corpus paſſum & crucifixum eſt, „ cur certatim omnes adeunt? Cur particulam ejus mul- „ ti ſumentes auro incluſam, tum viri, tum mulieres „ a collo ſuſpendunt ad ornatum: etſi damnationis „ & ultionis ſymbolum hoc lignum fuerit? „

(*m*) in libro edito *Contra Judæos*, & *Gentiles*, *quod Chriſtus ſit Deus*: in edition. Monfauc. tomo 1. pag. 558. at quæ hic allegantur, habes pag. 571.

X. Quænam vero ad Crucem ipſam adeundam, deferendamque Fideles permoverint, ſubjicit ſtatim hæc inquiens: „ Hoc quippe mortis ſymbolum (neque e- „ nim finem faciam ita loquendi) multis benedictio- „ nis argumentum effectum eſt, & omnimodæ firmi- „ tatis murus, diaboli lethifera plaga, dæmonum „ frænum, camus adverſariarum virtutum. Hoc mor- „ tem ſuſtulit, hoc inferni portas æreas confregit, ve- „ ctes ferreos contrivit, diaboli arcem deſtruxit, pec- „ cati nervos excidit, totum orbem damnationi ſubje- „ ctum eripuit, immiſſam divinitus naturæ noſtræ pla- „ gam curavit. „

XI. Recenſendum hic quoque eſt, quod ex Paulini Nolani epiſtola (*n*) aſſequimur. *Invenimus partem particulæ de ligno divinæ Crucis, quod nobis bonum benedicta Melanius ab Hieruſalem, munere ſancti inde Epiſcopi Johannis, attulit, hoc ſpecialiter ſorori noſtræ venerabili Baſſulæ miſit conſerva communis; ſed quod alteri veſtrum datur, utriuſque veſtrum eſt; quia in utroque veſtrum una ratio manet; & ſexum evacuat fides, qua in virum perfectum ambo concurritis. Accipite ergo ab unanimis fratribus in omni bono veſtrum ſibi conſortium cupientibus, accipite magnum in modico munus; & in ſegmento pene atomo aſtulæ brevis ſumite munimentum præſentis, & pignus æternæ ſalutis. Non anguſtetur fides veſtra carnalibus oculis parva cernentibus, ſed interna acie totam in hoc minimo vim Crucis videat. Dum videre vos cogitatis lignum illud, quod ſalus noſtra, quo Dominus majeſtatis affixus, tremente mundo, pependerit, exſultetis cum tremore.*

(*n*) olim 11. nunc 31. n. 1.

XII. *Particulam Dominicæ Crucis* cum Eulogiis Leoni I. miſsam fuiſse a Juvenale, ſi veteres editiones ſequimur, epiſtola ad eundem Juvenalem ſcripta teſtatur. (*o*) At verba hæc demit Queſnel: (*p*) recte, an ſecus, judicet Lector. Dominicæ ſane Crucis in ea epiſtola meminit Leo. (*q*)

(*o*) epiſt. 72. in editio. Queſnel. cx.
(*p*) in notis ad epiſt. hanc pag. 505. tom. 2.
(*q*) *Hoc tibi ipſa Crux indeſinenter loquitur &c.* cap. 2.

XIII.

XIII. Diu etiam poſt ea tempora cupidiſime perquiſita a Chriſtianis Dominicæ Crucis fragmenta, & Hieroſolymâ in alias Chriſtiani Orbis regiones delata fuiſse, nobiliſſima monumenta declarant, atque illa in primis, quæ de Dominicæ Crucis fragmentis [Hieroſolymâ a militibus Cruce ſignatis iterum receptâ] in Gallias, atque in Italiam delatis probatiſſimi hiſtorici ſcriptis prodiderunt. Sed ut iis obſequar, qui vetuſta tantummodo proferri jubent, ecce tibi epiſtolam 18. Alcimi Aviti, quæ ad hunc modum ſe habet: (p) *Unde etiam ſi pignus reliquiarum Sacræ Crucis putamus eſſe vobiſcum, a Sancto tamen Æliæ Urbis antiſtite, hanc ſpecialiter munificentiam credimus eſſe expetendam. Qui re vera Sacramenti iſtius veram, & inviolabilem puritatem loci adminiſtratione conſervans, ſic deſiderabili potens eſt impertire nos dono, ut ab omni cunctationis abſolvat ambiguo.* Atque exoptatam quidem Crucis particulam fuiſſe ab Alcimo Avito receptam, evincit epiſtola 23. ejuſdem Alcimi (q), ad quam quidem Lectorem allego.

XIV. Ejuſdem Crucis particulam obtinuiſſe Radegundem Reginam, ac devote in Pictavienſi Monaſterio collocaſſe, ex Gregorio Turonico aſſequimur. (r) Crucis quoque particulam ad Theodolindam, & Recharedum a Gregorio M. fuiſſe dono miſſam, alibi dixi. (ſ) Dixi pariter alibi obſcuro antea loco jacentem Crucis particulam fuiſſe a Sergio I. Pontifice inventam: (t) atque eam quidem *ex tempore illo omnibus annis in Baſilica Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana die exaltationis ejus ab omni populo oſculis coli, & adorari* conſueviſſe, ex probabilibus Scriptoribus diſcimus. (u) Si quis alia cupit exempla, ea conſulat, quæ Gretſerus luculentiſſima habet (x): nam nos ſuperioribus contenti ſumus.

(p) tom. 1. Sirmondi pag. 36. Conſule annotationem Sirmondi in locum hunc.

(q) pag. 39. ejuſdem tomi 2. Sirmondi.

(r) 1. *de glor. Marty.* cap. 5. Nec omittite, quæ tradit ille cap. 15. ejuſdem tituli & cap. 15. libri X. *hiſtoria francor.*

(ſ) diſſer. 7. cap. 54. §. 6., & 8.

(t) Recole tradita diſser. 8. cap. 18. §. 6.

(u) Beda de ſex *mundi ætati:* ad an. m. 4652. alias 4649. Ado in Chronico ad an. 696. Sigeber. ad an. 658. &c. Id ipſum affirmant haud pauca Vetuſta Martyrologia. in theſau. vet. mon. Caniſ.

(x) tom. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 77. 78., & 79. pag. 134. & ſubſeq. editio. Ratiſbo.

CAP. VIII.

Ea aſſerimus, & diſſolvimus, quibus monumenta ſuperiori capite adducta eludere atque enervare ſtudent Proteſtantes.

I. QUorſum hæc? (inquiunt, ducibus Luthero, & Calvino, (*a*) Proteſtantes.) Quorſum hæc, niſi ut putidiſſimi mendacii redarguantur boni Papiſtæ, qui quodlibet lignum ſimplici plebi veluti dominicæ Crucis particulam adorandum proponunt? An non infinito ipſo harum particularum numero, eorum error, atque imprudentia refellitur? ſi enim particulas has jungeres, Crucemque ex his efformares, *integra domus facile* conſtrui his poſſet, & *decem Barcæ Hollandicæ onerari*. Sed omnia facile ebibunt ii, qui reliquiarum amantes ſunt, ſibique imponi permittunt antiquam quidem, ſed tamen æſopicæ affinem Paulini de Crucis, ut ita loquamur, inexhauſta & indefectibili copia, & veluti germinatione, fabulam, quam ipſis Paulini verbis recitare libet. (*b*) „ Quæ „ quidem Crux in materia inſenſata vim vivam tenens, „ ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta „ non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie di„ vidua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus. Sed „ iſtam imputribilem virtutem & indetribilem ſoliditatem de illius profecto carnis ſanguine bibit, quæ „ paſſa mortem non vidit corruptionem. „ Sed quis, niſi plane excors, hæc ſibi obtrudi patiatur? Fidem ſibi demit Paulinus, dum nimio plus vulgi rumori & fallaciſſimæ famæ credens, hæc, quæ retulimus, narrat; & quaſi hæc levia eſſent, aliud recenſet, cujus quidem narratione fidem prioris augere ſtudet, ſed re vera in utroque is apparet, cui verba boni Monachi dederint. Audite quæ tradit ille. (*c*) „ Mirum vero inter „ hæc, quod in baſilica Aſcenſionis locus ille tantum, „ de

(*a*) Verba Lutheri, & Calvini habet Gretſerus to. 1. *de Cruce*: lib. 1. cap. 77. pag. 134. & 135. editio. Ratisbo.

(*b*) in epiſto. olim 11. nunc 31. n. 6.

[*c*] Ibidem n. 4.

„ de quo in nube ſuſceptus *aſcendit*, *captivam* in ſua „ carne *ducens captivitatem noſtram*, ita ſacratus divi- „ nis veſtigiis dicitur, ut numquam tegi marmore aut „ paviri (*) receperit, ſemper excuſſis ſolo reſpuente, „ quæ manus adornandi ſtudio tentavit appo ere. „ Itaque in toto baſilicæ ſpatio ſolus in ſui ceſpitis „ ſpecie virens permanet; & impreſſam divinorum „ pedum venerationem calcati Deo pulveris perſpicua „ ſimul & attigua venerantibus arena conſervat, ut „ vere dici poſſit: *Adoravimus, ubi ſteterunt pedes ejus*:„ Quæ quidem exſcribens Sulpitius (*d*) veriſimile apud credulum vulgus id efficere ſtuduit, quod remotiſſimum a vero eſt.

(*) *pavimento*, ut arbitror.

[*d*] lib. 2. hiſto. ca. 49. pag. 372. editio. Hornii 1665.

II. Hæccine ingenioſa illa adverſariorum effugia, quibus ſuperioris capitis, aliaque his affinia argumenta ſe plane evertiſſe confidunt?

O miſeras hominum menteis! o pectora cæca! (*) Adeone fallacibus conjecturis fidendum ducitis, ut quæ Veteres optimi expreſſiſſime tradiderunt, non in dubium modo vertatis, ſed audaciſſime pernegetis? Sed ad rem ipſam continuo veniamus. Quæcunque ſit via, qua captioſas has argumentatiunculas evadamus, illud procul dubio ſtatuendum eſt, veriſſimum id eſſe, quod Cyrillus Hieroſolymitanus tribus in locis perſpicue inculcavit: per totum ſcilicet Orbem Dominicæ Crucis particulas fuiſſe diffuſas: id vero, quamvis haud ita facile, ſi vis, explicetur, tamen probabiles ſubit explicationes. Atque a principio id minime placet, quod a docto Theologo, magno cum plauſu traditum eſt: (*) Dominicam ſcilicet Crucem valde humilem, neque admodum gravem fuiſſe. Nimirum hæc erat Judæorum animis adverſus Chriſtum indita rabies, ut maximis, quibus poſſent cruciatibus, & contumeliis eum afficerent. Augebat porro dolorem immani pondere gravis Crux, quæ mole ſua, dum in Calvariæ montem deferretur, Jeſum vehementer affligeret. (Et revera illius ponderi ceſſit, illique humeros ſuos ſupponere compulſus eſt Simon Cyrenæus (*)). Contumeliam vero augebat, dum ceteris eminentior Jeſum morti damnatum magis conſpicuum, ideoque ludibriis magis expoſitum redderet. Potuere porro ſine miraculo ex grandi Cruce plurima tenuiſſima fruſta decerpi.

[*] Lucre. lib. 2. v. 14.

(*) exerci. 53. ſ. 2. & 3.

(*) Matth. 27. 32. &c.

III. Ceterum cur per miraculum multiplicatam negas Crucem, ideoque ſuccenſes Paulino id docenti? An non plurima per ea tempora miracula efficiebantur, quæ ſi velim ſingula recenſere, me dies, atque oratio deficeret? An irridebis Thamauturghi miracula nec pauca ſane, nec levia? *Miraculis* ſcilicet (ut verbis Gregorii utar) *erat tum Eccleſia nutrienda:* hinc nec exigua, nec rara a Scriptoribus prudentibus juxta, ac piis memoriæ ſunt prodita. (*) An brachium Domini coarctas, viſque miraculum, quod tandem toti Orbi futurum erat emolumento, minime contigiſſe, quum in veteri teſtamento haud abſimile noverimus a Propheta peractum, ut Sareptanæ viduæ occurreret egeſtati (*)? Paulinum ſane immerito contemnis: neque enim aut imprudens, aut indoctus is dici poteſt, immo e contrario non minus pietate, quàm eruditione, & rerum peritia laudatiſſimus: hinc quæ tradit, haud temere tradidiſſe dicendus eſt, recteque illius verba exſcripſit, & in rem ſuam tranſtulit Sulpitius; præſertim quum id facile ab iis diſcere potuerit, qui ex Oriente in Gallias reverſi fuerant, nec ignobiles ſane, nec pauci. Nec eſt, cur tibi diſpliceat quod de indelebili veſtigiorum Chriſti figura pulveri impreſſa tradit; etenim id non modo a Sulpitio, verum etiam a Paulino Petrogorico, (*e*) a Beda (*f*), & Scriptore illo, qui diu a multis dictus eſt Hieronymus, (*g*) litteris proditum eſt, adeo ut priſcis Scriptoribus ceteroqui laudatiſſimis fidem neges neceſſe ſit, ſi Paulino negas. Id vero quod de indeficiente, ut ita loquar, Dominicæ Crucis materia tibi videtur a veriſimilitudine remotiſſimum, inſinuari plane videtur a Cyrillo illo, quo vetuſtiores, doctioreſve habemus paucos. (4)

CAP.

(*) Vide quæ §. 8. capitis V. adnotavi.

(*) 4. Reg. 4. 5. &c.

(*e*) lib. 5. *de vita S. Martini*. pag. 871. tom. 8. Bibliot. Pat. Pariſi.

(*f*) *de locis Sanctis* cap. 7.

(*g*) *Ad Orientem Hieroſolyma, torrente Cedron interfluente, ubi ultima veſtigia Domini humo impreſſa, hodieque monſtrantur, cumque terra eodem quotidiè a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuo recipiunt*. (de locis Hebraicis, *de actis Apoſtolo*. pag. 512. & 513. tomi 3. editio. Maria. Victor. adornatæ a Plantino an. 1578. ad voc. *Mons Oliveti*.) Quem quidem ſcriptorem eruditum eſſe, & valde probabilem, docet idem Marianus in præfatione præpoſita opuſculo illi.

(4) Difficillimum ſane ad explicandum videtur id eſſe, quod de particulis Crucis totum Mundum replentibus narrat, niſi id per quandam multiplicationem fuerit factum: Atque huic interpretationi robur fortaſſe non leve adjungit quod proxime ante verba ex Catecheſi X. jam allegata dixerat: *Teſtantur quinque panes in quinque virorum millia multiplicati*, veluti jungens duo haud abſimilia miracula, quorum primum in multiplicatione panum, alterum in multiplicatione Dominicæ Crucis erat poſitum.

C A P. I X.

Feſtos, ſolemneſque dies in inventæ Crucis memoriam jam pridem fuiſſe ab Eccleſia inſtitutos.

I. SIcut porro argumenta, ut Dominicæ Crucis inventionem impetant, congerunt multiplicantque adverſarii, ita nobis adjicienda alia, ac multiplicanda ſunt argumenta, quibus ejuſdem inventionis veritatem ſtatuere ac ſtabilire magis magiſque valeamus. Magnum enimvero pondus apud Viros doctos obtinuit feſtorum dierum, quibus inventæ Crucis memoria recoleretur, inſtitutio: etenim eâ manifeſto hujuſce hiſtoriæ recognitio atque approbatio innoteſcit. Quam quidem inſtitutionem cave putes recentem eſſe: Etenim in vetuſtiſſimo illo *Sacramentorum* codice, quem edidit Optimus Card. Thomaſius (*a*), eundem Codicem haud immerito (magna ſaltem ex parte) Gelaſio tribuens, hæc ſe offerunt: (*b*) *Deus qui in præclara ſalutiferæ Crucis inventione, Paſſionis tuæ miracula ſuſcitaſti, concede, ut vitalis ligni pretio æternæ vitæ ſuffragia conſequamur.*

II. In illo quoque Miſſali, quod *Gothicum appellatur*, eſtque pariter ab eodem præclariſſimo Cardinale Thomaſio evulgatum, adeſt Miſſa *in inventione Crucis* (*c*).

III Quid quod in antiquiſſimo illo *Sacramentario*, (*d*) quod *Gallicanum* appellat Mabillon (cujus opera illud evulgatum eſt) (*e*) eadem Miſſa habetur: quæ ad hunc modum incipit? (*f*) *Venerabilem toto mundo de inventione ſanctæ Crucis ſacratiſſimum diem ſollemn.ter celebrantes, gratias agamus divinæ potentiæ, qui* (*) *tantæ ſalutis vexillum, quod Judaica nobis abſcondebat malitia, cæleſtis hodie revelavit clementia. Nam etſi gens perfida Dominum noſtrum in ſepulcro retinere non potuit, vel ipſa Crucis indicia voluit ſub foſſa celare. Quid enim illa*

(*a*) Romæ an. 1680.

(*b*) li. 2. pag. 151.

(*c*) pag. 349.

(*d*) *Scriptus eſt codex ante annos mille &c.* pag. 275. to. 1. *Muſæi Italici*.

(*e*) ex Codice Bobienſi, ut ipſe teſtatur. Vide præfationem huic Sacramentario a Mabillonio præpoſitam pag. 273. to. 1. *Muſæi Italici*.

(*f*) pag. 333.

(*) fortaſſe legendum eſt; *quia*

illa mens perfida poterat excogitare de cruce, quæ jam ſacrilegium commiſerat in auctorem? Itaque ſicut in Chriſti reſurrectione calliditas Judæorum damnata eſt, ita eſt in crucis manifeſtatione virtutis, confuſa.

IV. Ediderat ante Thomaſium, (g) & Mabillonium Hugo Menardus librum alium *Sacramentorum*, quem ex Gregorio Magno prodjiſſe putat, atque in eo pariter ſe ſe offert Miſſa dicenda in die *inventionis Crucis*. (h)

V. Martyrologia quoque latina idem feſtum annunciant. Unum hic refero, quod omnium antiquiſſimum a multis putatur, illud ſcilicet, quod evulgavit Florentinius. In eo porro ad 3. Maii diem hæc habentur. *In Jeroſolyma inventio S Crucis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ab Helena, poſt paſſionem Domini ann.* CCXXXIII. *regnante Conſtantino Imperatore*. Quamvis autem in annorum numerum error irrepſerit (quod in nonnullis aliis martyrologiis accidiſſe idem Florentinius affirmat) res tamen ipſa ex hujus etiam Martyrologii teſtimonio robur non leve accipit.

VI. Sed cur, inquis, omiſſa eſt dies *inventionis Crucis* in eo Kalendario, quod publici juris fecit Fronto? (i) Hoc tamen Kalendarium, ut ipſis Frontonis verbis utar (k), *non ſuperat tempora Gregorii II., qui ſedit an.* 714. Cur etiam a Græcis omittitur?

VII. Summa viſa eſt Viris egregiis difficultas hæc, quæ tamen ad hunc modum ſolvitur. Num feſta, de qua agimus, dies, quadam amanuenſis negligentiâ omiſſa ſit, dubitari merito poteſt; præſertim quum in eandem diem rècidat *feſta dies SS. Alexandri, Eventii, & Theoduli*; quæ quidem in libro *Sacramentorum* Gregorii, priore loco ponitur: ſolent autem amanuenſes, ut labori parcant, poſterius omittere, retento tantum priore (*). Quod ſi horum Martyrum Eccleſiæ addictus erat amanuenſis ille, ſcis profecto causâ, ob quâ *inventionem Dominicæ Crucis* omiſerit. Nimirum in ea Eccleſia, quam ipſe frequentabat, Dominicæ Crucis inventio minime celebrabatur. Contra actum conſpicimus in Codice *Sacramentorum*, quem Gelaſio, uti diximus, tribuit Optimus Thomaſius ſiquidem prorſus omittitur ſolennitas horum Sanctorum Martyrum. Ea nimirum Eccleſia, quæ codice hoc uteba-

(g) an. 1642. Pariſiis.

(h) pag. 86.

(i) pag. 170. edit. Veron. an. 1733.

(k) *in prænotatis ad Kalendarium* §. 2. pag. 112. ejuſdem Editio. Veron.

(*) Id in Martyrologiis ſæpiſſime cernimus.

tebatur, cum eſſet tota occupata in celebranda Crucis ſolemnitate, horum Martyrum feſtivitatem omittebat. Hinc ad antiquitatem illius, de qua agimus, feſtivitatis repellendam, multo minores vires, quàm fere putetur, habere arbitror Frontonis Kalendarium. Valde vero probabilem arbitror eorum ſententiam, qui non a tota Eccleſia Romana a principio celebratam ajunt Dominicæ Crucis inventionem, ſed in ea tantum Baſilicâ, in quam Dominicæ Crucis reliquiæ translatæ fuerant, ac potiſſimum quidem in Baſilicâ *S. Crucis in Hieruſalem*, ex qua fortaſſe in alias Eccleſias celebritas ea manavit, ſive communicatione quadam feſtivitatum, ſive quod aliæ Baſilicæ (ſi Vaticanam excipias (*)) portionem aliquam Dominicæ Crucis ab ea receperint: quam ob rem in multas quidem Eccleſias, minime vero in cunctas, niſi multo poſt tempore, feſtivitas ea propagata eſt. In earum porro numero quæ nondum feſtivitatem eam celebrabant, ea Eccleſia erat, ut dixi, quæ Frontonis Kalendario utebatur.

VIII. Haud recte vero eos ſenſiſse cenſeo, qui feſtivitatem hanc omiſsam arbitrantur a Græcis. Minime eam omiſerunt, ſed alia die eam egerunt; quæ num ea ipſa eſset, in qua eadem Crux inventa fuerit, an non, diſputant Critici. Sed profecto die Septembris 14. eam celebrarunt: Etenim ea die ſolemniter populo oſtendi conſueverat, ad recolendam memoriam illius celebris diei, qua primùm ex humo ſuper eam aggeſtâ, eruta eſt, elataque & populo oſtenſa: quod quidem in eorum Menologio indicatur: ſed apertiſſime traditur in ea Andreæ Cretenſis oratione, quam *in exaltatione S. Crucis* inſcripſit. (*l*) Id quoque confirmat Nicephorus his verbis in latinum a Lango converſis: (*m*) *Cujus* (Crucis) *partem maximam divina Helena argenteæ ciſtæ incluſam Epiſcopo ad memoriam poſterarum generationum reliquit: ubi etiam ſacram exaltationem quot annis peragendam ſanxit.*

IX. Sed neque omiſsam fuiſse a reliquis Orientis populis indicare videntur ea Kalendaria, quæ recenſet Gretſerus, (*n*) ad quem Lectorem delego.

(*) Recole dicta §. 4., & 14. (annot. *t.* & *u.*) capitis VII.

(*l*) Conſule ea Andreæ Cretenſis verba, quæ in oratione *de exaltatione S. Crucis* occurrunt: pag. 80. editi. Ratisb. tom. 2. Gretſer. *Merito etiam &c.*

(*m*) lib. 8. hiſto. cap. 29.

(*n*) tom. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 65. pag. 116. edit. Ratisb. §. ad hunc modum incipiente: *In Calendario Coptitarum &c.*

CAP.

CAP. X.

Eandem Crucem a Perſis Hieroſolyma ablatam, fuiſſe deinceps, victo Choſroe Perſarum Rege, eidem urbi reſtitutam.

I. QUoniam vero feſtæ diei in honorem inventæ Crucis meminimus, recenſeamus eſt opus feſtam alteram diem in honorem ejuſdem Crucis Hieroſolymis reſtitutæ: facit enim hæc ipſa inſtitutio ad rem noſtram. Quis ſane reſtitutam putabit, ſi omnino detecta non fuit?

II. Eam porro diem, quam *exaltationem S. Crucis* appellamus, ſicut Græci in memoriam inventæ Crucis inſtituerunt, ita in memoriam reſtitutæ Chriſtianis Crucis, quam Perſæ abſtulerant, Latini celebrant. Id Breviarium Romanum palam evincit, [a] conſentiuntque ea in re Theologi omnes. Hæc in ſumma eſt hujuſce apud Latinos feſtivitatis origo. Expugnaverat Choſroes Perſarum Rex Hieroſolymam, multiſque millibus Chriſtianorum aut peremptis, aut in ſervitutem deductis, adeo ut ne ipſum quidem Hieroſolymis relinqueret Zachariam Patriarcham, inter cetera ſpolia, quæ inde abſtulit, Crucem ipſam, in qua pependerat Dominus, & Helena invenerat, ſecum detulit. At aliquot poſt annis, ille ipſe Heraclius, qui pacem, ne iniquis quidem conditionibus obtinere a Choſroë potuerat, eximiam Deo ferente opem, ſignis cum hoſte collatis, tres illius duces cum tribus exercitibus ſuperavit, ipſumque Choſroam in fugam egit. Hic, ut afflictis Regni ſui rebus ſuccurreret, imperii ſocium adſcivit Medarſem filium natu minimum, quam injuriam, cum Siroes major natu ferret atrociter, patri, ac fratri necem intulit, tum ab Heraclio regnum obtinuit, certis quibuſdam conditionibus, quarum prima fuit, ut Crucem Domini reſti-

(a) *Itaque Heraclius, qui Phocæ ſucceſſerat, multis belli incommodis & calamitatibus affectus, pacem petebat, quam à Choſroa victoriis inſolente, ne iniquis quidem conditionibus impetrare poterat. Quare in ſummo diſcrimine, ſe aſſiduis jejuniis & orationibus exercens, opem à Deo vehementer implorabat: cujus monitu, exercitu cõparato, ſigna cum hoſte contulit, ac tres duces Choſroæ cum tribus exercitibus ſuperavit.*

reſtitueret. Itaque XIV. annis poſtquam in Perſarum manum devenerat Crux, recepta eſt a Chriſtianis, & Hieroſolymitano templo rurſus illata.

III. Multa tum peracta fuere miracula, atque illud in primis, quod *Heraclius, ut erat auro, gemmiſque ornatus, cum Crucem ipſe ſacræ ædi inferre tentaret, inſiſtere coactus eſt in porta, quæ ad Calvariæ montem ducebat. Quò enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur. Cumque ea re & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent: Zacharias Jeroſolymorum Antiſtes, Vide, inquit, Imperator, ne iſto triumphali ornatu in Cruce ferenda parum Jeſu Chriſti paupertatem & humilitatem imitere. Tunc Heraclius abjecto ampliſſimo veſtitu, detractiſque calceis, ac plebejo amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit, & in eodem Calvariæ loco Crucem ſtatuit, unde fuerat a Perſis aſportata.*

IV. Hæc in ſumma ex Breviario Romano didici. Cedrenus autem [*b*], Zonaras [*c*], Hiſtoria miſcella (*d*), Glycas (*e*), Theophanes (*f*), Svidas quoque (*g*) & Ado (*b*) id ipſum fere tradunt; adeo ut tam etſi in nonnullis circumſtantiis enarrandis aliquam habeant variationem, in re tamen ipſa conveniant. Id pariter comprobat libellus quidam, qui ad hunc modum inſcribitur: *Memoriale ſub compendio acquiſitionis Sanctæ Civitatis* (*i*). Hinc ſi quis in dubium id verteret, temere prorſus id ageret. Et de Dominicæ Crucis inventione ſatis egimus: licet enim ad hoc caput facile pertineant, quæ de cultu adhibito Dominicæ Cruci dicturi ſumus, commodius tamen ſubſequenti ſectione comprehendentur, in qua de veneratione Dominicæ Cruci delata agemus.

(*b*) cap. 180. pag. 331. editio. Vene. pariſ. 419.

(*c*) Anna. lib. 14. & 15. & 16. Tom. 2. pag. 66. & 67. editionis Vene.

(*d*) lib. 18. pag. 124. & 111. par. 1. tom. 1. rer. italica.

(*e*) annal. par. 4. pag. 213. edit. Vene par. 276.

(*f*) Chrono. pag. 216. edit. Vene. (Typographi errore notatur 220.)

(*g*) v. *Heraclius*.

(*b*) Æta. 6. in *Heracl.* pag. 365. tom. 8. Bibli. Pat. Pariſ.

(*i*) pag. 425. to. 4. theſ. monu: Caniſii. edit. a Baſnag. ſed quæ hic allegantur, habes pag. 446.

CAP. XI.

De cultu adhibito eidem Cruci.

Chriſti fideles Dominicam Crucem jam dudum veneratione proſecutos fuiſſe, eundemque morem deinceps ſervaſſe, monumentis valde probabilibus oſtendimus.

I. SI ideo Dominicam Crucem fuiſſe inventam Proteſtantes negant, ut immerito eam a Catholicis cultu affectam tradant, dubium non eſt, quin cultum illi adhibitum execrentur, & oderint. Rectene, an ſecus, is judicabit, qui diſſertationem noſtram VIII. *de Reliquiarum cultu* inſtitutam diligentius expenderit. Tamen, ut accuratius muneri meo ſatisfaciam, peculiarem hoc de argumento quæſtionem inſtituam, oſtendamque, temere Catholicos a Proteſtantibus irrideri, propterea quia eam, in qua Dominus pependit, Crucem, honore cultuque proſequantur.

II. Jubent nos porro iidē Proteſtantes perſuaſionis noſtræ fundamenta a Scriptoribus trium priorum ſæculorum deſumere, quibus ſi caremus, cauſæ noſtræ conclamatum eſſe ajunt, & extremum *vale* dictum. Immerito ſane, atque injuſte; caremus enim ob perſecutorum immanitatem, & ſævitiam omnibus fere trium priorum ſeculorum monumentis, atque hujus quidem inopiæ cauſâ pauciſſima de Apoſtolorum geſtis, atque hiſtoria ſcimus. Sed quoniam deficientibus expreſſis eorum temporum monumentis, non modo Eccleſiaſticas regulas proferre, verum etiam plane licet ea argumenta, quæ *a pari*, multoque magis illa, quæ *a fortiori* ſcholaſtici appellant, atque adeo conjecturas ipſas ac rationem Theologicam, ac ſubſequentium probatiſſimorum Scriptorum teſtimonia perſequi, ac producere, vi-

de-

deamus quæſo, num his omnibus, Catholicorum ſententia, ac mos valde probabilis efficiatur.

III. Inter Eccleſiaſticas regulas principem fortaſſe locum hæc obtinet. Quum ab univerſa Eccleſia aliquid obſervatur, cujus quidem conſuetudinis exordium a nullo Eccleſiæ decreto, ideoque nulla aut Concilii Generalis, aut Romani Pontificis edictione repeti poteſt, illud ad apoſtolica tempora referendum eſt. Quæ quidem regula præterquamquod in Auguſtini auctoritate fundatur, (*) tale etiam a ratione præſidium habet. Quis ſibi perſuadeat, in unam aliquam conſuetudinem conſpirare potuiſſe tam diſſitas, & moribus ſæpe diſcordes nationes, quibus præpoſiti ſint Eccleſiaſtici præſides valde docti ac pii, ideoque ſolliciti, ne fraus aliqua, aut dolus malus in ſubditorum mores, atque animos illabatur, niſi illos aliquod auctoritatis, aut rationis momentum validiſſimum permoviſſet? Quodnam porro afferre poteris aliud auctoritatis momentum, ſi Eccleſiaſtica quævis edictio abſit, niſi illud ipſum, quod ab ipſis Eccleſiæ exordiis cunctos affecit, & ab Apoſtolis ipſis primariis Eccleſiæ præſidibus, & poſt angularem lapidem Chriſtum Jeſum, fundamentis, repetendum eſt? Atque ad hanc quidem auctoritatem reſpicientes univerſi Fideles latæ ab Apoſtolis ſanctioni ſe ſubmiſerunt, & ſicut ceteras ſacras reliquias, ita præſertim Dominicam Crucem (ubi habere eam licuit) coluerunt.

(*) *de baptiſmo contra Donatiſt.* lib. 2. cap. 7. n. 12. *Quam conſuetudinem &c.*

IV. Supereſt porro, ut oſtendam, ab univerſis Chriſti Fidelibus tum reliquias ſacras, tum præſertim Dominicam Crucem fuiſſe cultam; nam cum ad id nulla Eccleſiaſtica edictio eos impelleret (neque enim ulla afferri poterit priſca lex aliqua univerſalis, quæ fieri id jubeat) ad ritum hunc Apoſtolico monito permoti fuiſse dicendi ſunt.

V. At hic omiſſis, quæ ceterarum reliquiarum cultum ſibi vindicant, [*] quarto Eccleſiæ ſæculo, ſub ipſam ſcilicet illius inventionem, cultam fuiſse Dominicam Crucē, poſtea oſtendam, eamque conſuetudinem toto terrarum Orbe deinceps fuiſse ſervatam, tum aliis quidem valde probabilibus monumentis, tum apertiſſimis Hormiſdæ, Ruſtici, & Andreæ Cretenſis teſtimoniis evincam. Atque huic quidem probationi confirmandæ

(*) Eo de argumento copioſe egimus diſſert. 8.

ea hic recolere commode poteris, quæ capite 21. & 22. Diſsertationis III. diximus.

VI. Ecce autem argumentum, quod a pari, immo a fortiori appellare rectiſſime poteris. Dominicæ Crucis imaginem tribus ipſis prioribus ſæculis cultam fuiſſe, ſubſequenti ſectione oſtendam. An porro veriſimile putas negligendam fuiſse & contemnendam Crucem ipſam, cui ſuffixus eſt Dominus, dum ſummus honor illius imagini deferebatur?

VII. In conjecturarum numero ſubſequentem probationem colloco. Diſcimus ex Hieronymo (ſi is eſt auctor epiſtolæ Paulæ, & Euſtochii nomine ſcriptæ (a)), ab aſcenſu ipſo Domini per *ſingulas ætates*, non modo a minuta plebe & ab imperitis, verum etiam *ab Epiſcopis, & Martyribus* frequentatam fuiſse Hieroſolymam, atque in iis locis Chriſtum fuiſse adoratum, *de quibus primum Evangelium de patibulo coruſcaverat*. (5) Novimus quoque tribus ipſis prioribus ſeculis Alexandrum primùm quidem Cappadocum, tum poſtea Hieroſolymorum antiſtitem, *Hieroſolymam adorandi, & Sanctorum locorum videndi gratiâ properaſſe*: (b) Firmilianum quoque aut eandem, aut certe affinem ob cauſam, Hieroſolymam fuiſse profectum. (c) An putas interea locum, in quo jacebat Dominica Crux, (ſi eum probabili aliqua conjectura aſſecuti fuiſſent, nec ſuſpicari alii poſſent aliquod Gentilium numen ab iis coli, dum crucem delitentem colebant) ab iis fuiſſe omittendum?

VIII. Nec revera omiſſus is fuit, ſi, quod Veteres docent, propterea profanis delubris polluere tum alios, tum etiam locum illum ſtuduere Gentiles

(a) olim 17. in Veronenſi editio. 46. n. 9.

(b) Euſe. lib. 6. cap. XI. editio. Valeſii: in editio. Rufini cap. 8.

(c) de viris illuſtribus cap. 54. in quo quidem capite de Origene potiſſimum agit.

(5) (*) „ Longum eſt nunc ab aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina eccleſiaſtica virorum venerint Jeroſolymam, putantes minus ſe religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primùm Evangelium de patibulo coruſcaverat. „

(*) Epiſto. Paulæ, & Euſtochii nomine ſcripta olim 17. nunc 46. n. 9.

les, ne illum frequentarent Chriſtiani. Hæc profectò ex Hieronymo diſcimus: (*d*) „ *Ab Adriani tempori-* „ *bus, uſque ad imperium Conſtantini per annos circi-* „ *ter centum octoginta, in loco Reſurrectionis ſimula-* „ *crum Jovis; in crucis rupe ſtatua ex marmore, Vene-* „ *ris a Gentibus poſita colebatur, exiſtimantibus perſecu-* „ *tionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem Reſurre-* „ *ctionis & crucis, ſi loca ſancta per idola polluiſſent.* „ Atque ab hac ſtatua Veneris appellarunt Calvariæ „ montem *Venerarium*. Hinc Ambroſius: (*) *Domi-* „ *nus ſecundum cœli tractum in Venerario paſſus eſt, qui* „ *erat locus in latere Aquilonis.* „ Copioſius hæc proſequitur Sozomenus, (*e*) ad quem Lectorem rejicio.

(*d*) in epiſtola ad Pauli. *olim* 13. in Veron. edit. 58. n. 3.

(*) in pſ. 47. n. 5.

(*e*) li. 2. cap. 1.

IX. Neque his contradicit Paulinus, (*) cum ait, *Adrianum Imperatorem in loco paſſionis ſimulacrum Jovis conſecraſſe*: etenim cum *loci paſſionis* meminit, eum indicat, in quo ſepultus, ideoque a mortuis ſuſcitatus eſt Dominus: (dici autem poterat *paſſionis* locus, quia non longe ab eo paſſus fuerat Dominus). Ceterum in ea rupe, in qua crucifixus fuerat Dominus, Veneris ſimulacrum fuiſſe poſitum, nuper oſtenſum eſt.

(*) in epiſto. olim. 11. nunc 31. *ad Sever.* n. 3.

X. Theologica porro ratio probationem aliam, eamque non contemnendam nobis præbet, atque eam quidem ipſis SS. Thomæ, (*f*) & Antonini, (*g*) (quos ſequuntur, exſcribuntque plerique Scholaſticorum) verbis exponerem, niſi deinceps ea eſſem allegaturus (*). Profectò conſtat ex horum Doctorum monitis, id quod repræſentat, & quod peculiariter ſpectat ad Chriſtum, aptum eſſe, ut *in eo* colatur idē Chriſtus. Porro Crux eū repræſentat, & ad eum peculiariter ſpectat: (in ea enim ſanguinem pro nobis fudit, & ex ea ſummam promeruit gloriam:) apta ergo eſt, ut in eâ colatur.

(*f*) 3. p. *de Salva.* quæſt. 25. ar. 4. *in corpo.*

(*g*) in ſum. par. 3. tit. 12. cap. 9. §. 5.

(*) cap. 13. §. 4.

XI. Venio denique ad ſubſequentium temporum teſtimonia. Præſtat cæteris Damaſcenus, quippe qui apertiſſime teſtatur conſuetudinem, quæ nobis ineſt, *ut crucem veneremur*, in earum numero eſſe recenſendam, *quæ in ſcripturis minime expreſſæ ſunt* (*b*), uti eam, qua *ad orientem converſi adoramus*: quam tamen procul dubio ad Apoſtolica tempora referunt. Porro, cum *Crucem* nominat hic Damaſcenus, vel eam indicat, in qua Chriſtus pro nobis mortum

(*b*) iv. *de fide Ortho.* cap. 16. in editio. le-Quien.

tem ſubiit; (& tum id quod cupimus, aſſequimur), vel ejuſdem Crucis imagines indicat; tum vero argumentum illud, quod §. *6.* adduximus, hic recoli commode poteſt.

XII. At multo expreſſiora cultus hujus argumenta præſto ſunt nobis, ſi ad ea tempora quæſtionem deducas, quibus detecta Crux omnium oſculis, ac venerationi expoſita eſt. Eam ſtatim ab Helena fuiſſe adoratam, ex iis Ambroſii verbis, quæ alibi attuli, & hic recolere neceſſe eſt, facile eruitur: (*) *Invenit titulum, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum, ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo.* Etenim verbis his cultus ille procul dubio deſcribitur, quem ego deinceps afferam, & quem de adhibito imaginibus cultu diſſerens copioſe vindicavi. Similia mox tradit (*).

XIII. Approbatum deinde fuiſſe cultum Cruci adhibitum, innumera propemodum monumenta teſtantur. Laudat ſane Paulam Hieronymus (*i*), *quod proſtrata ante Crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adoraſſet.* (*) Cupiere quoque Paula, & Euſtochium *Crucis lignum lambi* a Marcella (*). Noſtræ etiam Religionis honori vertit Theodoretus, (k) quod *Græci, Romani, Barbari crucifixum Deum pronunciarent, Cruciſque ſignum honore proſequerentur.* Alibi quoque teſtatur (*l*) conſueviſſe per id tempus popopulos omnes Hieroſolymam confluere, *videre geſtientes non murorum amplitudinem ..... ſed ſepulcrum Dominicum & Crucis formam Dominicæ.* Quam quidem dum conſpiciebant, adoraviſſe, non modo ea, quæ nuper diximus, verum etiam ſubſequentia monumenta declarant.

XIV. Profecto ter quovis anno ſolemniter propoſitam fuiſſe Jeroſolymis ad adorandum eam Crucis portionem, quam ibi reliquerat Helena, ſubſequentibus luculentiſſimis teſtibus evincitur. Id Paſchate fieri conſueviſſe, teſtatur Paulinus: (*m*) *Crucem*, inquiens, *Epiſcopus Urbis (Jeroſolymitanæ) quot annis, cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipſe venerantium promit.* Eodem reſpicere putatur Hieronymus, cum hæc ait: (*n*) *Nos Azimorum Paſcha non celebramus, ſed Reſurrectionis & Crucis.*

XV.

[*] n. 46. orationis *de obitu Theodo.*

(*) n. 48. *Crucem in capite Regum levavit, ut Crux Chriſti in Regibus adoretur.*

[*i*] in epiſt. olim 27. in Veron. edi. 108. *ad Euſtochium*: (quę quidem epiſtola continet *epitaphiū* Paulæ) n. 9.

(*) Afferri ſolet alter Hieronymi locus, deſumtus ex Commenta. in pſ. 98. in quo quidem verba illa: *adorate ſcabellum pedum ejus*, ad Crucem refert. Sed Hieronymo librum illum Critici demunt. Vetuſtum tamen, nec ignobilem habet auctorem. Vide præfationem illi præpoſitam *in appendice* tomi VII. edit. Veron.

(*) in epiſt. *ad Marcellam* olim 17. in Veron. edit. 46. inter Hieronymianas n. 12.

[k] *de curandis Græco. affectio.* orat. 6. pag. 532. tom. 2. editio. Colon. 1573.

[*l*] in cap. 1. Iſa.

(*m*) Epiſt. olim 11. nun 31. ad Severum n. 6.

(*n*) in cap. 4. Epiſt. ad Galatas v. 10. & ei. col. 465. tom. 7. editio. Veron.

XV. Media Quadrageſima, ideoque ante Paſcha, publice oſtenſam, ac populorum venerationi propoſitam fuiſſe Dominicam Crucem, memoriæ prodidere Sophronius Patriarca Jeroſolymitanus, aliique, quorum teſtimonia collegit Gretſerus: (o) atque ad eum quidem lectorem rejicio.

XVI. Non me latet hic nonnullos Paulini auctoritatem urgere, hæc quippe ait: (*) „Neque præter „ hanc diem (*Paſchatis ſolemnitatem indicat*) qua „ Crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa, quæ ſa„ cramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſacræ ſo„ lemnitatis inſigne profertur, niſi interdum religio„ ſiſſimi poſtulent, qui hac tantum cauſa illò peregri„ nati advenerint, ut ſibi eius revelatio, quaſi in pre„ tium longinquæ peregrinationis deferatur. Quod ſo„ lum epiſcopi beneficio obtineri ferunt: cujus & „ tantum munere de eadem Cruce hæc minuta ſacri „ ligni, ad magnam fidei & benedictionis gratiam, ha„ beri datur. „ Nimirum his verbis videtur coarctare Paulinus tempus, quo Crux proponeretur ad adorandum, coarctare inquam ad Paſchalem celebritatem. Sed neque me latet quid ad objectionem hanc Theologi reſpondere conſueverint. Putant ſcilicet nonnulli memoriâ hic excidiſſe Paulinum, præſertim, cum indubitata res ſit, *Exaltationis Crucis* die eandem Crucem populorum venerationi fuiſſe ſolemniter propoſitam, quod mox oſtendemus. Mitius cum hoc Scriptore agunt alii, ajuntque primùm quidem cunctis fuiſſe propoſitam ad adorandum in Paſchatis celebritate Dominicam Crucem, aliquibus vero religioſiſſimis extra ordinem, & minus ſolemniter fuiſſe oſtenſam *quaſi in pretium longinquæ peregrinationis*; ſed cum deinceps major fieret populorum ad Crucem videndam, adorandamque concurſus, ne aut optato aſpectu fraudarentur Peregrini, aut nimio plus fatigaretur Epiſcopus, & a reliquis muneris ſui functionibus averteretur, ſtatutos fuiſſe alios dies, quibus eadem Crux Populorum cultui ſolemniter exhiberetur. Utra ex his explicationibus præſtet, judicaverit Lector. Illud tamen advertere hic lubet, Andreæ Cretenſis verba, quæ mox allegabimus, ſic accipi conſueviſſe, ut ad tempora ipſa inventæ Crucis, ſolemnitatem Exaltationis, ideoque con-

(o) to. 2. *de Cruce* pag. 212. & ſubſequent. edit. Ratiſbonenſis. Id ſervatum etiam fuiſſe Conſtantinopoli, indicat Codinus *de offic. Eccle. Conſtanti.* cap. 9. pag. 83. edit. Vene.

(*) n. 6. epiſtolæ XI., nunc XXXI. *ad Sever.*

conſuetudinis, qua Populis eadem Crux proponeretur ad adorandum, protendant.

XVII. Utcumque res ſit, ipſa Exaltationis Dominicæ Crucis feſta die, ſolemniter fuiſſe Populis oſtenſam Crucem, Andreas Cretenſis Archiepiſcopus affirmat, (p) cujus verba hic referre juvat. „ Merito etiam ingens hæc multitudo hodie congregata eſt, ut & „ Crucem hodie patefactam contempletur, Chri- „ ſtumque ſimul in illa exaltatum adoret; patefacta „ enim eſt, ut exaltetur, exaltatur vero, ut manifeſte- „ tur. Quænam? Illa videlicet, quæ paulo ante in „ loco Calvariæ abſcondebatur, nunc autem ubique „ adoratur.„ Quàm vero antiqua eſſet hujuſce ritus inſtitutio & quanam ratione peragеretur, mox docet idem Andreas, hæc elocutus: „ Ea de cauſa cum pri- „ mi primitus Chriſtiani prima regni ſceptra ſuſcepiſ- „ ſent, cum triumpho totius ſimul Eccleſiæ, velut ex „ excelſa quadam ſpecula, juſſerunt eam in altum ex- „ tolli, & oſtendi toti cœtui. Et hoc eſt, quod nunc „ faciunt, qui clavum ſuſceperunt pontificium. In „ exelſum Eccleſiæ locum conſcendentes, & hanc glo- „ rioſiſſimam & maxime adorandam Crucem in altum „ extollentes, elevant, & ſæpe in ſublime extendentes „ populis oſtendunt, tantum non clamantes: Ecce „ inventus eſt, qui abſconditus fuerat, ſalutis theſau- „ rus. Ecce ſignaculum, in quo ſignati ſumus. Ec- „ ce Crux, per quam Crucifixo cogniti ſumus. „ Ejuſdem Feſtæ exaltationis Crucis diei mentio fit in vita S. Mariæ Egyptiacæ: (q) in Vita S. Simeonis Sali, qui imperante Juſtiniano vixit (r): & in Geſtis Theodoſii Cænobiarchæ (ſ), & Anaſtaſii Martyris (*). Merito itaque putatur, ideo exaltationem vocari apud Græcos diem hanc, quod loco ſublimi poneretur (ideoque veluti exaltaretur) Dominica Crux; atque eidem mori ſe ſe veluti accommodaſſe Latinos, ex iis, quæ deinceps dicam, plane aſſequimur.

XVIII. Quam verò frequens eſſet ad celebritatem hanc concurſus teſtatur, ut ceteros omittam, idem ille Scriptor, cui debemus Hiſtoriam Simeonis Sali, cujus præclariſſima hæc verba ſunt: (*) „ *Norant autem omnes, qui illic adeſſe conſuevere in hoc* „ *ſan-*

(p) In Oratione 2. *in exaltationem S. Crucis*: tom. 2. Gretſeri pag. 79. ſed quæ hic allegatur, habes pag. 80.

(q) Apud Surium 9. Aprilis pag. 662. Vide pag. 668.

(r) Apud Surium 1. Julii pag. 1. Vide pag. 3.

(ſ) Apud Surium 11. Jan. pag. 239. ſed quæ indico, habes pag. 255. *ſed tempus eſt tranſeundi &c.*

[*] apud Surium 22. Jan. pag. 529. Vide pag. 535. 5. *Cum ergo videret &c.*

(*) Apud Surium 1. Jul. pag. 3.

„ *ſancto, & omnibus laudibus celebrando feſto, ad quod ex*
„ *univerſo fere orbe terrarum concurrit multitudo populorum, quæ crucem & Chriſtum diligit*. „ Id ipſum ſcriptis prodidit Sozomenus (*t*), ex quo pariter diſcimus, complures ex omni fere Terrarum Orbe illuc convenire conſueviſſe. Quod mirum non eſt; etenim *per continuos ſeptem dies collectæ in ea Sacra Æde fiebant*, propterea quia conſecrationis illius memoria ageretur, adeo ut conſecratio Baſilicæ, & Crucis Exaltatio in eundem incideret diem: quod præter Sozomenum affirmant Nicephorus, (*u*) & Chronicon Alexandrinum (*x*). Quamquam indicat Menologium, quod in typico Sabæ habetur, agi conſueviſſe memoriam dedicationis hujuſce Baſilicę die proxime præcedente Dominicæ Crucis exaltationem: etenim ad 13. Septembris hæc habentur: *Encenia Sanctæ Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis*. Tamen minime dubitat affirmare Gretſerus, (*y*) id per anticipationem quandam fuiſſe factum; voluere enim deinceps Græci feſtivitates has brevi temporis intervallo disjungere.

XIX. Quamnam porro ex his Solemnitatibus indicet Gregorius Turonicus, cum de ſervata apud ſe particula Crucis, Jeroſolymis jam recepta, ſermonem habet, ignorare me fateor; ſed ſane ex illius verbis aſſequimur, tantam, uti nuper dixi, fuiſſe populorum ad Crucem adorandam frequentiam, ut eo tempore non ſolum non poſſet quiſpiam particulam aliquam ſacri ligni promereri, ſed etiam importunius accedens verberibus arceretur. (*z*)

XX. Num vero, dum idem Gregorius hæc ait: *Crux Dominica, quæ ab Helena Auguſta Jeroſolymis eſt reperta, ita quarta & ſexta feria adoratur*, quartam & ſextam feriam intra octavam Paſchatis, & Exaltationis Dominicæ Crucis indicet, an potius ad quamlibet quartam & ſextam feriam id extendat, quibus ſcilicet Peregrinorum devotioni ſatisfieret, dubitari merito poteſt. Illud pro comperto habent multi, tantam fuiſſe populorum ad Crucem viſendam, venerandamque frequentiam, ut eam per ſe ipſe proponere jam non poſſet Jeroſolymitanus Antiſtes, qui propterea coactus eſt, ut virum probum ex Clero eligeret, cui munus hoc demandaret. Agit hac de re Gretſerus, (*a*) atque ad eum quidem lectorem dele-

(*t*) lib. 2. cap. cap. olim 25. in editione Valeſii 26.

(*u*) lib. 8. cap. 50.

(*x*) pag. 228. edit. Venc. *His Conſulibus* (Dalmatio, & Anicio Paulino) *facta eſt dedicatio Eccleſiæ S. Crucis die* XVII. *menſis Septembris*. (notat porro Martene legendum eſſe die 14.)

(*y*) Tom. 1. *de Cruce* cap. 65. pag. 115. Edi. Ratisb.

(*z*) Gregor. Turon. 1. de Glor. Mart. cap. olim 5. in edi. Ruinart. 6. *Cum ſciamus, in tempore, quo ſacrum hoc lignum adoratur, non ſolum exinde nihil quemquam mereri, ſed etiam importunius accedentem verberibus arceri*.

(*a*) Tom. 1. lib. 1. *de Cruce*: cap. 75. pag. 131. edit. Ratisb.

gare compellor a propoſita mihi in tam vaſto argumento brevitate. Idem autem Gretſerus Lectori, curioſius ſcire cupienti, utrum non modo minuta plebs, verum etiam nobiles ac præſtantes viri ad eandem Crucem venerandam Jeroſolymas adierint, ea præbebit, quæ ejuſdem Lectoris deſiderium explere fortaſſe poterunt. (b) Inſtituto meo ſatis id eſſe volo, quod ait Hieronymus: (c) *Cum de Anaſtaſi pergeretis ad Crucem*.

XXI. Tametſi porro eas, quas Fidelium pietas ſibi concedi petiit, Dominicæ Crucis particulas, privato comodo aliquando reſervaverit, (d) indubitatum eſt tamen, publico emolumento non exiguum harum particularum numerum in Eccleſiis fuiſse ſervatum. (e) Ea porrò res Fideles permovit, ut ſervatam in ſacris Baſilicis Dominicæ Crucis portionem publice venerarentur, conſtitutis præſertim quibuſdam diebus. Ut ab illa exordiar, quæ Conſtantinopoli ſervata eſt, poſterorum memoriæ tradidit Beda, eam (f) *tribus per annum diebus, hoc eſt in cœna Domini, in Paraſceve, & in Sabbato Sancto adorandam proferri* conſueviſſe. Quanam autem ratione ritus iſte perageretur, idem Beda deſcribit. Sed & Germanus Patriarca Conſtantinopolitanus id ipſum tradit. (g) Quamquam porro ex iis, quæ Georgius Curopalata ſcriptis tradidit (h), diſcamus, deſiiſſe aliquando eum ritum, pro certo tamen habeo, illum diu fuiſſe ſervatum. Ideo vero fortaſſe omiſſus is eſt, ne Principes nimio labore gravarentur: atque eum quidem in alium diem fuiſſe translatum, ex eodem Georgio Curopalata diſcimus (*).

XXII. At non apud ſolos Conſtantinopolitanos ritus ille ſervatus eſt. Romæ procul dubio fuiſſe etiam ſervatum, ex his Anaſtaſii Bibliothecarii verbis conſtat: (i) „ Hic Beatiſſimus vir in ſacrario Beati Petri Apoſtoli „ capſam argenteam in angulo obſcuriſſimo jacentem, „ & ex nigredine tranſactæ annoſitatis, nec ſi eſſet argentea, apparentem, Deo ei revelante, reperit. Oratione itaque facta ſigillum expreſsum abſtulit, locellum aperuit, in quo interius plumacium ex holoſerico ſuperpoſitum, quod ſtauracis dicitur, invenit. „ Eoque ablato inferius Crucem diverſis, ac pretioſis „ lapidibus perornatam inſpexit, de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ clauſæ erant, miræ „ ma-

(b) Ibidem cap. 86.
(c) In epiſt. ſeu libro *contra errores Joannis Jeroſolymitani* n. 11. col. 417. to. 2. editio. Veron.
(d) Vide dicta Diſſert. 7. cap. 51., & 54. §. 8. &c.
(e) Præter allata capite 7. adeat, obſecro, Lector cap. 26. libri 4. Evagrii; caput xi. libri 2. Procopii, *de bello Perſico*: pag. 299. editio. Vene. & caput 25. libri 17. Nicephori.
(f) De locis Sanctis cap. 20. Vide quæ tradit Adamannus cap. 3. libri 3. pag. 276. 2. par. to. 4. Gretſ.
(g) *In Magnum Sabbatum*. Verba Germani latinitate donata habes apud Gretſerum To. 1. li. 1. *de Cruce* cap. 74.
(h) De Officiis Conſtan. cap. 12. & 13. Cetera ſcilicet deſcribens Magnæ Hebdomadæ Eccleſiaſtica officia, nullam hujus ritus mentionem facit.
[*] *de officiis Conſtanti.* cap. XXV. *in feſto exaltationis &c.* pag. 93. edit. Vene.
(i) In Sergio ſect. 162.

„ magnitudinis, & ineffabilem portionem ſalutaris ligni „ Dominicæ Crucis invenit. Quę etiam ex die illo pro ſa„ lute humani generis ab omni populo Chriſtiano die „ exaltationis ſanctæ Crucis in Baſilica Salvatoris, „ quæ appellatur Conſtantiniana, oſculatur, ac ado„ ratur. „ Atque id ipſum vetera Martyrologia confirmant. (*k*) Num porro mos iſte, Sergii temporibus, Romæ initium habuerit, an juſſerit Sergius inſtitutum a Gregorio Magno ritum renovari, Theologi diſputant (*l*). Nimirum in Sacramentario Gregorii a Menardo edito hæc habentur: (*m*) „ Deus, qui „ Unigeniti tui Domini noſtri pretioſo ſanguine hu„ manum genus redimere dignatus es: concede pro„ pitius, ut qui ad adorandam vivificam ejus Crucem „ adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberen„ tur. „ Has preces a Gregorio M. prodiiſſe, docet Jonas Aurelianenſis (*n*).

XXIII. Haud infrequentem apud Latinos eundem fuiſſe morem, minime dubito. Exempla illius aliqua præbet Martene, (*o*) qui de die Feſto Exaltationis S. Crucis agens, copioſe ea de re diſſerit. Arbitror porro, hac etiam in ſolemnitate id fuiſse ſervatum, quod alibi diximus die Paraſceves peragi conſueviſſe (*p*). Nimirum in iis Eccleſiis, in quibus habebatur aliqua Dominicæ Crucis particula, ea proponebatur *ad adorandum*; ſin minus, Crucis imago (5).

R r 2 XXIV.

(5) Num ex Jeroſolymitanæ, an potius ex Romanæ Eccleſiæ conſuetudine id provenerit, incertus hæreo. Dominicam ſane Crucem fuiſſe in Eccleſiis Fidelium venerationi expoſitam, indicat verbis his Amalarius (1): *Fuerunt quidam, qui volebant dicere, ſe velle eandem Crucem adorare, in qua Dominus crucifixus eſt. Utinam in omnibus Eccleſiis haberetur: præ ceteris merito veneraretur. Quamvis omnis Eccleſia eam non poſſit habere, tamen non deeſt virtus Sanctæ Crucis in eis Crucibus, quæ ad ſimilitudinem Sanctæ Crucis facta ſunt*: Atque eò reſpicere videntur ea vulgati Alcuini verba (2): *Qui vero non poſſunt habere de ligno Domini, ſalva fide adorent illam, quam habent.*

(*k*) Vide tradita cap. 7. §. 13. in marg. annot. (*u*).

(*l*) Martene *de anti. Eccl. rit.* lib. 4. cap. 34. pag. 593. edi. Antu. &c.

(*m*) pag. 30.

(*n*) lib. 1. *de cultu Imaginum.* pag. 551. par. 1. tom. 4. Biblio. Pat. Pariſ. *B. Gregorius . . . in libro Sacramentorum ita meminit*: Deus, qui unigeniti &c.

(*o*) *De antiquis Monach. ritibus*: lib. 4. cap. 8. pag. 585. edit. Antuerp. *Tres Sacerdotes in cappis deferant Clavum, & Coronam, & Reliquias Crucis . . . . & cantetur Antiphona: Ecce lignum . . . ibique adoretur Crux a conventu.* Et de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 4. c. 34. §. 5. pag. 593. & ſeq. to. 3.

(*p*) *Antiquus in Eccleſia uſus viguit, ut ipſo exaltationi S. Crucis die ſacro, debita veneratio, & adoratio non ſecus ac feria ſexta Paraſceves adhiberetur. Hujus ritus inſtitutionem Sergio Papæ tribuere videtur Ordericus Vitalis &c.* (*de antiquis Eccleſ. Riti.* lib. 4. cap. 34. §. 5. pag. 593. to. 3. editio. Antuerp.)

(1) *de Eccleſiaſt. offic.* lib. 1. cap. 14. *de adoratio: S. Crucis.*

(2) *de offic. divi. fer. ſexta, quæ & Paraſceve*: pag. 250. tomi X. Biblio Pat. Pari.

XXIV. Quo quidem conſtituto, ad id quod agimus, comprobandum, commode pertinet non levis pars eorum, quæ afferemus, cum de Cruce in *Paraſceve* adorata, ſubſequenti ſectione dicemus. Ceterum, ut præterea ea, quæ de Dominicæ Crucis portione in Monaſterio Pictavienſi tradit Gregorius Turonicus (*q*): ea quoque prætercam, quæ de portione altera ejuſdem Crucis Apameæ ſervata, & publicæ Fidelium venerationi expoſita diximus (*r*); ab Eccleſia univerſa Dominicam Crucem fuiſſe adoratam, haud dubie Leo Papa, (*ſ*) Ruſticus (*t*), Hormiſda, (*u*) & Andreas Cretenſis (*x*) affirmant; quorum quidem verba tametſi aliter etiam accipi poſse fatear, commodiſſime tamen ita accipiuntur, ut particulæ Crucis per Eccleſias omnes diffuſæ a Chriſtianis publicum, ac ſolemnem cultum jam pridem obtineant.

(*q*) *de glor. Martyr.* cap. 5.

(*r*) §. 21. ann. (*e*)

(*ſ*) ſermone 8. *de Paſſione* cap. 4. de Chriſto hæc ait: *Pulchra ſpecie, triumphi ſui portabat trophæum, & invicta patientia humeris, ſignum ſalutis, adorandum regnis omnibus inferebat.*

(*t*) in diſputat. *contra Acephalos*: pag. 538. par. 1. tom. 4. Bibli. Patr. Par. *Ligni venerabilis Crucis omnis per totum Mundum Eccleſia abſque ulla contradictione adorat.*

(*u*) *Solam Crucem, quam omnis veneratur Mundus, invenit* (Helena.) (in epiſt. ad Euphe. Auguſ. pag. 615. & 616. to. 5. Concil.)

(*x*) *Crux, quæ paulo ante in loco Calvariæ abſcondebatur, nunc autem ubique adoratur.* [in orati. 2. *in exalta. S. Crucis* to. 2. Græſc. pag. 80.]

CAP. XII.

Iis occurrimus argumentis, quibus delatum a Pontificiis Dominicæ Cruci bonorem ac cultum impetunt Proteſtantes.

I. VIdeamus nunc, quem ad modum cultum ſuperiori capite propugnatum impetant Proteſtantes. Sic porro diſſerunt. Quis eum approbabit, & laudabilem arbitrabitur cultum, quem Apoſtoli, cum præſtare facile poſſent, evitarunt maxime & averſati ſunt? Porro Dominicam Crucem cum facile colere Apoſtoli poſſent, colere utique recuſarunt. Quis enim cultam dicet Crucem, quæ, fatentibus Pontificiis ipſis, alte aggeſtâ deſuper humo deliteſcebat? cujus locum ignorabant omnes; adeo ut (id enim Pontificiis placet) viſionibus, ac miraculis excitandi, juvandique fuerint ii, quibus cordi erat, ut eam inveni-

nirent. Affer, obſecro, hujuſce cultus veſtigia aliqua, & leves notas, quas tibi præbeant tria priora Eccleſiæ ſecula, a quibus quidem ritus alicujus probitas, & comendatio deſumi poteſt. Dic age, cur Apoſtoli non perquiſierint, non adorarint, ceteriſque adorandam non propoſuerint? An difficile fuiſſet Apoſtolis, ferale lignum ſtatim (ideoque antequam ſuper illam erigerentur Hadriani juſsu (*a*) impia ſimulacra) rapere, aut ſaltem ſepultum effodere, & in tutiores ædes trahere? Memineris obſecro, damnatorum ſupplicia nullo in pretio fuiſſe habita: memineris, Crucem hanc, ſi Judæi concedere recuſaſſent, Pilatum facile conceſſurum fuiſſe. Anne is Crucem negaſſet, qui corpus ipſum Domini, Joſepho ab Arimathea ſtatim conceſſit? (*b*) Memineris, divites fuiſſe plurimos e primis ipſis Chriſtianis, qui propterea ingenti pecunia *ingentem hunc theſaurum* redemiſſent, ſi theſaurum revera Dominicam Crucem eſſe putaſſent. Memineris denique, ad miracula confugere facile potuiſſe Apoſtolos, ſi cordi fuiſset illis ſervare apud ſe, coléreque Crucem illam, cujus fruſtula ipſa adorarunt (uti Pontificiis libet) deinceps Chriſtiani, qui ne tanto munere, &, ut uſitata Pontificiorum locutione utamur, beneficiorum omnium inexhauſto fonte privarentur, divinam providentiā procul dubio habuiſſent tanti operis adjutricem: amat enim enixe Chriſtianos Deus, beneficiiſque, ideoque beneficiorum fonte eos fraudari non ſinit. Quod ſi aliud non præſtitiſſent, locum ſaltem deſignaſſent, poſteriſque indicaſſent, in quo illa latebat, unde in melius commutatis Eccleſiæ rebus (quod Conſtantino imperante procul dubio evenit) ea erui poſset, & libere coli. At (quod nuper diximus) adeo locūm, in quo illa latebat, ignorabant Chriſtiani, ut miraculis, viſionibuſque excitati dicantur ii, qui eam perquiſierunt.

(*a*) cap. 11. §. 8. & 9.

(*b*) Marci 15. 44. & 45.

II. Sed fac, impeditos fuiſse illos, quo minus colerent, im̄o Judæorum vafritie impeditos fuiſse etiam, quo minus locum noſsent, in quo illa latebat: cur ſaltem diſcipulis ſuis non inculcaverunt, ut, ſi quando erueretur illa, erutam ſtatim adorarent? Voculam tamen unam affer, quæ id tradat, immo quæ indicet. Nihil itaque horum ii egerunt. Cur, obſecro? niſi

quia

quia inhonorificum, & contemptiſſimum lignum Crucem eſse agnoverunt, cujus miniſterio immaniſſima cædes peracta eſt: quod propterea ſi colas, Judam etiam colas, oportet, & ſatellites criminis tam immanis miniſtros, & adjutores.

III. Contra hæc, ab adverſariis ſæpe decantata, firma ſint iſta. Quod de Eccleſia corruptâ ajunt, ſi ad mores referunt, opportunum non eſt; tam etſi enim eximiam morum ſanctitatem in Chriſtianis exoptet, & ab iis expoſcat Chriſtus, tamen eximiam hanc ſanctitatem in Eccleſia futuram minime prædixit. Si ad fidem referunt, errant valde: eam enim fidei integritatem, &, ut ita appellem, incorruptionem, quam Chriſtus Eccleſiæ pollicitus eſt, jugiter habuit, & nunc etiam ſervat. Porro fides Eccleſiæ defeciſset, ſi cultum improbum, ſuperſtitioſum, atque adeo, Proteſtantium quidem opinione, idololatricum approbaſset: quo de argumento nonnulla alibi attigi, ſed copioſiſſime, multaque cum laude diſseruit Illuſtriſſimus Boſsuet, ad quem Lectorem delego. (c)

(c) in eo libello, quem *de promiſſionibus* Eccleſiæ a Chriſto factis edidit.

IV. Venio nunc ad argumenta ipſa. Atque hic quidem rata eſse volumus ea, quæ ſuperiori capite diximus: quibus conſtitutis ſic primum ſolvimus. Num re vera potuerint Apoſtoli in ſua poteſtate Dominicam Crucem habere, an non, diſputari merito poteſt. Nimirum eorum videtur certa eſse ſententia, qui ajunt, conſueviſse prope reorum corpora inſtrumenta ſupplicii tumulari. (*) Judæi etiam, qui ſummum in modum oderant Chriſtum, illiuſque gloriæ invidebant, hoc etiam ſolatii illius diſcipulis ademere, ut inſtrumenta necis eidem Chriſto illatæ hi haberent, ſervarentque. Fortaſſe etiam ideo altius illa abſconderunt, ne illis uti poſset quiſpiam ad miracula peragenda: neque enim plerique eorum ignorabant, levi fimbriæ veſtis Chriſti contactu convaluiſſe mulierem: (*) doctiores etiam probe noverant, per ſuperſtites res eorum, quibus, dum viverent, miraculorum edendorum poteſtas cælitus tributa fuerat, miracula fuiſſe peracta; (d) Metuentes igitur, ne Cruce ad ſimilia edenda Apoſtoli uterentur, eam abdidere. Sed fortaſſe etiam in peculiarem Dei providentiam id eſt referendum: voluit eo tempore abdi

(*) Vide quæ diximus cap. 3. §. 2. in margine.

(*) Matthæi 9. v. 20. &c.

(d) Vide 4. Reg. cap. 2. v. 14.

Crucem, quo ſi fuiſſet detecta, eruta fuiſſet, & abſumpta a Judæis, & a Gẽtilibus (*). Quin etiã major gloria Cruci provenit, quæ ubi diu latuit, miraculis demũ invẽta, ſũmo honore eſt affecta. Pulchre Paulinus. (*) *Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Judæis in tempore paſſionis abſcondita, neque gentibus in ædificatione fani Veneris, terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus revelata eſt, nonne divina manu latuit, ut tunc inveniretur, cum religioſe quæreretur? Ita, ut Crucem Chriſti decuit, experimento reſurrectionis inventa & probata Crux Chriſti eſt, dignoque mox ambitu conſecratur &c.*

V. At a Pilato obtinuit, inquis, Joſeph ab Arimathæa corpus Chriſti, ideoque crucem Dominicam obtinuiſſet, ſi petiiſſet. Cur itaque non petiit? Sed in promptu reſponſio eſt. Sepulturam dare defunctis jus quoddam naturæ eſt, atque ad id omnes videntur a natura ipſa inclinati, & proclives. Facile itaque indulgere potuit Pilatus Corpus Chriſti Joſepho illud poſcenti, præſertim cum probe comperta Pilato foret Chriſti innocentia: *Sciebat enim, quod per invidiam tradidiſſent eum.* At ut Judex ſupplicii inſtrumenta elargiatur, peculiaris quædam ratio movere eum debet. At quænam Pilatum, a Chriſti religione valde alienum, ad ea elargienda movere potuiſſet ratio? Hic etiam locum habet ea reſponſio, quam ſuperiori §. dedimus.

VI. Divites porro fateor fuisse non paucos e primis Chriſtianis. At opibus multis Jeroſolymitanam Eccleſiam abundaſſe, ego minime arbitror; ſi quidem, ut omittam notiſſimum illud Petri Apoſtoli dictum (e): *Argentum & aurum non eſt mihi*, ſane exorta, Claudio imperante, Hieroſolymis fame, pauperibus Chriſtianis ſubſidium ab Antiochena uſque Eccleſia præſtitum eſt, miſſumque per manus Pauli, & Barnabæ (*). Sed divites fac, ut libet, Chriſtianos Jeroſolymis per ea tempora degentes. Ditiores Judæis minime facies: horum autem maxime intererat (quod paulo ante diximus), ne divinæ paſſionis inſtrumenta apud ſe haberent retinerentque Chriſtiani.

VII. Quoniam vero miraculorum, quæ per Apoſtolos fierent, divinæque providentiæ meminiſti, fine, quæ-

(*) Hanc reſponſionem plane eruo ex illis Paulini verbis: *Certum eſt, ſi in manus Judæorũ veniſſet, omnia contra fidem Chriſti præcaventiũ, conterendum & exurendum fuiſſe. Neque enim in Cruce abolenda negligentes fuiſſent, qui ſignaverunt ſepulcrum: nec ferre potuiſſent, ut in Cruce ſuperſtite paſſio illius coleretur, cujus reſurrectionẽ, vacuato diſcuſſis ſignaculis ſuis monumento probatam, coli ferre non poſſunt. Quid ergo nunc quæritur, ubi fuerit abdita, quia niſi latuiſſet, illis præſertim perſecutionum temporibus Judaicam conſecutis invidiam, & pene ſupergreſſis ſævitiam, manifeſtũ eſt abolendam fuiſſe? Facile enim aſſequi conjectura poſſumus, qua vi excidiſſent Crucem, ſi exſtare vidiſſent, qui & Crucis locum perſecuti ſunt. Nam Hadrianus Imperator exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci injuria peremturum, in loco paſſionis ſimulacrum Jovis conſecravit: &c.* (epiſt. olim. 11. nunc 31. *ad Seve.* n. 3.

(*) Ibidem n. 6.

(e) Actor. 3. v. 6.

(*) Act. 11. 29. & 30.

quæſo, ut paulo accuratius hoc in argumento verſer; quantumque habeat virium tua hæc probatio, ſignificem. Statuo vero in primis, a divina providentia aliquando fuiſse decretum, ut rebus illis ſacris, quæ Fideli populo ſummum in modum comōde erant atque utiles, idem Fidelis populus privaretur, ſi forte periculum immineret, ne a Gentilibus contemnerentur. Exemplum habes in celebri illa Arca fœderis Domini, qua nihil ſanctius, nihilque commodius aut utilius habebat Judaicus populus. Hanc tamen ejuſdem populi conſpectui, oculiſque ſubduxit aliquando Deus, (*f*) ne ſcilicet eam contemnerent Gentiles, in quorum poteſtate tum populus, tum ſacra illius erant derelinquenda. (*g*) Quis ergo prohibet, quominus dicamus, eandem ob cauſam noluiſse Deum, apud Fidelem populum Crucem ſervari? Exagitandi ſcilicet erant Fideles, ad necem perquirendi, flammiſque tradenda, & conculcanda eorum ſacra, quorum non exiguam portionem Tyrannorum furore periiſſe, dolemus; majorem etiam partem periiſse doleremus, ſi major pars in priorum Chriſtianorũ manibus extitiſset; requiſiſsent ſcilicet illã quoque Tyranni, conculcaſsent, deleviſsent. Hinc mirum non eſt, ſi Deus, qui plurima per Dominicam Crucem populo fideli provenire decreverat emolumenta, eandem Crucem per ea tempora delitere voluit, quibus ſacra noſtra ab Infidelibus perquirebantur, ut diſperderentur. Recole quæ nuper diximus (*).

(*f*) 2. Machab. 2. 1. &c.

(*g*) 1. Dani. 2. &c. & rurſus cap. 5. v. 3. &c.

(*) §. 4.

VIII. Quod vero deinceps ais: locum ſcilicet ipſum, in quo jacebat Crux, Fidelibus fuiſse ignotum, eâdem reſponſione diſsolvitur. Si Judæos ſpectas, eum occultum eſse voluerunt, ne aliquando Crucem Fideles eriperent. (*) Si divinam providentiam, ideo fortaſse paucis notum eum eſse ſtatuit, ne aliquis fidelium apoſtata effectus, Tyrannos moveret, ut eandem Crucem in flammas projicerent: ſtudebant enim (quod norunt omnes) Tyranni noſtræ Religionis decora perdere; quod ut conſequerentur, apoſtatarum opera potiſſimum utebantur. An vero poterat locus ille poſteris indicari a Chriſtianis, quando quidem ii, ſi paucos excipias, locum eum ignorabant? Quamquam putant multi, non adeo locum eum vel Gentilibus, vel Judæis ignotum fuiſse, ut plane ignorarent. Vidimus ſcilicet

(*) cap. 9. §. 3. *Salutis vexillum, quod Judaica nobis abſcondebat malitia &c.*

licet ideo, ſuper ſepultam Crucem erectum fuiſſe ab iiſdem Gentilibus impium ſimulacrum, ut locum eum prorſus profanarent, arcerentque Chriſtianos ab eo frequentando, atque honorando. (*) Ea porro, quæ de Judæis ab Helena comprehenſis, deque Juda per famem ab ea compulſo, ut locum eum indicaret, conficta eſt narratio, hoc habet commodi, quod oſtendit, in ea opinione fuiſse Fideles, ut crederent, Judæis haud ignotum fuiſse locum, in quo Crux delitebat.

(*) cap. 11. §. 8.

IX. At non prorſus ignotum Chriſtianis etiam fuiſſe, ex eo conjicimus, quod eos quoque conſuluit Helena. Tamen plerique ajunt, eam tantum modo locum popoſciſſe, in quo crucifixus fuerat Jeſus. Nam reliqua ex viſionibus noverat. (*)

(*) cap. 4. §. 9. an. (r)

X. Edoctos a priſcis uſque temporibus fuiſse Chriſtianos, Dominicam Crucem colere, is fatebitur, qui ad ea, quæ ſuperiori capite tradita ſunt, animum advertet. Hic itaque ea recolat Lector. Neque eum id abſterreat, quod de Juda, & de ſatellitibus immanis criminis miniſtris colendis (ſi forte Crux coleretur) objecerunt: hæc enim, qualiſcunque ſit, oppoſitio alibi diſſoluta eſt. (*b*)

[*b*] diſſert. 8. cap. 12.

CAP. XIII.

Recte, prudenterque inſtitutum eſſe eum, de quo agimus, ritum, quo ſcilicet Dominicam Crucem colimus.

I. POteram hoc in loco Lectorem peracta quæſtione dimittere, ſed bene emenſum dabo. Et quoniam cœpi Proteſtantium objectiones diſſolvere, reliquas hic exponam. Ad eos itaque convertendus eſt ſermo, qui aliorum exempla contemnentes, ſe pro nihilo habere dicunt ea, quæ hactenus allata ſunt, teſtimonia: neque vero inquirere ſe ajunt, *quid factum ſit*, ſed num jure, ac merito id factum ſit. Cruci ſcilicet honorem minime habendum eſſe contendunt, tam etſi ab ipſis Eccleſiæ primordiis viri præſtantiſſimi illi detuliſſent. Hos paucis refellam, propoſito illis Eccleſiæ, virorumque egregiorum, qui in ea floruerunt, ritumque hunc ſecuti ſunt, exemplo, quod quidem ſi nullo habent in pretio, ſe valde imprudentes oſtendunt, indicant enim ſe, ſuaque ſenſa illius ſententiæ præferre, quam *columnam veritatis* eſſe novimus, eoſque contemnere, quorum laudes, ac merita ſuperiores ætates conſtanter prædicaverunt. Quoniam vero auctoritati detrahunt, ut probabilem (eorum quidem opinione) rationem ſequantur, ſtatuamus primum hoc, de quo ipſi ambigunt; nempe rectæ rationi valde conſonum eſſe cultum delatum Cruci, tum expendemus argumenta ea, quæ a ratione deducunt, ut eundem impetant. Profecto recta ratio nos docet, id, quod valde honorificum Principi noſtro extitit, honorari cum laude poſse (relativo tamen cultu, ſi expers rationis id ſit.) At quid Cruce honorificentius Chriſto extitit, qui in ea Dæmonem vicit, humanum genus in Patris gratiam reconciliavit, ſibique promeruit nomen, *quod eſt ſuper omne nomen, adeo ut illi omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*? (*) Recta pariter ratio nos docet, *imaginem,*

(*) Philipp. 2. 10.

&

& ſignum Principis honorari debere, atque in hanc quidem perſuaſionem conſpirant omnes, qui in imagine, & ſigno Principis eundem Principem honorari tradunt. At imago, & ſignum Jeſu Chriſti Crux eſt; honoranda itaque eſt. Ac major quidem propoſitio perſpicua eſt. Partem vero minoris ſecundam poſtulare hic commode poſsum ex iis, quæ diſsertatione IX. tradidi (*): primam vero comprobat notio ipſa Crucis, in cujus forma non præciſe ac nude, ut ita loquamur, acceptâ, ſed cum reſpectu ad Chriſtum, qui illi ſuffixus eſt, (*a*) non levia myſteria figurata fuiſse, SS. Patres affirmant, quorum verba ipſa ſi tibi præferri cupis, eum Gretſeri locum conſule, quem in margine allego. (*b*) Porro idem Gretſerus (*c*) plura veterum teſtimonia recenſet, quorum auctoritate ſuperiores rationes comprobari poſſint, ac confirmari. Ego enim hoc in loco meram, nudamque rationem afferre volui.

II. Afferenda jam denique ſunt argumenta, quibus ii fidunt, qui minus recte inſtitutum ritum hunc eſse ajunt. Quoniam porro plura horum genera ſunt, particulatim ea diſtribuam, & proponam. Et ſtatim quidem illud proferam, quod eorum veluti caput, ceteriſque præſtantius eſse judicatur: Crux, inquiunt, dolorem, & ignominiam Chriſto, & illius diſcipulis attulit. Cur ergo colitur? An honorabit amicus, aut filius patibulum illud, in quo amicus, aut pater ſummo cum dolore, atque ignominia pependit?

III. At qui hæc objiciunt, advertant, obſecro, non ad ignominiam, & dolorem, quem in Cruce paſſus eſt Dominus, nos oculos, atque animum intendere, ſed ad gloriam, quæ ex ea ignominia, & dolore parta eſt Chriſto, atque ad emolumenta quæ nobis provenerunt: adeo ut verſum id fuerit in honorem Chriſto, & Religioni ab eo inſtitutæ, quod illius adverſarii ad eum perdendum, illiuſque ſectatores diſſipandos direxerant. Pulchre Joannes Damaſcenus, cui pariter propoſita eſt hæc objectio: (*d*) *Comes Crucis eſt reſurrectio. Quod ſi eorum, quos diligimus, & domus, & lectus, & veſtis cara ſunt, quanto magis ea, quæ Dei, & Salvatoris noſtri ſunt, per quæ etiam parta nobis eſt ſalus?* Si id ipſum ex ſupplicio olim parato Patri, aut amico proveniſset emolumenti, ſuppli-

(*) cap. 49. Atque hoc quidem argumentum ſectione IV. retractabitur.

(*a*) *In quantum repræſentat nobis figuram extenſi in ea* [S. Tho. 3. par. de Salva. quæſt. 25. ar. 4. in corpo.

(*b*) tom. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 54. §. *ſexto &c.* & ſubſeq. pag. 87. edit. Ratisb.

(*c*) ibidem cap. 54. 55. 56., & 57.

(*d*) 4. *de fide* cap. olim 11. in editio. Le-Quien 11.

cium Patri, & amico paratum poſset Filius, & amicus haud immerito honorare. Accepi hanc ſolutionem ex D. Thoma, qui ad hanc eandem objectionem hæc docet: (e) „ *Dicendum quod in Cruce Chriſti* „ *quantum ad intentionem, vel opinionem infidelium conſideratur opprobrium Chriſti: ſed quantum ad effectum noſtræ ſalutis conſideratur virtus divina ipſius, qui de hoſtibus triumphavit, ſecundum illud:* (f) Ipſum tulit „ de medio affigens illud Cruci, & ſpolians principatus, „ & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans „ illos in ſemetipſo. *Et ideo dicit Apoſtolus*: (g) Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; his autem, „ qui ſalvi fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt. „ Reſponſionem hanc copioſe proſequitur Petrus ille Cluniacenſis, quem *Venerabilem* appellamus (h). Ad eum Lectorem delego.

(e) in 3. p. de Salvat. quæſt. 25. ar. 4. ad 1.

(f) Coloſſ. 2. 15. &c.

(g) 1. ad Cho. 1. 18.

(h) in epiſto. 2. libri 1. in eo capite, cui præfigitur titulus: *Contra id, quod dicunt, Crucem Domini non adorandam &c.*

IV. Prudentius conſilium, ut iis quidem videtur, ineunt adverſarii, cum ſuperiore ratione ſepoſita, ad illud argumentorum genus confugiunt, quod *ab abſurdis* conſuevimus appellare: atque hic in primis ea inculcant, quæ capite 10. diſsertationis 8. objecta ſunt, capitibus vero 11., & 12. ejuſdem diſsertationis diſsoluta; quam ob rem eo in argumento hic immorari non juvat. Addunt tamen objectioni illi hanc veluti appendicem: *quamvis crux coli potuiſſet, quando Chriſtus in ea pendebat, jam tamen non poteſt coli, ſejuncto Domino a Cruce:* quod confirmant teſtimonio Auguſtini hæc dicentis: (i) *Purpuram conjunctam Regi, ſimul cum ipſo adoro; ſi vero ſeparetur, jam non meretur honorem Regis*. Cui quidem appendiculæ repono, Crucem tamdiu relativo cultu, quem ſolum tribuimus, eſse colendam, quamdiu Domino repræſentando, & in memoriam nobis revocando apta eſt: Apta vero adhuc eſt. Pulchre S. Thomas: (k) *Creaturæ inſenſibili non debetur honor, vel reverentia, niſi ratione rationalis naturæ. Et hoc dupliciter, uno modo in quantum repræſentat rationalem naturam, alio modo in quantum ei quocunque modo conjungitur. Primo modo conſueverunt homines venerari regis imaginem: ſecundo modo ejus veſtimentum.... Si ergo loquamur de ipſa Cruce, in qua Chriſtus crucifixus eſt, utroque modo eſt a nobis veneranda: uno ſcilicet modo, in quantum repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea, alio modo ex contactu*

ad

(i) ſerm. 58. *de Verbis Domini* n. 5.

(k) 3. p. de Salv. quæſt. 25. art. 4. in corpore.

ad membra Chriſti, & ex hoc, quod ejus ſanguine eſt perfuſa.

V. Quod de purpura Regis ex antiquo ſermone additū eſt, ſolutionem hanc habet. Verba illa Auguſtini non ſunt, ſed auctoris prorſus incerti (*). At illa excipe. Si purpura abjiciatur a Rege, adeo ut ad eum non pertineat, aut alia ratione fiat, ut *ei non conjungatur*, tunc non colitur. Donec ad eum ita pertinet, ut illum in memoriam noſtram revocet, merito, communique conſenſione a populis colitur. Scriptor ille purpuram in prima ſignificatione ſumit, non in ſecunda. (*) At dominicam Crucem cùm colendam dicimus, non præſcindimus ab eo reſpectu, quem habet ad Chriſtum in eâ Dæmonis triumphatorem, noſtrumque reparatorem. (*)

VI. At ſaltem, inquiunt, hoc habet incommodi hic cultus, ut in eo adhibendo ſibi non temperent Pontificii, ſed effundantur in encomia æquo majora, & in venerationem adeo humilem & demiſsam, ut merito propterea irrideantur. Pulchre eos ante Crucem proſtratos deſcribit, & ſubſannat celebris ille poeta, (*) cujus verſus retulit Kempius. (*l*)

VII. Ab his tamen te paucis expedi. Encomia, quibus dominicam Crucem proſequimur, ab iis accepimus, quos merito Magiſtros in Iſrael novimus, & prædicamus. Ea autem ipſa ſignificatione, qua ii iiſdem præconiis in extollenda Cruce uſi ſunt, nos quoque utimur, non alia quapiam.

VIII. Poſtulamus hic vero, quod deinceps probabimus, & quod Pontificii omnes ſæpiſſime inculcant, adhibitum Cruci cultum, Chriſto ipſi adhiberi, quippe qui in eâ colitur: nos porro irrideant, quantum iis libet, Proteſtantes, Crucem demiſse, atque humillime, ideoque proſtrato etiam corpore, venerabimur. Dum ipſi Micholis Davidem contemnentis, quod ante Deum nimis ſe deprimeret, ſuperbiam imitantur & faſtum, nos ipſius Davidis humilitatem, atque exempla ſequemur, dicetque unuſquiſque e noſtris: *Ante Dominum.... vilior fiam pluſquàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis*, & cum iis, qui vere Deo ſerviunt, *glorioſior apparebo.* (*m*)

[*] Vide præfationem præpoſitam ſermoni 246. *in appendice.*

(*) *Veluti ſi quis noſtrum aut purpuram, aut diadema regale jacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare?*

(*) *Pœnam veſtivit honore, Suppliciique dedit ſignum magis eſſe ſalutis, Ipſeque ſanctificans in ſe tormenta beavit.* Seduli. lib. 5. *de Salut. Cruc. quadri. p. ſi.* pag. 675. to. 8. Biblio. Pat. Par.

(*) Naogeorgus lib. 4. *Regni Papis.*

(*l*) de oſculis diſſert. 12. 6. §. 19. pag. 173.

(*m*) 2. Reg. 6. 21. & 22.

CAP.

CAP. XIV.

Quale genus cultus deferendum putemus Dominicæ Cruci.

I. NUnc dicendum eſt de qualitate, ac natura cultus deferendi Dominicæ Cruci. Diſputant acriter hac de re Theologi, quorum ſententias ad duo ſuprema capita revoco. Cruci ſcilicet ipſi deferri nonnulli ajunt cultum illum, atque honorem, quem illi adhibemus, quem proinde valde a latria remotum eſſe contendunt: contra docent alii, ad Chriſtum tantummodo referri, atque aſcendere, adeo ut extrinſeca quidem honorificentiæ argumenta in Cruce ſiſtant, honoris vero pars potior, ac verior, quæque ſola *honor, ac cultus* appellari merito poteſt, eidem Chriſto adhibeatur. Quamnam ex his opinionibus ſequamur nos, is noſcet, qui ad ea advertet animum, quæ capite 35. diſſertationis VIII., & cap 40, & 41. diſſertationis X. diximus: (*) niſi enim nobis ipſi adverſari volumus, eam opinionem amplectamur neceſse eſt, quæ relativum tantummodo eſse docet honorem eum ac cultum, qui Cruci defertur. Atque hic quidem potiſſimum hujuſce opinionis fundamentum hic recolat Lector; nempe verum cultum deferri non poſſe Creaturæ rationis experti. Rationis autem expertem Crucem eſse quis dubitet? Ipſa itaque non coletur. Argumentum porro hoc allegatis in locis non modo a S. Thoma, verum etiam a S. Antonino traditum, inculcatumque [*a*], recole ex capite 40. diſſertationis X. (*)

II. Suffragium vero, a priſcorum Magiſtrorum monitis, atque auctoritate deſumtum ſi forte exquiſieris, illud tibi præbebunt ea ipſa diſſertationum mearum loca, quæ nuper allegavi: quibus ea addere jure poteris, quæ ex S. Thoma Aquinate in hac ipſa ſectione retuli [*b*]. Ut aliquid hic adjungam, referre hic placet quendam Photii locum mirifice ſententiam meam confirmantem (*). *Ad hunc modum & venerabilem Crucem adoramus, in qua Domini corpus extendeba-*

tur,

(*) Recole etiam verba Catherini relata eadem diſſertatione cap. 38. §. 5. & 6. a nobis jam approbata.

(*a*) in ſumma par. 3. titu. XII. cap. 9. §. 5.

(*) §. 2. & 3.

(*b*) cap. 13. §. 4.

(*) Epiſtola ad Michaelem Bulgariæ Principem, de officio Principis: (pag. 394. partis 2. tomi 2. mon. Caniſ. editionis Baſnagi.)

tur, unde ſanguis ille ebulliit, quo Mundus mundabatur: ligni autem natura illius ſtillicidiis irrigata pro morte vitam haud ſeneſcentem egerminavit. Ad hunc modum Crucis adoramus effigiem, per quam agmina Dæmonum effugantur, morbi autem varii perſanantur: nimirum illa gratia, & potentia, quæ prima vice operata eſt in exemplari, uſque ad imagines, & repræſentationes cum eademmet vi & operatione progrediente. Singula igitur iſta, hoc eſt, Chriſti Imaginem, & ipſammet Crucem, & figuram Crucis, pari modo reverentia & adoratione conſecrantes, non tamen ita cultum circumſcribimus, & ad eadem terminamus, ſed ad illum referimus, & in illo ſacratè ſtatuimus, qui per, et propter humani generis amorem abundantiſſimum, & inexplicabilem, incarnatus fuit, & ſponte ſua & voluntate maledictam illam mortem noſtrâ causâ ſubiit.

III. Allegare autem, ſi volumus, hic merito poſſumus, non ſolum Durandum, & Nicolaum I., quos alibi protulimus (*), verum etiam Ruſticum, Amalarium, & vulgatum Alcuinum, quos ſubſequenti ſectione citabimus: etenim hi ipſi ita adhibitum Cruci cultum relativum eſſe docent, ut non modo de Dominicæ Crucis imagine, verum etiam de Cruce ipſa dominica eorum dicta intelligi comodiſſime poſſint.

IV. Adverſus hæc ita diſputant. Contactu membrorum ſuorum Crucem ſanctificavit Chriſtus Dominus, qui propterea eam capacem, & terminum effecit adorationis peculiaris, & ſuæ, hyperduliæ ſcilicet. Colatur itaque ipſa. Atque hæc primum quidem Damaſceni, (*c*) tum Bonaventuræ (*d*) & S. Thomæ (*) opinio eſt, quam plerique e Scholaſticis tuentur, & probant. Quod ſi portiuncula aliqua ſanguinis in ea adhuc remanet, (remanſiſſe autem in Cruce, illique adhærere non paucas ſanguinis Chriſti guttulas, plurimi Doctores affirmant) tunc multo magis & ſanctior, & cultu dignior illa apparebit.

V. Objectionem hanc facile diſſolves, ſi ea hic recolas, quæ nuper diximus; quibus, ſi vis, ea adde, quæ ingenioſe proſequitur Vaſquez (*e*), cujus hæc verba pariter adjicio, quibus quid ad objectam Damaſceni auctoritatem ſit reſpondendum, habetis: *ex eo, quod Damaſcenus lignum veræ crucis venerandum ratione contactus appellavit, non ſenſit, in cruce aliquam ſanctitatis excellen-*

(*) diſſer. 8. cap. 35.

(*c*) li. 4. *de fide* cap. 12. quo loco Crucem *venerabile* appellat *lignum*.

(*d*) in 3. diſtin. 9. quæſt. 4. *in corpo.*

[*] in 3. diſtin. 9. quæſ. 1. ar. 2. quæſ. 4.

[*e*] in 3. par. S. Thomæ diſp. 113. cap. 4. §. 16.

leutiam derivari, ob quam ſecundum ſe, diviſa a Chriſto veneratione digna eſſet, ſed venerandum ipſum lignum nuncupavit, ea communi ratione, qua non ſolum propter contactum, ſed ob repræſentationem, venerandum quoque vocari poſſet, & omnes imagines in univerſum ſeptima Synodus actione ſeptima in definitione fidei, & Patres communiter venerandas *appellant: non quia adoratio ex affectu ſervitutis circa ipſas compleatur, ſed quia ex affectu ſubmiſſionis circa exemplaria, venerationis, & honoris ſignum ipſis exhibemus; quod adoratio, & veneratio dicitur, ut diſput.* 108. *cap.* 15. *notavimus.*

VI. Ejuſdem Doctoris hæc ſunt. (*) „ Chriſti „ præputium, & ſanguinem relictum in terris, ſive ſub „ forma ſanguinis, ſive ſub alia, non ſecundum ſe hyperdulia, ſed ex affectu latriæ circa Chriſtum eodem „ motu adorationis cum ipſo, ſicut alias ejus reliquias, „ adorandum eſſe. „ Allegat autem ſtatim Cordubam, & Sylveſtrum; nec adverſatum fuiſſe ait Biel.

[*] Ibidem cap. 2. §. 8.

VII. S. Bonaventuram fateor cultum quendam Dominicæ Crucis peculiarem admiſiſſe: ſed pauci erunt, qui *obſequium reverentiæ, ſeu honorem venerationis* eidem Cruci deferant, niſi forte exterius obſequium iis verbis intelligas: quod facile excipimus.

VIII. Argumentum S. Thomæ auctoritate, atque teſtimonio innixum ita fere diſſolvitur a Scholaſticis, ut moneant, S. Thomam mutaſſe ſententiam. Docuit ſcilicet demum S. Thomas, relativo tantummodo honore affici poſſe Dominicam ipſam Crucem. Reſponſionem hanc illuſtrat præ ceteris Vaſquez (*f*), ad quem Lectorem rejicio. Ea ſane alibi ea protulit S. Doctor (*g*), quæ relativi cultus præcipuum, ut ita appellem, fundamentum ſunt, ac firmiſſima baſis: quæ cum ſæpe retulerim, hic repetere non eſt neceſſe.

(*f*) in 3. par. diſp. 113. cap. 3 n. 10. &c.
(*g*) 2. 2. quæſ. 103. ar. 4. ad 3. & 3. p. *de Salvat.* quæſt. 25. ar. 3. & 4. in corpo.

IX. Scholaſticos paucos adverſarios habemus: Atque eos quidem magni æſtimamus, ſed non ſequimur.

SE-

SECTIO III.

DE IMAGINE CONSISTENTE DOMINICÆ CRUCIS.

ID exſequimur, quod promiſimus, ſtatimque poſt eam pertractationem, quam Dominicæ Cruci tribuimus, eam aggredimur, quam ſibi ejuſdem Crucis perſtans imago vindicat. Ac quoniam hæc potiſſimum de ea quæruntur: an apud veteres in uſu fuerit: an culta ab iis fuerit: quo ſtabilito, quæritur adhuc num laudabiliter, & quonam genere cultus affecta fuerit; hæc omnia ſingillatim, & diſtributa per plura capita diſputatione inquiremus.

C A P. I.

AN APUD VETERES FIDELES IN USU FUERINT ÆRE, AUT LIGNO, SIMILIVE MATERIA CONSISTENTE EFFORMATÆ CRUCES.

Vetuſtiſſimos Chriſtianos retinuiſſe apud ſe Crucis Imagines, eaſdem quoque, cum licebat, in locis publicis erexiſſe.

I. A Deo a ſtabili materiæ impreſſa Crucis imagine alienos trium priorum ſeculorum Chriſtianos fuiſſe vult Dallæus, ut non modo caviſſe eos cenſeat ab impendendo Crucibus conſtanti aliqua materia formatis cultu, verum etiam prorſus nullas apud eos ſive in eccleſiaſticis fun-

ſtionibus, ſive etiam privatos in uſus adhibendas Crucis imagines extitiſſe pronunciet. Enimvero librum V. Voluminis illius, quod *adverſus Latinorum de cultus religioſi objecto traditionem* ſcripſit, totum fere in hoc argumento ita impendit, ut Crucis imaginibus maxime adverſos priſcos Chriſtianos fuiſſe contendat. De cultu deinceps dicemus. Uſus exordium erit præſentis diſputationis. Jactat ille, perſtantibus Crucis ſignis Chriſtianos veteres prorſus caruiſſe, cum hæc ait: (a) *Latini, apud quos hæc ſunt familiaria, Crucis ſigna habent, colunt, magnifice deprædicant. Veteres, in quorum monumentis nihil tale occurrit, nulla Crucis ſigna habebant.* Capite porro X. ejuſdem libri, (quem deinceps conſtanter annotabo, ſi forte caput aliquod Dallæi, libro minime deſignato, indicabo) capite inquam X. libri V. hæc ad probandum aggreditur. *Vetuſtiſſimis trium primorum ſæculorum Chriſtianis ignotum & inuſitatum fuiſſe ſolemnem Latinorum ritum, Crucis ex ligno, & aliis materiis ſigna in privatis ædibus, ad vias, & ad loca publica, in montibus, & in inſulis figendi atque conſtituendi.*

(a) in fine capitis XV. libri V.

II. Quamquam porro, ut animoſas Dallæi voces reprimamus, neceſſe minime ſit, expreſſa trium priorum Eccleſiæ ſæculorum monumenta adverſus eum referre; indubitatum eſt quippe, periiſſe pleraque acta Martyrum, quibus, niſi plane fallimur, id conſtaret quod nunc agimus: (b) Quamvis etiam indubitatum putem, plurimas in præſenti argumento habere vires ea, quæ ſectione 4. dicemus, ea quippe oſtendent, quanto in pretio fuerit apud veteres Chriſtianos Dominicæ Crucis ſignum manus agitatione formatum, qua ex re conjicere merito poſſumus, idem Crucis ſignum ſtabili alicui materiæ impreſſum apud illos in pretio, nec raro etiam in uſu extitiſſe: Quamvis etiam id ipſum aperte comprobent ea, quæ de Crucibus in vetuſtis Chriſtianorum Cœmeteriis ſæpiſſime occurrentibus dicemus, quas cum in calce ipsâ ſepulcra Martyrum occludente impreſſas cernamus, ad poſteriora ſæcula referre non poſſumus: Quamvis denique Cruces, quæ in Martyrum ſepulcris, & prope eorum cadavera repertæ ſunt, innuant adeo amaviſſe illos, dum viverent, Crucis imagines, ut ne poſt mortem quidem ſine iis eſ-

(b) Diſſert. 10. cap. 6. §. 5.

ſe

ſe voluerint; tamen his interea omiſſis, accingo me; ut aliis etiam argumentis oſtendam, minus veriſimilem eſſe Dallæi opinionem.

III. Ac primum quidem recenſendum hic puto, quod Prudentius de SS. Hermeterio, (*c*) & Cheledonio Calagurritanis Martyribus ad ſupplicium euntibus habet: (*)

Cæſaris vexilla linquunt,
Erigunt ſignum Crucis:
Proque ventoſis Draconum,
Quæ gerebant, palliis,
Præferunt inſigne lignum,
Quod Draconem ſubdidit.

Scilicet valde probabilis eorum viſa eſt interpretatio, qui Crucem aliquam vexilli loco a Sanctis hiſce Martyribus palam explicatam fuiſse ajunt. Quorum quidem Martyrum exemplum viſus eſt ſequi Porcarius, qui cum 500. Monachis a barbaris occiſus eſt in Lirinenſi Inſula (*): de eo quippe hæc lego: *Vexillum Sanctæ Crucis, quod in agmine dux bonus præferre conſueverat, defixa cuſpide ponens, inſtaurat animos dictis.* At ad Dallæi monita revertamur.

IV. Privatis in ædibus nulla extitiſſe Crucis ſigna ais. Sed dic, obſecro, cur quarto ipſo ſeculo adeo Cruces in loca omnia inductæ ſint, ut nulla pars privatarum etiam ædium iis caruerit? (*d*) Nulla ſane lex id præcepit. Sapies profecto, ſi dices, ex antiqua conſuetudine id proveniſſe, qua ſcilicet moti Chriſtiani, præſtantiſſimum Chriſti ſignum, quod privatim antea retinebant, quum iis licuit, palam in loca cuncta intulere.

V. At age, Dallæe: tua jam argumenta expendamus. Quanam denique ratione probas, per tria priora ſecula Crucis imagines a privatis ædibus abfuiſſe. Veterumne Chriſtianorum domos omnes perluſtraſti: aut aliquem vetuſtum auctorem habes, qui ſupellectilem Chriſtianorum illorum temporum recenſuerit? Ego contra proferre tibi poſſum Crucis ſigna veſtibus ipſis veterum Chriſtianorum impreſſa, inſculpta etiam eorum imaginibus, atque adeo in fronte eorumdem Chriſtianorum in iis imaginibus expreſſorum. Id ſi mihi minime credis, tibi profero imagines eas, quas

(*c*) legunt alii Hemeterio.

(*) in libro peri Stephanon hym. 1. v. 65.

(*) Roman. Mart. 12. Auguſti. Martyrium S. Porcarii extat tom. 7. Bibliot. PP. Par. col. 623., & 624. Extat quoque apud Patres Boland. & in Actis SS. *Ordinis S. Benedicti* ſec. V. tom. 7. pag. 787. edit. Ven.

(*d*) Recole ea Chryſoſtomi verba, quæ differ. 9. cap. 49. §. 15. attuli.

optimus Boldetus exhibet. (*e*) Reſpicit vero, niſi fallimur, Crux in fronte Imaginis illius, qui ibi repræſentatur, impreſſa, ad conſuetudinem illorum Chriſtianorum, qui in fronte ipſa impreſſum geſtabant Crucis ſignum. Hinc, referente eodem Boldeto (*f*) Sagittarium (*g*) allegante: *diſcimus militem quemdam capillo remoto, ſigno Crucis pro Chriſtiano agnitum, & ita coronatum fuiſſe.* Quid quod affirmat idem Boldetus, vetuſtarum imaginum ſacrarum in Cœmeteriis occurrentium veſtes ſigno T non raro apparere inſignitas? Denotat autem littera T Crucem, quod omnes norunt. (*)

VI. Minime vero dubito, quin in Chriſtianorum ſupellectile eorum anuli ſint numerandi. Dicat porro quod libet Dallæus (*h*), vetuſtos Chriſtianos in anulis ſuis Crucem ſculpere conſueviſſe, indicat Euſebius (*), & affirmat Heineccius, (*i*) atque ad hunc quidē Scriptorem, cujus auctoritas Proteſtantibus ſuſpecta eſſe non debet, Lectorem rejicio: quamquam neceſſe non eſt ad hæc confugere, quando quidem ex Chriſtianorum militum imaginibus in Antonini columna ſculptis, palam conſtat, Crucis ſignum adeo ipſo Gentilitatis tempore acceptum fuiſſe Chriſtianis, ut illud in clypeis ſuis geſtarent; in fidei ſcilicet ſuæ argumentum, & indubitatam atque honorificentiſſimam notam. (*)

VII. In viis publicis Crucis ſigna a Chriſtianis trium priorum ſæculorum erecta fuiſſe negas? Quid ſi id conceſſero? Indicat ſane Leo Imperator, erecto Crucis ſigno, loca ſanctificari, divinoque cultui conſecrari. (*) Quomodo itaque tribus prioribus ſæculis, quibus Imperatores aut ſæviebant ipſi in Chriſtianos, aut certe populorum in Chriſtianos concitatorum odium reprimere vel non audebant, vel fortaſse non poterant, erecta Crucis ſigna a Chriſtianis in viis publicis fuiſſe vis? Nonne Fideles ea ratione irritaſſent magis Chriſtianæ Fidei hoſtes, & in ſe concitaſſent? Nonne ipſa Crucis ſigna contumeliæ expoſuiſſent, & excidio everſionique? Neque vero toleraſſent adverſus Deos ſuos Chriſti ſignum, noſtræque Religionis trophæum, &, ut vetuſti Scriptoris locutione utar, (*k*) *triumphale ſignum* in viis publicis erectum. Ceterum cum Chriſtianis licuit impune erigere in locis publicis Crucis ſigna, id exequi non neglexerunt. Hic rurſus

Chry-

(*e*) lib. 1. Animad. in Cœmeteria, cap. xv. pag. 60.

(*f*) pag. 61.

(*g*) *De Cruciatibus Martyrum.*

(*) Tertullia. 3. *adv. Marc.* cap. 22. Cyprian. li. 2. *teſtimon.* cap. 22. Hierony. in Ezech. 9. Procop. Gaz. in *Iſa.* 44. v. 5.

(*h*) cap. 15. & 16.

(*) lib. 6. *Demons: Evang.* cap. 25. ideſt poſtremo: *quicunque in Chriſti fidem venerunt, ſalutari ſigno pro anuli nota utentes.*

(*i*) *De Veteribus ſigillis* part. 1. ca. 8. n. 2. pag. 63. Novimus quoque ſervaſſe olī Peireskium anulum (niſi fallimur pronubum) in quo hæc ſculpta erant. ✠ *Tecla. vivat. Deo. cum. marito. ſeo.* Vide Scriptores ea de re allegatos a Clariſ. Fontanino in com. de *S. Columba* pag. 78.) Quod ſi monogrammā ☧ inter Cruces recenſes, (Vide tradita capite 49. §. 1. diſſerta. IX.) vetuſtū alium anulum Crucem ſignatum idem, Fontaninus tibi præbebit. (Ibidem)

(*) Caſali. *de vete. Sac. Chriſti. riti.* pag. 30.

(*) Vide tradita differ. 7. cap. 29. §. 3.

(*k*) *De Morte perſecutorum* cap. x.

Chryſoſtomum non allego ſed alia duo profero exempla, ne eorũ multitudine lectorẽ fatigem. Magnus Conſtantinus, ut ſacram Chriſtianæ Religioni Urbem Romam, & ab impii Tyranni poteſtate liberatam innueret, Crucis ſignum in ſtatua eundem Imperatorem exhibente ita collocari juſſit, ut repręſentaretur ipſe Crucem dexterâ geſtans, & veluti oſtentans & jactans: (l),, Et
,, clarâ voce ac titulorum inſcriptionibus, ſalutare ſi-
,, gnum cunctis hominibus annuntiavit: hoc tropæo in
,, medio urbis regiæ adverſus hoſtes erecto, atque hoc
,, ſalutari ſigno, quod Imperii Romani, ac totius orbis
,, prę̨ſidium eſt, literarum notis nunquam interituris in-
,, ciſo. Statim ergo ſublimem haſtam in modum crucis,
,, ſub manum ſtatuæ ſuæ in celeberrimo urbis loco poni
,, juſſit, & hujuſmodi inſcriptionem latino ſermone
,, ſubjici. *Hoc ſalutari ſigno, quod veræ virtutis argu-*
,, *mentum eſt, veſtram Urbem Tyrannicæ Dominationis*
,, *jugo liberatam ſervavi. Senatui Populoque Romano*
,, *in libertatem aſſerto priſtinum decus nobilitatis ſplen-*
,, *doremque reſtitui*. Atque ex eo quidem tempore ita ipſe exprimi voluit, ut ſine Cruce non eſſet (*).

VIII. Similia habes capite 9. libri 9. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ejuſdem Euſebii, Ruffino interprete. (*) Juvabit etiam ea legere, quæ idem Euſebius capitibus 30., & 31. libri primi de Vita Conſtantini, ea quæ Caſſiodorus, (*) & Prudentius tradunt (m): ea denique recole quæ capite 49. Diſſertationis IX. dixi. Videbis ſane ex iis, quæ §. XVII. (n) & XVIII. allegavi, in locis publicis honorificentiſſime Crucis ſignum fuiſſe a Conſtantino erectum, eidemque Cruci *ubique terrarum arcus triumphales ædificatos*, ut ſcilicet indicaretur, Chriſtianam Religionem eo ſigno ſignificatam, in ſublime fuiſse erectam, domitiſque hoſtibus ſuis, dominari jam Gentibus, totique Orbi imperare.

IX. Nefas porro ſit id præterire, quod Ruffinus apud Alexandriam factum prodidit: everſo ſcilicet Serapidis delubro, Crucis ſignum ſtatim fuiſse erectum, & in publicis Urbis locis poſitum, ablatis nempe, corraſiſque ejuſdem Serapidis thoracibus, ſtatim, inquam, ac Chriſtiana Religio in ſuperſtitioſiſſima antea urbe radices egit. Ruffini verba libentiſſimè referrem, niſi plurima eſſent. In margine locum indico, in quo hæc, quæ dixi, ſcriptis tradidit. (*) Nec defuere qui

(l) Euſebius de Vita Conſtan. lib. 1. cap. 40.

(*) *Quin etiam quotieſcunque aut in nummis imago ejus inſculperetur, aut in tabulis pingeretur, SEMPER divinum hoc ſignum una cum ipſo ſculpi, ac depingi præcepit: idque etiam num teſtantur imagines illius in hunc modum expreſſa*. Sozom. lib. 1. cap. 8.

(*) pag. 527. tom. 1. edente Caccia.

(*) lib. 1. cap. 9. *Aſſueſcens autem milites, ut ſicut ipſe, Deum colerent, ſigno Crucis eorum arma ſignabat*. [ex Sozom. 1. 8.)

(m) lib. 1. contra Simmachum Epigra. XVIIII.

(n) per Typographi errorem XVI. notatum.

[*] lib. 2. aliàs 11. cap. 29.

re qui morem hunc deſignari dicerent in illis Theophili ad Hieronymum dictis: (o) *Scito Amalec uſque ad ſtirpem eſſe deletum, & in monte Raphidim erectum trophæum Crucis*. Recte ne, an non, id putent, Lector viderit.

(o) inter Hierony. Epiſto. olim 73. in Veronenſi edit. 91.

X. Adde & hoc, quod præbet Damaſcenus (ſeu alius, quiſquis eſt, ſcriptor vitæ Barlaami, & Joſaphatis)., „Tum „ igitur regiam authoritatem ac poteſtatem nactus Joſa„phat, cum ad eam urbem, in qua ea, quæ ad re„gnum gerendum pertinebant, parata erant, veniſ„ſet, Dominicæ paſſionis ſignum, hoc eſt, veneran„dam Chriſti Crucem, in ſingulis urbis turribus col„locavit. Idolorum autem delubra & aras dejecit, „ atque a fundamentis ipſis eruit, nullas videlicet im„pietatis reliquias linquens. Atque in media urbe „ ingens ac præclarum templum Chriſto Domino ex„citavit, plebique imperavit, ut ad eum locum cre„bro commeans, Deo per Crucis adorationem cul„tum adhiberet. „ Quàm vero id utile converſis populis fuerit, deinceps (p) copioſe enarrat: atque ad hunc quidem Scriptorem lectorem rejicio.

(p) cap. 33.

CAP.

CAP. II.

Num in ſacris ipſis locis ſervatæ fuerint Crucis imagines? Affirmanti opinioni adhæremus.

I. MUlto plus tamen Dallæo cordi eſt, Crucis imagines ex Eccleſiaſticis locis & functionibus abigere. Id ut obtineat, ad prima Eccleſiæ tempora Chriſtianum amandat, ut ab iis ſcilicet diſcat impollutæ Eccleſiæ ritus & ceremonias; ſimplicitatem vero vetuſtæ Eccleſiæ, bonorumque illorum Chriſtianorum commendat maxime, at hanc ipſam ſimplicitatem in hoc eminuiſse contendit, quod nullas haberent in locis ſacris Crucis imagines, nulliſque prorſus Crucis ſignis uterentur in functionibus ſacris. Ut a primo exordiar, caput 8. inſumit, ut probet, exulaſse prorſus a vetuſtis ſacris ædibus Cruces. Adducit porro in rem ſuam ſilentium *Conſtitutionum* earum, quas *Apoſtolicas* appellant, (*a*) quæ dum Sacram Ædem deſcribunt, nullam Crucis mentionem faciunt: nullam quoque ſignorum Crucis mentionem faciunt ii, qui everſas a Diocletiano ſacras ædes narrant, illarumque partes, atque adeo ſupellectilem ipſam deſcribunt: nullam denique mentionem ſignorum Crucis facit Euſebius, dum minute & diligentiſſime ſacra ædificia a Conſtantino erecta, eorumque ſupellectilem deſcribit, recenſetque. An prætermiſſet Euſebius ſive in *altari*, ſive in aliis Baſilicarum a Conſtantino erectarum locis Crucis imagines, ſi ullæ fuiſſent poſitæ? Ad hæc: ut apertius oſtendat Dallæus, a ſacris locis prorſus abfuiſse Crucis ſigna, Hieronymum, (*b*) Pontificale quod tribuitur Damaſo (*), & Prudentium (*c*) allegat. Nimirum hi vetuſta romana cœmeteria deſcribunt, nullamque Signorum Crucis in iiſdem Cœmeteriis poſitorum mentionem faciunt; hinc rei veritate compulſus Baronius ipſe (*d*) haud obſcure ſilentio ſuo indicat, nullas in vetuſtis romanis cœmeteriis

(*a*) Conſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 57. Bovio 61.

(*b*) in Ezech. cap. 40. ad v. 5. & 6.

[*] *in Caliſto* p. 6.

(*c*) Hymn. XI. aliàs 10. Periſteph. v. 153.

(*d*) ad Annum 226. §. 9.

riis Cruces reperiri (1). Quod ſi vetuſti in ſepeliendis Chriſtianorum corporibus ritus exemplum movere te poterit, ecce tibi Hegeſippum atteſtantem, ſine ulla Cruce ſepultum fuiſse ſacrum Jacobi Juſti cadaver. *Et ſepelierunt eum in loco, & adhuc manet ejus columna prope templum.* (e) Quibus recitatis hæc addit Dallæus [f]: *Qui columellam ad Sancti viri monumentum erectam dixit; an is obſecro ſacrum Crucis ſignum erat indictum prætermiſſurus, ſi quod eſſet Latino ritu appoſitum? Ne dubites, quod tali loco tacuit, nullum re vera fuiſſe; quod profecto ad tanti viri tumulum non erat nullum futurum, ſi cæterorum fidelium ſepulcris tale quid apponi mos jam tum fuiſſet.* Tamen Pontificii in locis omnibus, & ritibus, præſertim ſacris, Cruce muniti eſſe volunt. Sine Cruce in fundamentis poſita non erigitur ſacra ædes: ſine cruce in altari poſita nullum extat altare: ſine cruce præeunte non confertur baptiſma: ſine *Cruce* pectorali non celebrat Epiſcopus, non pergit, aut excipitur ſive Epiſcopus, ſive Pontificis Legatus, ante quem deferri etiam ſolet excelſo ſtipite nobilis Crux: ſine cruce nec adminiſtratur Chriſma, nec confertur Epiſcopatus, aut Ordo: nec agitur pœnitentia. In Crucis ſigno fiunt juramenta. Cruce præeunte inſtituitur proceſſio. Fidelibus quoque periculoſe ægrotantibus, crux ante eorum oculos conſtituitur. Crux denique eorum cadavera ad ſepulturam comitatur. Nihil tamen horum primis illis, ideoque felicioribus Eccleſiæ temporibus fiebat. Hæc in ſumma Dallæus. (*)

(e) Hegeſippus apud Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 23.

(f) cap. 9. pag. 777.

(*) cap. 7. pag. 763. & ca. 8. pag. 769. &c.

II. Ego vero hæc tua argumenta, Dallæe, minus roboris habere cenſeo, quàm tu jactas. Atque hic id ipſum recolere Lector poterit, quod §. 3. & 4. ſuperioris capitis diximus. Id vero ne quis effugii cujuſdam causâ pro-

(1) „ De Cruce in illo poſita nihil Baronius hujuſmodi. (*) „ Cœmeteria, quale hoc Calixti fuit, in cryptis ſubterranea in Romanis ſuburbiis recenſet, & nominat „ XLIII. neque in iſtorum aliquo poſitum fuiſſe hodierno latinorum ritu obſervat ullum Crucis ſignum. „ Quod mihi magno argumento eſt, Annaliſtam nullum „ ejus rei apud Veteres reperiſſe documentum. Id „ enim ſi quod reperiſſet, non erat omiſſurus Vir „ cauſæ Latinæ præter omnem modum ſtudioſus. „ (*)

(*) Baron. an. D. 226. §. 9.

(*) Dallæ: pag. 776.

prolatum ſuſpicetur, ea omittamus, quæ de integerrima tribus prioribus ſeculis, deque deinceps polluta Eccleſià decantat; ea enim hic a nobis pertractari non poſſunt, niſi forte a via in diverticulum declinare velimus, & ceteroqui, quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, eo de argumento alibi egimus. (*g*) Conſiſtamus itaque intra limites earum probationum, quæ peculiariter ad hoc caput pertinent. Oſtendo itaque ſtatim, Crucis imagines in templis ipſis fuiſse ſervatas. Atque hic quidem non multum innitor in conjectura, cui viri etiam docti videntur fidere, quum ajunt, a Canone 36 Eliberitani indicari eam, de qua agimus, conſuetudinem. Vetat ſcilicet Canon iſte pingi in pariete id, quod a Fidelibus *adoratur*. Porro Crux adorabatur a Fidelibus, uti deinceps oſtendam. Vetat itaque eam in parietibus pingi. Ideo vero eam pingi vetat, quòd merito timeretur, ne ea in pariete picta fœdaretur a Gentilibus, aut ſi vis, ne ea pictura labem aliquam temporis edacitate contraheret: quod ut caverent, caverunt etiam, ne in pariete pingeretur. Non multum, inquam, in ea conjectura innitor; probe enim novi, longe aliam afferri poſse hujuſce canonis interpretationem: & perſpicua monumenta allego. Exordior autem a generali illo S. Maximi effato: (*h*) *Sicut Eccleſia ſine Cruce ſtare non poteſt, ita & ſine arbore navis infirma eſt*. An ſi antiquiſſima, & apud omnes recepta non fuiſset conſuetudo, qua in Eccleſiis Cruces collocantur, tam vehementer neceſſitatem imaginis Crucis in Eccleſiis collocandæ inculcaſset Maximus?

III. Novi equidẽ, Acta ea S. Gregorii Magnæ Armeniæ Epiſcopi, quæ a Metaphraſte accepimus, non admodum multo in pretio haberi a Criticis. (*) Quid tamen ſi ex iis pariter ſumpſero teſtimonium, quum ea quoque citentur ab Euthymio? (*) *Non ſolum autem ſepulchra* (SS. Martyrum) *fuere ædificata, ſed etiam templum . . . Martyr igitur* (Gregorius) *crucem hic quoque* (*i*) *ſtatuit, & jubet multitudinem, quæ illic aſſidue verſabatur, & eò ventitabat, prompto & alacri animi ſtudio Deo cultum offerre per adorationem Crucis*.

IV. Sed quoniã ipſo etiam Conſtantini tempore exulaſſe vis a ſacris ædibus Crucis imagines, tibi profero vetuſti

(*g*) diſſer. 3. cap. 2. &c.

(*h*) Sermone olim 56. aliàs 52. inter ſermones Ambroſio adſcriptos; ſed nunc, uti dixi, tribuitur S. Maximo, & inſcribitur *de Cruce, & ſepultura Domini*; pag. 20. to. 6. Biblio. Pat. Lugdu.

(*) 30. Septem. apud Surium: quæ hic allego, habes cap. 30. pag. 401.

(*) Vide Euthy. 2. p. Panop. tit. 20. pag. 203. to. 19. Biblio. Pat. Lugdu.

(*i*) antea dixerat in Martyrum ſepulcris Crucem fuiſſe poſitam.

tuſti Scriptoris (illius nempe, cui tribuimus librum, qui *de munificentia Conſtantini* inſcribitur) verba, quibus aſſequimur, a Conſtantino ipſo fuiſſe ornatas ſacras Baſilicas Crucibus. An Scriptoris iſtius teſtimonium contemnes, quod is non probetur ab omnibus? Scito tamen valde vetuſtum eſſe, & ad id quod agimus confirmandum, allegari merito poſſe: etenim eam ſupellectilem recenſet, quæ ante omnium oculos erat poſita, adeo ut pauciſſimi ignorarent, quis eam Eccleſiis, quarum mentionem is facit, donaſſet. Ad hunc vero modum loquitur: (k) „ Et ſuper „ corpus B. Petri ſuper os, quo concluſit illud, fecit „ Crucem auream puriſſimam penſantem libras 150. „ ubi ſcriptum eſt hoc: *Conſtantinus Auguſtus, & Helena Auguſta hanc Domum Regali ſimili fulgore coruſcantem auro circumdant*. Et mox „ (l) Ita B. Pauli Apoſtoli (m) ornavit, ſicut illam. (n) Sed & „ Crucem auream ſuper locum (o) Beati Pauli Apoſtoli poſuit penſantem lib. 150. „

(k) Col. 1435. to. 1. Concil.

(l) Ibidem col. 1436

(m) ſupple: *Baſilicam*.

(n) ſupple: *Baſilicam Petri Apoſtoli*.

(o) aliàs *Loculum*.

V. Quod ſi Conſtantinum auctorem vis illius Muſivi operis, quod in Romana Baſilica S. Petri olim extabat, adeo ut Innocentius tertius in eo expreſſus reſtaurator fuerit, non auctor, exemplum aliud habes, quo revincantur illi, qui poſt Conſtantini tempora inductam in Chriſtianorum Baſilicas Crucis imaginem putant. Etenim, ut eam ipſam omittamus, quam Rex in eo expreſſus manu geſtat; in tribus ejuſdem Muſivi locis Crux palam conſpicua apparet: circa caput Salvatoris in nimbo ipſo: in ſumma fornicis parte: in extrema Muſivi fronte ſub pedibus Salvatoris. (p) Tanto vero lubentius in hanc opinionem inclinor, quanto certius habeo, eam Crucis ſpeciem, quam muſivum illud oſtentat, antiquiſſimam eſſe: eam ſcilicet habent vetuſta Muſiva, quæ deſcribit Ciampinus in libris, quos *vetera monimenta* inſcripſit. Aliquot exempla in margine indico. (q) In his enim aut ea ipſa Crucis ſpecies, quam olim extitiſſe dixi in Muſivo Baſilicæ S. Petri, aut certe alia haud abſimilis apparet, adeo ut merito conjicere poſſimus, ad ipſa Conſtantini tempora (haud multum ſane anteriora muſivis iis, quæ in ſacris ædibus SS. Coſmæ, & Damiani, S. Mariæ Majoris Romæ, Sanctorum Vitalis, & Apollinaris Raven-

(p) Vide Tab. 13. libri illius, quem Ciampinus *de Sac. Conſt. Ædificiis* inſcripſit.

(q) Vide Tab. 15. & 16. 17. 18. 19. 20. 21. 23, 24. 26., 27. 28. & reliquas fere omnes Tabulas to. 2. His ea addere potes Paulini loca, quæ deinceps indicabo.

næ

næ erectis conſpiciuntur,) eam Crucis ſpeciem referendam eſſe.

VI. Sed cur Crucis imagines non vis a Conſtantino in ſacris templis poſitas, quando quidem novimus, in reliquis etiam locis ſtabilitas fuiſſe Crucis imagines? An non aptius Crux in templis reſidet, Chriſtum ſcilicet principem & noſtrorum templorum verum decus repræſentans? An non Crux recte cohæret cum ſacris eorum Martyrum cineribus, qui in ſacris Baſilicis tumulantur? Paulini verbis hic uti liceat. (r)

Sic ubi crux, & martyr ibi: qua martyr, ibi & crux,
Martyrii Sanctis quæ pia cauſa fuit.

(*). - - - - - - - - - - - - - - - - -

Quam bene junguntur ligno Crucis oſſa piorum,
Pro Cruce ut occiſis in cruce ſit requies!

VII. Alia ſi addidero, videbor inutilem operam inſumere; fatentur enim Proteſtantes (nec negat Dallæus) poſt Conſtantini tempora introductas fuiſse in ipſa Chriſtianorum Templa Cruces. Tamen, ſi vis, ea conſule, quæ Paulinus tota fere epiſtola 32. (ſ) *ad Severum* habet, iis præſertim locis, quæ in margine indico. (t) Alia ſi adiungi optas, recole quæ nuper attuli, (u) aliaque adde ex Gretſero, (x) ad quem Lectorem delego. Sed reliqua proſequamur.

VIII. Age porro dic: cur vetuſtiſſima altaria Crucis imagine caruiſſe contendis? An turpis eſt locus altare, adeo ut Chriſti ſignum dedeceat? An non potius honeſtiſſimus eſt, mirumque in modum ei convenit, qui acceptiſſima Deo hoſtia eſt, & ſacerdos? An putas, Conſtantini ſaltem tempore Cruces ab altaribus abfuiſſe, quæ jam militum inſignia erant? (y) Sed quoniam jubes vetuſta tibi exempla allegari, pareo libens, & aliqua tibi profero.

IX. Profecto ad eum morem comprobandum inviſtiſſima ſunt illa Paulini Nolani carmina (z):

Quo fuerat prius apta loco, & velamine clauſi
Altaris faciem ſigno pietatis adornat:
Ergo eadem ſpecies formam Crucis exerit illam &c.

Recoli etiam hic merentur ea Chryſoſtomi verba, quæ alibi retuli. (a) Etenim cum alia loca commemoret, in quibus aderat Crux, ſacram menſam minime præterit. Cur vero paulo ante in eandẽ menſam putas invectã Crucem,

(r) epiſto. olim 12. nunc 32. ad Sever. n. 7.

(*) Ibidem n. 11.

(ſ) olim 12.

(t) n. 7. 10. 12. 14. 17. &c.

(u) §. 5. in margine ex Ciampino.

(x) to. 1. *de Cruce* lib. 2. cap. 10. & 11.

(y) Vide quæ diximus differt. 9. cap. 49. §. 2. 3. 4. & 5. Adde hæc ex Caſſiodoro, [lib. 1. hiſto. cap. 9.] & Sozomeno (lib. 1. cap. 8.) *Aſſueſcens milites, ut ſicut ipſe, Deum colerent, ſigno Crucis eorum arma ſignabat.*

[z] Natali XI. edi. a Murato. v. 673.

(a) differ. 9. cap. 49. §. 15.

cem, cum nullam peculiarem afferas cauſam, ob quam cenſeas nuper invectam?

X. Atque ad hujus quidem conſuetudinis antiquitatem reſpexiſse viſus eſt Nilus ille ſanctitate præclarus, qui Crucem tantum in ſacrario poni voluit. (b) Illius verba libentiſſime referrem, niſi alibi retuliſsem (c). Ea hic recolat Lector.

XI. Quod ſi fidem aliquam Sozomeno, (d) & Nicephoro (e) habes, aperte diſcis, ipſis Conſtantini magni temporibus conſueviſſe Crucis ſignum in medio Altaris collocari: narrant enim, Probiano uni ex Prætorianis Conſtantini Magni militibus, „ reliqua quidem Religionis noſtræ ſatis probabilia exiſtimanti, iſtud verò neutiquam probanti, quod Crux ſalutis omnium cauſa extitiſſet, divinam viſionem fuiſſe oblatam, quæ Crucis ſignum oſtendit, quod in altari ſupradictæ Eccleſiæ erat dedicatum: palamque affirmavit, ex quo crucifixus fuiſſet Chriſtus, eorum quæ ad communem humani generis utilitatem, aut ad privatum quorumdam commodum facta eſſent, nihil abſque venerandæ crucis potentia ſeu divinos angelos, ſeu pios ac ſanctos homines perpetraſſe. „

XII. Miſerum vero eorum videtur effugium, qui ut hujuſce argumenti vim evitent, reſpondere non verentur: *Superſtitioſa eſſe iſta, & ad Conſtantini ſæculum non pertinere, ſed Sozomeni tempore, ſive propter ſuperſtitionem eveniſſe, ſive conficta fuiſſe.* Miſerum, inquam, effugium hoc eſt; etenim palam teſtatur Sozomenus, id Conſtantini tempore eveniſſe, petitque a Lectore veniam, quod antea id non retulerit; Proteſtantium autem partes ſunt, oſtendere, id quod ajunt, probabile eſſe: aliàs facile, nec immerito, reſpondebitur, hæc ab illis fuiſſe conficta, ut vim argumenti declinent. His adde, ſi vis, quæ diſcimus ex Canone 3. Concilii II. Turonici. (f)

XIII. Sed jam ſolvenda ea ſunt quæ Dallæus adduxit: In eo quem ex *Conſtitutionibus Apoſtolicis*, uti vocant, protuliſti loco, Cruces minime commemoratas fateor. Sed non omnia, quæ ad Eccleſiam pertinent, commemorata ibi fuere; veſtes enim ſacerdotales, & ca-

(b) in Epiſt. ad Olympid. act. 4. pag. 875. to. 8. Conci.
(c) diſſ. 9. cap. 68. §. 8. annot. 26.
(d) li. 2. hiſt. cap. 3. edit. Vale.
(e) lib. 7. hiſto. cap. 50.

(f) an. 567. cel. pag. 536. to. 6. Conci. Allegatus eſt a Viris Clariſſimis Sigibertus ad an. 453. quaſi traderet, in *Vaſatenſis Eccleſia* altari Crucem fuiſſe poſitam. Sigiberti locum Lector expendat, & judicet.

calices commemoratos minime video, quibus tamen caruiſſe veteres Eccleſias, minime, ut puto, dices; & certe calicū expreſsā mentionē facit Tertullianus; (g) ſacris autē & peculiaribus veſtibus uſos fuiſse per ea quoque tempora in ſacrificiis Eccleſiaſticos, valde probabilis ſententia cenſet; (h) & peculiarē certe veſtē, qua in Eccleſiaſticis muneribus uteretur Miniſter, a Conſtantino fuiſse Jeroſolymitanæ Eccleſiæ donatam, mox oſtendam. Vides itaque, argumentum iſtud tuum, quod negativum eſt denique, infirmum eſse atque imbecillum, quod ex iis quæ deinceps de Cœmeteriis vetuſtis dicam, apertius etiam conſtabit. Ceterum nimis animoſe, niſi fallor, ait Dallæus, *Conſtitutiones Apoſtolicas* ſigni Crucis non meminiſſe. Mihi ſane videre illud videor capite 17. libri 3., in quo quidem hæc extant: *Baptiſmus igitur datur in mortem filii Dei, aqua adhibetur pro ſepultura, oleum pro Spiritu Sancto, ſigillum Crucis pro Cruce.* Crucis igitur in iis fit mentio; atque hæc quidem aut ex materia conſtanti erat, quod placet Bonarotæ, uti deinceps dicemus, aut certe in baptizatis alia ratione imprimebatur.

XIV. Nec majores vires habet id, quod ex ſilentio Euſebii, ſacram ſupellectilem a Conſtantino Eccleſiis donatam recenſentis, Cruces vero omittentis, deducis. Id quod, te judice, in Euſebio deeſt, per alia, quæ antea attuli, exempla ſuppletur. Quod porro tu ex libro 1. capite 35. *Vitæ Conſtantini* allegas (i), reſpondet, ut puto, capiti 42. editionis Valeſii, cujus poſtrema verba hic exſcribere libet. *Quin etiam Eccleſiis Dei plurima ex theſauris ſuis beneficia ſubminiſtravit* (Conſtantinus): *partim ſacras ædes amplificans & in ſublime erigens; partim auguſta Eccleſiarum ſacraria plurimis donariis exornans.* Id autē, quod tu citas (k) ex capite 28. & ſequentibus ad 40. uſque libri tertii, & rurſus ex capite 40. 41. ejuſdem libri, reſpondere puto iis quæ capite 31. & ſubſequentibus in editione Valeſii deſcripta ſunt: (l) in quibus quidem minute recenſitam ais ſupellectilem ſacram, omiſsam vero prorſus Crucis imaginem. At ſine te moneam, ſupellectilem ſacram, niſi ſi ſummatim & ſtrictim, minime fuiſse deſcriptam, ſed tantum ædificia ipſa, & parietes. Profecto plurima comple-

(g) in lib. *de pudicit.* in ipſo initio capitis 7. & rurſus capite 10.

(h) Vide quæ tradit Sanctiſ. Benedi. XIV. in anno. to. 2. part. 4. ſect. 1. §. 37. &c.

(i) Dallæ. cap. 8. pag. 771.

[k] pag. 772.

(l) Idem ait de capite 49. 50. & rurſus de capite 59., & 60. lib. 4.

plectitur Euſebius, dum hæc ait. (n) „ Nec di-
„ ci poteſt, quot quantiſque ornamentis ac donariis,
„ partim ex auro & argento, partim ex gemmis, illud (*)
„ diverſimode venuſtavit. Quorum apparatum ſum-
„ mo artificio elaboratum, & magnitudine & nume-
„ ro & varietate inſignem, hic ſingillatim exponere
„ haud vacat. „ Et rurſus (o): „ Atque hæc loca
„ magnifico cultu exornans; „ Rurſus quoque (p) „ Nec
„ multo poſt Imperator eandem Domini nativitatem
„ regalibus donariis honoravit; variis ex auro & ar-
„ gento monumentis, veliſque acu pictis, matris ſuæ
„ cumulans magnificentiam. . . . . Imperator vero
„ hoc etiam in loco, variis ornamentis ac donariis ſum-
„ mum omnium regem veneratus eſt. „ Capite por-
ro 50. (quod alibi etiam adverti) [*] Crucem in Tem-
plo magnificentiſſime erecto haud obſcure indicat iis
verbis: „ Urbem vero primariam Bithyniæ, pulcher-
„ rimæ & magnificentiſſimæ Eccleſiæ monumento exor-
„ navit; erectis proprio ſumptu in honorem Servato-
„ toris ſui, eo etiam in loco trophæis victoriæ, quam
„ de hoſtibus & de adverſariis Dei retulerat. „ Quod-
nam enim *eſt trophæum Victoriæ, quam de hoſtibus & ad-
verſariis Dei retulerat*, niſi Crux, quam manu tene-
bat ejuſdem Conſtantini ſtatua, hac inſcriptione adje-
cta: (q) *Hoc ſalutari ſigno, quod veræ virtutis argu-
mentum eſt, veſtram urbem tyrannicæ dominationis jugo li-
beratam ſervavit*, cujus etiam Crucis nuper mentionem
Euſebius fecerat? [*] Sed, ut ad Euſebii ſilentium
a Dallæo objectum revertar, in allegatis a Dallæo lo-
cis minime recenſitam video ſacram illam veſtem,
quam ab eodem Conſtantino Eccleſiæ Jeroſolymitanæ
donatam aſſequimur ex Theodoreto (*). Adeo
conſtat, tuum illud, quod mirum in modum commen-
das & ornas, Dallæe, argumentum frivolum eſſe pla-
ne, & nugax.

XV. Sed nihil fortaſſe id, quod ajo contendoque, magis
oſtendit, quàm quod poſtremo loco de Cœmeteriis
commemoraſti. Te judice, Hieronymi, Prudentii, at-
que adeo Baronii de Romanis vetuſtis Cœmeteriis ſer-
monem habentium ſilentium, nullas in iis extitiſſe Cru-
ces, evincit. At valde te, Dallæe, decipi, hæc
argumenta demonſtrant. Crebro in veterum Chriſtia-
no-

(n) cap. 40.

(*) (templum).

(o) cap. 41.
(p) cap. 43.

(*) diſſ. 9. cap. 75. §. 6.

(q) lib. 1. cap. 40.

[*] *Signum divinæ paſſionis . . . elaboratum infixerit*. cap. 49: atque eo quidem reſpicere videtur idem Euſebius, dum capite 50. addit vocem: *Etiam*. *Eo etiam in loco &c.*
(*) lib. 2. cap. 27. *Sed præcipuè Imperatoris animum &c.*

norum tumulis Crucis imagines fuiſse ſculptas, Chriſtianæ funebres inſcriptiones, quæ a Viris Clariſſimis collectæ ſunt, & typis editæ, apertiſſimè evincunt. Sed nolo in his immoremur. Conſiſto in iis ipſis Romanis Cœmeteriis, a quibus abfuiſſe Crucis imagines dicis: quarũ quidẽ Aringus (*), Boldetus, aliique Viri Clariſſimi infinita propemodum exempla ſubminiſtrant. Conſule, obſecro, quæ Boldetus (r) hoc de argumento memoriæ prodidit, & ex animo tuo ſcrupulus quivis evelletur. Ipſa Boldeti verba in paginæ calcem rejicienda duxi, ut nec præterirem, nec Italicâ linguâ conſcripta Viri Clariſſimi monita his ſcriptis infererem. (2) Proſequitur autem deinceps idem argumentum, quod Lector apud eundem Boldetum egregie pertractatum conſulere facile poterit. Adde, ſi vis, lucernas in vetuſtis cœmeteriis repertas, in quibus non raro impreſſa cernitur Crux (*).

XVI. Nolim vero putes, has, de quibus agimus, Cruces iis tantum Chriſtianis fuiſſe appoſitas, qui poſt reſtitutam a Conſtantino Eccleſiæ pacem, mortem obierunt. Apage imprudentiſſimam ſuſpicionem. Ipſis Martyrum tumulis inſculptæ Cruces fuere, atque ex iis paucas aliquas ſeligo. Fortunulæ Martyris tumulo plures Cruces fuiſſe ſculptas, certa res eſt. Id ipſum conſpicimus in Maximini Martyris tumulo (ſ): nec

(*) Conſule, obſecro, quæ tradit Aringus lib. 1. cap. 27. n. 15. pag. 146. tom. 1. [edit. Romæ.] *Verum præter Cruces tabulis ſive marmoreis, ſive teſtaceis altius impreſſas . . . quibus monumenta adhuc clauſa obſignabantur, quarum infinitus propemodum in eodem Cœmeteriorum ambitu intuentium oculis numerus patet; in ipſiſmet monumentis &c.*

(r) lib. 2. cap. 9. pag. 349.

(*) Aring. to. 1. *Rom. Subter.* lib. 3. cap. 22. pag. 512. 513. 510.

(ſ) Bolde. Ibidem pag. 350.

(2) „ In diverſe maniere per tanto ſi ſcorge delineata ne
„ i Cimiterj la Croce. La prima è di quella for-
„ ma, che chiamaſi *Crux immiſſa*, per eſſere compo-
„ ſta di due linee eguali l' una poſta ſovra l' altra,
„ con che vengono a formarſi quattro lati retti, ed
„ eguali. Tal ſorta di Croci ſpeſſamente ſi vede eſ-
„ ſer ſtata inciſa, e delineata con ferro, o altro ſtru-
„ mento acuto nella calcina, che ſtabiliſce le tavole
„ di marmo o di terra cotta a gli orificj, o bocche
„ de i Sepolcri in queſte maniere:



nec cruce caret tumulus Alexandri vetuſtiſſimi martyris; paſſi ſcilicet Antonino imperante (t).

XVII. Hæc porro ſola non eſſe exempla, quibus mos hic comprobetur, ſubſequentia monumenta declarant. Teſtantur Acta Gregorii Magnæ Armeniæ Epiſcopi, & Martyris (quæ in qualibet ſui parte rejici minime merentur) (u) ſuper Virginum martyrio functarum cadavera Crucis imagines ab eodem Gregorio fuiſſe poſitas. *Venerandam Crucem ſtatuit in unaquaque earum* (capſarum ſcilicet, in quibus unaquæque fuerat tumulata.) Supra S. Gereonis, aut alterius, certe Sanctiſſimæ Thebeæ Legionis præclariſſimi militis ſacrum cadaver fuiſse poſitam Crucem, acta inventionis illius teſtatum faciunt. (x) *Supra pectus illius ſignum Dominicæ Crucis inventum eſt de aurifrigio factum.*

XV. Eandē Crucis imaginem extitiſſe in vetuſtis tumulis S.Paulini Lucenſis Epiſcopi, & S.Lanni, ex probabilibus monumentis evincit idem Boldetus, ad quem quidem, quoniam monumenta illa conſulere minime licuit, Lectorem delego. (y) Recenſet autem idem Boldetus (z) acta, quibus deſcribitur inventio corporis S. Valentini Epiſcopi, & Martyris: quibus rurſus evincitur, Sanctorum Martyrum corporibus affigi

(t) Bolde. lib. 1. cap. 44. pag. 232.

(u) apud Surium 30. Septemb. cap. 30.

(x) Surius 24. Novemb. pag. 619.

(y) lib. 2. cap. 3. pag. 348. & lib. 1. cap. 30. pag. 246.

(z) pag. 354. & ſeq.

,, Altre poi ſi veggono formate di minute pietre di
,, varj colori a Moſaico in queſta guiſa:



,, Se ne ſcorgono anche ſcolpite ſulle Iſcrizioni, e
,, marmi, che chiudono le Tombe; alcune delle quali
,, da me trovate ſono le ſeguenti:

Nel Cimitero di Caliſto, e Preteſtato.

III. ✻ KAL. ✻ MAR. ✻ FORTV-
NVLA. ✻ QVE. ✻ BIXIT. ✻ ANN.
✻ L. ✻ ET. ✻ MES. ✻ III.

gi aut apponi conſueviſſe Sanctæ Crucis imaginem. Ea per ſe conſulat Lector. Ad hæc: ſacrum Sanctæ Vincianæ cadaver cum Cruce repertum fuit. (a) Ligneam Crucem Sanctæ Martinæ cadaveri a vetuſtiſſimis Chriſtianis, qui illud ſepulcro intulerant, fuiſse impoſitam, novimus ex Aringo (b). Et hanc conſuetudinem ſi quis dixerit ab iis Paulini verſibus, quos §. 6. deſcripſi, fuiſse indicatam, id dicet, quod veriſimile arbitrati ſunt multi.

XIX. Atque ad hæc quidem ſi quis intenderit animum, plane aſsequetur, id quod de Jacobi minoris cadavere tradit Hegeſippus, & objicit Dallæus, minime ea refellere, quæ intendimus. Nimirum non negat Hegeſippus, Crucem fuiſſe cadaveri illi appoſitam, ſed tantum ſummatim, & paucis perſtringit illius ſepulturam: in qua quidem peragenda ritus nullos adhibitos fuiſse dices, quoniam nullius ritus meminit Hegeſippus, ſeu potius Hegeſippi narrationem perſtringens Euſebius. Sed age: id prætermiſsum fuerit in Jacobi cadavere: cum in aliis plurimis id fuerit obſervatū, hæc in exemplum Catholicis erunt, non illa, quibus omiſsum id fuit. Sane ſi quid virium habent ea, quæ attulimus, hæc temere protulit Dallæus (c): *Apud veteres priorum ſæculorum auctores Chriſtianos nihil hujuſmodi uſpiam cernitur, nullus iſtic reperitur moriens, ſive Martyr, ſive alius alio fato fidelis vel mortuus, in cujus hiſtoria uſurpata fuiſſe dicantur ulla Crucis aurea, argentea, lignea ve ſigna.*

(a) Suri. 19. Martii: *in Vita* S. Landoaldi pag. 317. *Aliæ* (thecæ) *continebant Sanctas Adeltrudim, & Vincianam; quod indicabat crucicula quadam argentea pectori S. Vincianæ ſuper inventa.*

(b) lib. 1. cap. 27. n. 15. pag. 146. to. 1. edit. Romæ.

(c) cap. 14. pag. 789.

C A P. III.

Iis argumentis occurrimus, quibus permotus Dallæus a ritibus ſacris exulaſſe ait Cruces, qualibet ex materia formatas.

I. Irridet nos tamen adhuc Dallæus, & a ritibus ſacris Crucis ſigna, vetuſtiſſimis Eccleſiæ ſæculis abfuiſſe contendens, immerito nos Cruce in Eccleſiaſticis

functionibus uti affirmat. Nonnulla illius verba jam attulimus; (*) alia habes eodẽ cap. 7. & rurſus 8. pag. 769. quæ quidẽ quoad potero & ſequar, & coarctabo. Temere in ipſis templorũ fundamẽtis aut ſuper altare Crucẽ poni ait. Id vero ut probet, ſilentiũ Veterũ, ideoque *Conſtitutionũ*, quas *Apoſtolicas* vocant, & Euſebii in deſcribẽdis Eccleſiæ ædificiis, & apparatu urget. An omiſiſſent Crucis mentionem, ſi ea inibi extitiſſet? Tum per Sacramentorum adminiſtrationem decurrit, quæ omnino ſine Cruce confecta fuiſſe negant Catholici. Hæc porro in rem ſuam deducit. Ut a Scriptura ipſa hujuſce diſputationis ſumamus exordium, pluries acta Apoſtolorum collatum Baptiſmum teſtantur, (*a*) nec ullo in loco Crucem in ſcenam inducunt. Quin etiam baptiſmi adminiſtrati plura veterum loca mentionem faciunt. Sic Juſtinus Baptiſmi ritũ deſcribit, (*) nec tamen ullã in eo conficiendo adhibitam crucem ait. Tertullianus ſimiliter (*b*) diligentiſſime deſcribit eundem ritum, præterit tamen prorſus Crucis ſignum aut baptizatis impoſitum, aut a miniſtris delatum. Id ipſum facile eruimus ex libro eas Conſtitutiones complectente, quas *Apoſtolicas* dicimus. (*c*) Idem quoque merito eruimus ex *Recognitionibus* Clementis. (*d*) Quid quod is ipſe liber, qui Dionyſium Areopagitam in fronte mentitur, tametſi ritum, quo Baptiſmus peragitur, minute deſcribat, Crucem tamen ex materia conſtantem omittit? An omiſiſſet, ſi per id tempus conſueviſſent Eccleſiaſtici illud in ſacris ritibus adhibere?

(*) cap. 2. §. 1.

(*a*) Acto. 8. v. 12. 38. Rurſus cap. 10. v. 47. & cap. 16. v. 15. 33.

(*) In Apolog. ol. 2. nunc 1.

(*b*) de Bapt. c. 7.

(*c*) lib. 7. cap. 37.

(*d*) lib. 3. fol. 24.

II. Verumtamen hæc nos minime terrent. Nemo unus inter Catholicos, quem ego noverim, ad tria priora ſæcula refert ritum illum, quem ſervamus, dum Eccleſias conſecramus: etenim id eorum temporum difficultas minime permittebat. (*) Ceterum ubi Eccleſiæ licuit, ritus quoſdam ad conſecrandas Eccleſias inſtituit, (*) inter quos recenſendus fortaſſe is eſt, quem reprehendis. Vetuſtum ſane eſſe, ea indicant, quæ annotamus in margine. (*) Novi equidem, putare Eivizanum (*), eum, de quo agimus, ritum indicari can. 30. *Apoſto.* iis verbis: *Si quis alterum altare fixerit*, allegareque in rem ſuam Balſamonem. Sed ego quidem opinionem hanc non multo habeo in pretio.

(*) Recole quæ dixi diſſer. 7. cap. 4. §. 2.

(*) Vide quæ tradit Bellar. *de Eccleſ. triumphan.* li. 3. ca. 5.

(*) Ex Eccleſiaſticæ, & veterum Principũ leges huc pertinent, quas allegat Gretſerus *de Cruce* to. 1. lib. 2. cap. 7. §. *diximus quid fuerit &c.* Adde ſi vis, quæ docet auctor ſermonis olim 19. *de Sanctiſ.* nunc 247. *in appendi. Auguſtini*: n. 7. Nec contemnenda ſunt, quæ Vir egregius Martene in hoc argumentum copioſe collegit to. 2.

(*) *de ritu Crucis Roma. Pontifi. præfe.* lib. 2. cap. 2.

III.

III. De Cruce in altari poſita, hic non differimus, quoniam eo de argumento nuper egimus. (*)

IV. Non video ſane, ob quam cauſam Dallæus, qui in iis ipſis, quos hic memorat libris, Dominicæ Crucis in Baptiſmi adminiſtratione mentionem factam fuiſse fatetur, (e) adeo oderit Cruces ex permanenti materia elaboratas, ut has omnino nolit in Baptiſmo aut præire, aut imponi, aut ſuſcipi, & propterea piiſſimos eos Societatis Jeſu Patres, qui de collo nuper Baptizatorum Crucem ſuſpenderunt, reprehendat, diſtringatque. (*) An vetat Chriſti ſignum palam geſtari, illorum *Amuletorum* loco, quæ antea *in Paganiſmo* delata fuerant a neophytis? Profecto horum pietatem non improbarent Chryſoſtomus, & Nyſſenus, quorum cum jam verba retulerim, (*) hic ab iis referendis abſtineo. Sed age: nemo tuos neophytos cogit, ut Crucem e collo ſuſpenſam deferant, immo nemo ſacros miniſtros compellit, ut in Baptiſmi adminiſtratione *Crucem cum candelis, & thuribulo* deferant. Id ſi fiat, nemo, ut arbitror, improbabit; tamen nullum reperi Rituale, in quo id præcipiatur, adeo ut, tametſi Rituale Romanum a Paulo V. editum, & vetuſtum aliud Venetiis evulgatum conſuluerim, nulla ritus illius, qui tibi diſplicet, occurrat mentio. Et ſane, cur Crucem ex conſtanti aliqua materia confectam adhiberi juſſiſset Eccleſia, ſi tam crebro crucis ſignaculum in Baptiſmo adminiſtrando agi voluit? An diſcrimen intereſse vis inter Imaginem Crucis permanentem, & eam, quam tu *evanidam* vocas? An unius Chriſti ſignum eſse negas crucem, ſive ea ſolidæ alicui materiæ impreſſa ſit, ſive ſimplici manus motu formata?

V. Sed ut expreſſius videant Proteſtantes, haud ita alienos a Cruce veteres Chriſtianos fuiſse, neque a ritu illo abhorruiſse, quē odit Dallæus, ut ſcilicet ſtabilis aliqua Crux in Baptiſmi adminiſtratione adhibeatur, ea hic expendi a Lectore velim, quæ ex *Conſtitutionibus Apoſtolicis* adduxi, (*) ea quoque, quæ in margine ex Tertulliano allego (*), ea denique, quæ Vir inclitus Bonarota memoriæ prodidit; putat ſcilicet, antiquiſſimam eam eſse conſuetudinē, qua Neophito Crux tradatur. In paginæ calce ipſa Bonarotæ verba italicâ linguâ, qua ipſe

(*) cap. 2. §. 3. &c.

(e) *Atqui tres illas unguenti affuſiones, quibus Fontis Aquæ ſanctificantur σταυροειδῶς, ideſt in Crucis formam, fieri diſertè hoc ipſo in loco præcipit. Cur qui hoc Crucis evanidum in aqua ex unguento ſignum dixit, illud aliud ex metallo vel ligno, Epiſcopo prælatum tacuiſſet, ſi tum temporis præferri ſolemne erat?* pag. 783.

(*) pag. 782.

(*) ſect. 2. cap. 7. §. 8. & 9.

(*) cap. 2. §. 13.

(*) *hoc erit pompa diaboli, adverſus quam in ſignaculo fidei ejeramus ... Ceterum, nonne ejeramus, & reſcindimus ſignaculum, reſcindendo teſtationem ejus? (de ſpectacu.* cap. 24.) *Signaculum* porro, cujus hic mentio fit, procul dubio Crux eſt: num manus tantum motione formata, an ſtabilis aliqua; judicent alii.

 ſcri-

ſcripſit, expreſſa inveniet Lector. (3) Sed reliqua proſequamur, & *de Cruce pectorali* ab Epiſcopis Miſſam celebrantibus delata ſtatim agamus.

VI. Quid ſi ultro fatear, multos ritus, ſacraſque cæremonias tum adhiberi cœpiſse, cum Eccleſia glorioſior effecta eſt, auctique ſunt Crucis triumphi? Neque enim Eccleſia ullo unquam tempore teſtata eſt, ſe illos tantum ritus ſervare, quos trium priorum ſæculorũ Chriſtiani ſervaverunt. (*f*) Cur ergo illaudabile putas, quod Epiſcopus præſertī ſi Miſsā celebraturus, Crucē ex metallo formatam in pectore geſtet? Quia, inquis, hujuſce ritus vetuſta exempla non habemus. Quid ſi dicam, haud vetuſtiſſimum morem illum eſse? Profecto optimus Cardinalis Bona (*g*) teſtatur, non adeo antiquum eſse morem illum, quo Epiſcopi, veluti peculiarem ſuæ dignitatis indicem, Crucem deferunt: etenim Crucis pectoralis in Veteribus Sacramentariis non occurrit mentio.

VII. Sed non propterea illaudabile eſse id evincis. Nonne in Eccleſia ea poteſtas eſt, quam *legiſlativam* appellant, ea ſcilicet, qua jus habet legum ferendarum, rituumque inſtituendorum? (*) Age itaque: recens ſit mos iſte: An continuo reprehendendus? Nihil minus. Sed minime adducor, ut putem, eum revera re-

(*f*) Procul dubio neque nos ſervamus, neque Proteſtantes ſervant eos ritus omnes, quos Tertullianus capite 3. libri *de corona* deſcribit.

(*g*) lib. 1. rerum Liturgic. cap. 24. n. 10.

(*) Vide quæ tradit Bellarmi. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 15. &c.

---

(3) (*) „ La medeſima figura, che ſcende nel Giordano, porta
„ nella mano ſiniſtra una parte di croce, la quale non rot-
„ ta, ma tutta intera ſi può vedere in alcuni Sar-
„ cofagi portati dall' Arringhio (1), e particolar-
„ mente in quello poſto alla pag. 295. (2) nel L. 2. c. 10.
„ nel mezzo del quale ſono quaſi le ſteſſe figure, ed
„ i medeſimi ſimboli del noſtro vetro; e queſta croce,
„ la quale a taluno può parere una mazza, o una
„ candela, conforme ſolevano portare i neofiti, uſciti che
„ erano dal Batteſimo, ha relazione con quelle paro-
„ le del Salvatore: *Colui che mi vuole ſeguitare, pigli la*
„ *croce ſua, e mi ſeguiti;* adattandoſi ella mirabilmen-
„ te a coloro, che ſi dovean battezzare, comecche la
„ croce, e l' immerſione ſignificano ambedue la mor-
„ te di Gesù Criſto, ſiccome l' uſcire, e il ſalire
„ dal batteſimo, ſignifica la reſurrezione.

(*) *Oſſervazioni ſopra alcuni framenti di vaſi antichi di Vetro*. Tav. 6. fig. 1. pag. 41.

(1) l. 2. c. 10. e l. 3. c. 3. pag. 425.

(2) to. 1. Si oſſervi anche il Sarcofago delineato alla pag. 293. dello ſteſſo tomo.

recentem eſse. Viſne adducam vetera exempla? Jubenti pareo. Ex Scriptore valde probato diſcimus, ſupra corpus S. Birini Epiſcopi Dorceſtrienſis repertam fuiſse Crucem *ex metallo confectam*: quæ *pectoralis* credita eſt (*b*). Narnienſes cives argenteam quandam pectoralem Crucem adhuc ſervant, & colunt, quam a S. Juvenale delatam fuiſse affirmant (*i*). Hujus generis fuiſse Crucem illam, cujus meminit Gregorius Turonicus (*k*), ex his verbis conjicimus: *Tunc extractam a pectore Crucem &c.* Num vero ſimilis Crucis mentio fiat in Teſtamento Perpetui Turonenſis Epiſcopi, (*l*) Lector judicet. Pectoralis item Crux viſa eſt Viris egregiis deſignata in Nicephori Conſtantinopolitani ad Leonem III. epiſtola his verbis: (*) *In ſignum mediatricis inter nos in Domino dilectionis, miſimus fraternæ veſtræ beatitudini Encolpion aureum, cujus una facies cryſtallum incluſam, altera picta nigello eſt, & intus habet alterum encolpion, in quo ſunt partes honorandi ligni in figura crucis poſitæ.* Cujus quidem ritus rationem hanc affert Innocentius III. [*m*] *Quia ſigno crucis auri lamina ceſſit: pro lamina, quam Pontifex ille gerebat in fronte, Pontifex iſte crucem gerit in pectore. Nam myſterium, quod in quatuor literis auri lamina continebat, in quatuor partibus forma crucis explicuit.* Aliqua ex his monitis jam indicarat Hieronymus. (*) Alia ſi cupis hujuſce ritus exempla, ea tibi præbebunt Fivizanus, (*n*) & Gretſerus, (*o*) ad quos Lectorem amando. Atque hæc quidem, & ſimilia exempla, quorum copiam Eccleſiaſtica hiſtoria ſubminiſtrat, facile oſtendunt, nec recentem eſse, nec improbandam eam conſuetudinem, qua Epiſcopi ſuper pectus argenteam, aut auream Crucem deferunt.

VIII. Huic affinis ritus, quo ſcilicet ante Pontificem, illiuſque Legatos, atque adeo ante Epiſcopos Crux defertur, auctoritatem ex iiſdem exemplis deſumere facile poteſt. Quid enim refert, utrum ante pectus geſtes, an alter ante oculos tuos Crucem deferat, ut conſpicuam ſemper habeas? Poſtulemus, quod negare poterit nemo, Crucem eſse Chriſti ſignum: ecce in quo gloriatur Epiſcopus, Legatus Pontificis, Pontifex ipſe. Poſtulemus, quod pariter negabit nemo, aſpectum Crucis, & Chriſti illi affixi ad virtutum opera nos excitare. An non laudabile eſt, præ-

(*b*) apud Surium 3. Decemb. pag. 772. tom. *6*.
(*i*) *Mon. Eccle. Cathe. Narni.* impreſ. an. 1720. pag. 320.
(k) capite 11. lib. 1. *de Gloria Martyrum.*
[*l*] pag. 1318. Operum Gregor. Turon. edict. Ruinart. *Cum cruce ſimiliter aurea, quam Mabuinus fecit, Eccleſia mea do.*
(*) Retulit Barou. an. 811. §. 43.

(*m*) De Miſt. Miſſæ lib. 1. cap. 53.

(*) epiſto. ad *Fabiol.* olim 128. in Veron. editio. *64.* n. 22. *Quod olim in lamina monſtrabatur &c.*
(*n*) lib. 2. *de ritu præfer. Crucis* Rom. Pontifi. cap. 7. &c.
(*o*) to. 1. *de Cruce* lib. 2. cap. 34.

præſentem habere, & ante oculos poſitam Crucem, & Chriſti Cruci affixi imaginem? Non puduit ſane inter Gentiles ipſos, eorumque, niſi fallimur, irriſiones, Chriſtianos milites clypeos deferre Crucis ſigno notatos, (*) & pudebit Epiſcopũ Crucẽ deferre ante pectus, aut conſpicuam ante ſe habere? Nonne præſidium noſtrum, & Dux noſter eſt Chriſtus, quem ſequimur, & in cujus Cruce omnis fortitudo & laus noſtra eſt? Sed hoc de ritu ſatis diximus. Plura de eo Fivizanus. (*)

(*) Recole tradita capite 1. §. 8.

(*) lib. 2. cap. 8. &c.

IX. Cur porro improbas, ſi Chriſma Cruce adminiſtratur? Nonne omnia, præſertim ſacra, agenda ſunt in nomine Chriſti? An vero Chriſti ſignum abeſſe debet ab iis, quæ in Chriſti nomine peraguntur?

X. Idem dic de collato epiſcopatu, atque ordine: quamquam, niſi ego fallor, tantum abeſt, ut in horum collationem ſit nuper ſtabilis Crux inducta, ut potius certum ſit, ritum illum, ſi quando vigebat, deſiiſſe, tametſi nunc non omittatur Crux manus motu formata. Sane in Epiſcopatu conferendo nulla nunc traditur Crux, quam olim fuiſſe traditam, ex eo primùm conjiciunt multi, quod vetuſtiſſimorum Epiſcoporum imagines eos Crucem manu deferentes exhibeant, veluti in argumentum receptæ poteſtatis: (*) ex eo pariter conjiciunt, quod in aliis ordinibus conferendis Crux traderetur: quod ne temere dixiſſe videantur, afferunt Chryſoſtomi monitum (p): *Crux adeſt, cum in ordine conſecrandi ſtatuimur:* Auguſtini quoque, ſive alterius cujuſpiam, cui ſit tribuendus ſermo in margine indicatus: (q) *Sacerdotes, & Levitæ per ſignum Crucis ad ſacros ordines promoventur:* afferunt pariter picturas veteres, in quibus diaconi exprimuntur Crucem manu geſtantes. Sed, ut quæ ſentio, libere enunciem; Crucem in Epiſcopatu, aliiſque ordinibus conferendis fuiſſe collatam, tam etſi non alienum a veriſimilitudine ſit, firmis tamen argumentis minime oſtenditur. Allegata Patrum monita de ſigno Crucis manibus efformato commode intelliguntur. Ea vero imago, quæ Maximianum geſtantem Crucem repræſentat, vel eum indicat *in Cruce ſpem, & gloriam* ſuam collocantẽ; vel extraordinariam quandam ſacram functionem agentem exhibet: quod dicere commode poteris de reliquis Epiſcoporum imaginibus, ſi quæ eos Crucem deferentes exhibent. Tamen Crucem tra-

(*) Vide Maximiani Ravennatis Epiſcopi imaginẽ to. 1. *vet. mon.* Ciampini tab. 21. pag. 73.

(p) homi. 55. aliàs 54. n. 4. pag. 551. to. 7. edit. Montfaucon in Matth.

(q) 19. *de Sanctis*: aliàs 247. in appendice n. 7.

tradi iis, quibus ſacrũ palliũ confertur, negari nequit: intexitur enĩ pluribus Crucibus ſacer ille amictus, qui *palliũ* appellatur, tradique, aut mittia Romano Pontifice ſolet Archiepiſcopis, & nobiliori bus quibuſdam Epiſcopis.

XI. Cur vero Crucem deferentes exprimantur in antiquis picturis Diaconi, docet Clariſ. Bonarota (r), ad quẽ Lectorem delego: oſtendit ſcilicet, id propterea fieri conſueviſſe, quia Diaconi in publicis functionibus Crucẽ ſolemniter ferebant, quod nunc ſubdiaconi faciũt.

XII. Pœnitentiam in gravi Cruce humeris delata egere viri ſanctiſſimi, atque in primis Carolus Borromeus, (*) cur eos reprehendis? An Crux voluptatis eſt index, ut ferri nequeat, dum agitur pœnitentia, aut vetuit Dominus, eos qui *abnegant ſemetipſos*, deque ſuis criminibus dolent, *deferre Crucem*? Nonne ſanctiſſimo illi Epiſcopo Crucem in publica ſupplicatione, divinæ pietatis implorandæ cauſà inſtituta, deferenti convenire plane videntur ea Gregorii verba (ſ)? *Perfectus prædicator, ut exemplum daret abſtinentiæ, crucem portabat in corpore, & quia in ſe trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde...*

XIII. Jubet porro Dallæus nos oſtendere, vetuſtiſſimam (longe aliter, ac ſibi perſuadeat) (t) & ad priora ipſa Eccleſiæ ſecula referendam eſse conſuetudinem illam, qua in juramentis firmandis *Crucem*, Chriſti nomine intelligimus. Sed quis neceſſarium id eſse putet, poſtquam oſtendi, *Crucis* nomine jam dudum ſignificatum fuiſse Chriſtum, & Crucis ſignum in ſacris ipſis ritibus fuiſse adhibitum? Tamen ſi quis obſequi hac ipſa in re adverſariis velit, & valde antiquum oſtendere cupiat morem hunc, eam hic afferat edictionẽ, quæ in Gratiani decreto, Pontifici Pio tribuitur: (*) *Qui pejerat, ſe in manu Epiſcopi, aut in Cruce conſecrata tres annos pœniteat: ſi vero in Cruce non conſecrata, annum unum &c.* Quod quidẽ decretũ tametſi ego Pio I. tribuere non audeã, minime tamen dubito, quin vetuſtiſſimum illud ſit & in Eccleſia celebratiſſimum; allegant enim illud Beda (u), Burcardus quoque (x), Juo [y], & liber ille, qui *exceptum ex Patrum dictis* inſcribitur, & Gregorio III. a multis adſcribitur. (z) Enim vero eum, de quo agimus, morem, fuiſſe in Eccleſia ſervatum, teſtatur Anaſtaſius, dum hæc de Pelagio Romano Pontifice affirmat: (a) *Tenens Evangelia, & Crucem Domini.... ſatisfecit uncto populo*

(r) *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti &c.* tav. 9. fig. 1. 2. pag. 67., & 68.

(*) Dalæ. cap. 13. pag. 787.

(ſ) homi. 32. in Evan. in 16. Matth. caput.

(t) pag. 730.

(*) 22. qu. 5. cap. 2. ſeu Qui pejerat.

(u) *de peccato. remed.* cap. 3. & 9.

(x) in decreto li. 12. 5.

(y) par. 12. cap. 62.

(z) cap. 7. Extat tom. 6. Biblioth. SS. PP. Par. pag. 401.

(a) *in vita Pelagii.*

lo &c. Idem tradit Sigibertus (*). Adde Acta S. Maximi Martyris (*). Num Tertullianus hunc morem aliquando innuat, ut mihi quidem videtur, judicet Lector (*).

(*) ad an. 551.
(*) Conſule locum illum quem §. 5. in margine adduxi.
(*) Act. 4. Nicæ. 2. pag. 879. Quæ quidem eadem ipſa ſunt, quæ habes to. 3. Sirmondi pag. 365. & 369.

XIV. Quum Proceſſiones publicas agere Eccleſiæ licuit, ſine Crucibus minime egit; ea de re hic non diſſero, quoniam alibi nonnulla eo de argumento attigi, quæ præſenti inſtituto ſatis fortaſse eſse poterunt. Si quis plura cupiat ea conſulat, quæ Gretſerus copioſe collegit. (*b*) Ego ſane non video, cur abigi a publicis ſupplicationibus debeat Chriſti Crux, ſi ab ea allici debemus ad ſpem, deduci ad pœnitentiam, & ad reliquas Chriſtianas virtutes, quas fere perquirimus, dum ſupplicationes publicas agimus.

(*b*) to. 1. *de Cruce* li. 2. cap. 30. pag. 231. edit. ratiſ.

XV. At hæc Dallæo indulgeamus. Quis, niſi plane excors, indulgere illi poterit, quod reprehendat: *ſi Fidelibus periculoſe ægrotantibus Crucem præsbyter ante oculos conſtituat, & in eã jubeat aſſidue intueri?* An non Crucis aſpectus animos nobis ingerit, ſpẽque excitat noſtrã, & ad patientiã accendit? Si Polemonis imago ad bonã frugẽ perditos excitare potuit (*), Chriſti imago (ideoque etiã ſignũ) id minime valebit conſequi? (*) Sed Calviniſtica pietas hæc reprobet, quantum ei libet, ego ſane vetuſta Martyrum exempla ſequar, qui ad Crucis ſignum in magnis periculis confugiebant, (*) (nihil vero refert nũ manibus efformatum, an conſtanti materiæ impreſſum ſit Crucis ſignum, neque omnino materia, ſed ſignificatio Crucis ſignum nobile efficit, & nobis utile) nunquam vero, gravius quàm in morte periculum Chriſtiano iminet; vetuſtique Scriptoris monitis obſequar, qui graviter ægrotanti Crucem exhiberi jubet. Conſule, obſecro, locum eum, quem annotamus in margine (*c*), dum nos ad alia properamus.

(*) Vide quæ diximus differ. 9. cap. 76. §. 7.
(*) Vide quæ allegantur *ex Vita S. Maria Ægyptiacæ*, & ex epiſto. Germ. Conſtant. *ad Tho. Epiſ. Claudia.* actione 4. Nicæ. 2. pag. 927., & 954. to. 8. Conci. &c.
(*) ſect. 4. cap. 1. §. 11., & 12. &c.
(*c*) *de Viſitat. infirm.* lib. 2. cap. 3. in appen. to. 6. Oper. Aug.

XVI. Dallæo diſplicet, quod Crucem in funeribus deferimus. Cur obſecro? Eo ritu nos ſejungimus a rucis inimicis, iiſque, qui ſpem in Chriſti paſſione non habent, ſignificamus ducem noſtrum eſse Chriſtum, a quo neque dum vivimus, neque dum morimur, immo ne poſt mortem quidem, disjungi volumus: *Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus*; (*) *Domini*, inquam, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta* [*d*]: *eumque vitam noſtram, & reſurrectionem* eſse, & futurum eſſe, teſtatum facimus. An hæc diſplicere illi poterunt, qui per Chriſti Crucem ſalvum ſe prædicat? Sed hæc viderint hoſtes noſtri.

(*) Rom. 14. 8.
(*d*) Heb. 12. 2.

CAP.

CAP. IV.

De adoratione Crucis imaginibus adhibita.

Num priores Chriſtiani Dominicæ Crucis imagines coluerint? Tertulliani teſtimonium, quo ad vindicandum cultum Crucis imagini adhibitum utitur Bellarminus, expendimus.

I. ADeo ſibi in animum induxit Dallæus, nullum exſtare monumentum, quo probare Catholici poſſint, tribus ipſis prioribus Eccleſiæ ſeculis cultam fuiſſe a Fidelibus Crucem, ut de victoria, uti illi quidem videtur, certus, his verbis Catholicos laceſcat. (a) *Nemo verum certumque ex libris ante a. D. 300. ſcriptis de adorata Cruce teſtimonium attulit. Nullum ergo extare confitendum eſt, & ſi quis contra tendat, prodeat, & quod tam multos, tamque eruditos homines latuit, edat ipſe, ſi poteſt. Nos interim ex hoc omnium, qui extant, auctorum, ante a. D. 300. denatorum conſtanti de cultis apud noſtros Crucis ſignis ſilentio, concludamus, non eſſe revera culta, quæ in tam multis de ſola religione conſcriptis libris nuſquam culta fuiſſe dicuntur &c.*

II. At quem dicta hæc moveant? Alibi dixi, ad vetuſtatem ritus alicujus oſtendendam non eſſe opus, ut ex tribus prioribus ſæculis teſtimonia proferantur: (*) periere enim plurima monumenta, quæ ſi haberemus, hujuſce ritus vetuſtas facile evinceretur. Ceterum Tertulliani teſtimonio cultum Crucis imagini adhibitum oſtendi poſſe, putat Bellarminus, cum hæc ait: (b) Tertullianus in Apologet. cap. 16. dicit, *Chriſtianos appellatos Religioſos Crucis: neque ipſe hoc negat eſſe verum.* Alibi etiam (c) idem argumentum innuit.

(a) *de Religioſi cultus objecto* lib. 5. cap. 3. pag. 724.

[*] diſſer. 10. capi. 6. §. 5.

(b) *de imagi. Sanct.* lib. 2. cap. 12. §. *Tertullianus.*

(c) cap. 28. §. *Tertium argumentum.*

III. Se his tamen vinci non ſinit Dallæus, contenditque teſtimonio hoc Tertulliani abuti in primis Bellarminum, tum Catholicos alios, ſi qui ad aſſeverandam antiquitatem cultus Cruci adhibiti illud afferunt (*). Plurimam porro operam ad id oſtendendum impendit idem Dallæus, cujus verba coarctabo, ut potero, ita tamen ut nihil illis demam virium aut ponderis. Sic itaque fere diſputat. Tertullianus quatuor opiniones de Chriſtianorum ritibus in vulgus ſparſas refert, & eas falſas eſſe ait, & in adverſarios ipſos, nempe Idololatras, repercuti, ſeu retorqueri eas poſſe monet, adeo ut non Chriſtiani, ſed Idololatræ eos ritus ſequerentur, de quibus Chriſtianos ipſi accuſabant; tum demum clare perſpicueque deſcribit noſtræ Fidei dogmata & ritus. Audite, num vera eloquamur. Hæ erant Gentilium accuſationes. Coli a Chriſtianis veluti Deum caput aſini: (d) coli Crucem: (e) coli Solem: (f) coli Onochoetem, ſeu Deum aſininis auribus præditum. (g) Hæc omnia falſa eſſe ait Tertullianus cap. 15. *Quid ergo*, inquiens, *colunt*, *qui talia non colunt? jam quidem intelligi ſubjacet veritatis eſſe cultores, qui mendacii non ſint: nec errare amplius in eo, in quo erraſſe ſe recognoſcendo ceſſaverint*. Atque ad eas quidem criminationes clarius repellendas, oſtendendumque quàm immerito de his accuſarentur Chriſtiani, ſe omnem noſtræ fidei, rituumque rationem expoſiturum eſſe pollicetur. *Hoc prius capite, & omnem hic ſacramenti noſtri ordinem haurite, repercuſſis ante tamen opinionibus falſis*. Si ergo falſas has opiniones eſſe ait, immo eas repercuti poſſe in Idololatras, non modo erat falſa ea opinio, quæ cenſebat a Chriſtianis caput Aſini coli, ea quoque, quæ cenſebat Solem ab iis coli, ea denique, quæ illorum Deum aſininis auribus præditum deſcribebat, verum etiam ea erat falſa, quæ cenſebat, coli a Chriſtianis Crucem: id enim declarant voces illæ indefinitæ, ideoque univerſales: *repercuſſis ante opinionibus falſis*; & re vera non modo repercutit, ſeu retorquet in adverſarios ceteras accuſationes, verum etiam eam repercutit, ſeu retorquet, quæ de Cruce Chriſtianis culta ſparſa erat in vulgus (*): *Diximus, originem deorum veſtrorum a plaſtis de cruce induci; ſed & victorias adoratis, cum in tropæis Cruces inteſtinæ ſint tropæorum. Religio tota caſtrenſis ſigna veneratur,* ſigna

(*) Utitur ſane eo teſtimonio Gretſerus to. 1. lib. 2. *de Cruce* cap. 2. & to. 3. *de Cruce* lib. 4. cap. 1.

(d) *Somniaſtis caput aſininum eſſe Deum noſtrum &c.*

(e) *Sed & qui Crucis nos religioſos putat &c.*

(f) *Alii plane humanius Solem credunt deum noſtrum &c.*

(g) *Deus Chriſtianorum Onochoetes &c.*

(*) cap. 16.

ſigna jurat, ſigna omnibus deis præponit. Omnes illi imaginum ſuggeſtus inſignes monilia crucum ſunt: ſiphara illa vexillorum & cantabrorum, ſtolæ crucum ſunt. Laudo diligentiam, noluiſtis nudas & incultas cruces conſecrare. Id declarat quoque verborum, & ſententiarum nexus: (*b*) „ *uno* enim *eodemque ſpiritu continuans ſic* „ *quoque in Paganos retorquet*, ſed & qui Crucis non re- „ ligioſos putat, conſecraneus erit noſter. *Particula* „ *ET bujus cum ſuperiore orationis fibula, oſtendit hunc, qui* „ *nobis Crucis religionem imputat, ejuſdem fuiſſe Tertullia-* „ *no cenſus cum eo, qui Aſini caput objectabat; plane ac ſi* „ *diceret*. Conſecraneus vero noſter non is modo erit, „ qui Aſini caput a nobis coli ſomniat (*i*), ſed is quo- „ que, qui Crucem a nobis adorari ſibi fingit. „ Ad hæc: judicium ferens Tertullianus de quatuor his opinionibus, Chriſtianis temere adſcriptis, eam, quæ Solis cultum illis tribuebat, humaniorem, & veriſimiliorem vocat, tametſi falſam. *Alii plane humanius, & veriſimilius Solem credunt Deum noſtrum &c. An humanius, & veriſimilius* de Chriſtianis judicaſſent Gentiles, cum Solis cultores eoſdem Chriſtianos deſcribebant, ſi Crucis cultores eoſdem Chriſtianos eſſe noverat Tertullianus? Humaniſſime tum, & veriſimillime locutos eos fuiſſe dixiſset, cum Crucis cultores eoſdem Chriſtianos appellaſſent. Atqui id apertiſſime negat Tertullianus, & tantum ait, eos humanius & veriſimilius locutos fuiſſe, qui Solis cultores Chriſtianos eſſe affirmaverant.

(*b*) Dallæ. pag. 572.

(*i*) *Hoc forſitan improbamur, quod inter cultores omnium pecudũ, beſtiarumque, aſinarii tantum ſumus*: (cap. 16. Tertul.) aſinarii, inquam, opinione veſtra, non re.

IV. Sed quis illud omiſerit, quod Pontificii ſe minime advertiſſe oſtendunt, ſed tamen notat ingenioſe Dallæus? nimirum minime fateri Tertullianum, nos Crucis Religioſos eſſe, ſed tantum a Gentilium vulgo putari: *Sed & qui Crucis nos religioſos putat:* & hos quidem (putantes ſcilicet Crucem a Chriſtianis coli) *conſecraneos* appellat: *conſecraneos*, inquam, non re ipſa, (nam Chriſtiani Cruces non colebant), ſed opinione vulgi putantis Cruces a Chriſtiani coli, quas tamen Gentiles colerent in Pallade Attica &c. Hæc porro Tertulliani meta eſt, ut accuſationes a Gentilibus in Chriſtianos intortas, in ipſos repercutiat, & retorqueat, non ut ritus noſtros exponat. Quod quidem eo etiam exemplo conſtat, quod nobis præbet opus *ad Nationes*: hoc enim Apologetici rudimentum quoddam eſt &

veluti prima editio; in eo quippe non aliud fere agit, niſi ut accuſationes Gentilium in Chriſtianos, in eoſdem Gentiles retorqueat & repercutiat. *Sed quid ego defendam*, ait (*), *profeſſus interim Confeſſionem temporalem omnium in vobis ex pari transferendorum*. „ Clare ſignificat (inquit Dallæus), (*) ſe hoc „ loco non id agere, ut defendat, quæ ipſe de his ſentiat; quæ Pagani de noſtrorum cultu opinabantur & „ objectabant: ſed ut ea in Paganos transferat & re- „ percutiat..... Plane ita ſe geſſit in Apologetico, „ ubi ſatis habens iſtarum opinionum vanitatem uno „ verbo denotare, cum eas initio ſtatim *falſas* vocat, „ de cetero in hoc uno laborat, ut demonſtret, Paga- „ nos ea, quæ in noſtros conjiciebant, ipſos factitare.

(*) lib. 1. *ad Nationes* cap. 11.

(*) pag. 754.

V. Itaque, ſi quærat quiſpiam, quiſnam verborum illorum, quibus Bellarminus & reliqui Pontificii nituntur, ſit ſenſus, hunc eſſe dicite: Vos putatis a nobis coli Crucem. Conſecranei itaque (veſtra quidem ſententia) noſtri eritis; etenim procul dubio Cruces colitis, Palladem nempe Atticam &c. Hinc non eſſe, ſed futuros eſſe Chriſtianorum conſecraneos Gentiles dixit, ſi revera Chriſtiani colerent Crucem, uti Gentiles Palladem Atticam & reliqua Numina ibi deſcripta colebant. Ceterum conſecranei revera non erant Gentilium Chriſtiani, niſi, quod jam diximus, *ſuppoſitione*, & opinione eorundem Gentilium.

VI. Huic argumentationi robur ex eo addunt nonnulli, quod exponens Tertullianus Chriſtianorum ſententias & ritus, plane ſilet adhibitum Cruci cultum; tametſi valde aptus illius commemorandi eſſet locus. Lege, obſecro, præſertim ea quæ cap. 21. tradit; in quo quidem, ſi Pontificiis credimus, ſigni ipſius Crucis meminit: *Neque de ipſo ſignaculo corporis.... cum Judæis agimus*: quaſi diceret, Crucis ſigno a Judæis, (inter quos, veſtro quidem judicio, recenſemur) plane diſcriminamur. An Crucis cultum omiſiſſet, qui Crucis ſignum adeo extulit, ut per illud nos diſcriminari a Judæis doceat?

VII. Atque ex his quidem videat Lector, quantam operã Proteſtantes impendant, ut Tertulliani teſtimonium nobis eripiant. An non aliquã nos quoque impendemus, ut Catholicis illud reſtituamus? Pertentemus id ſane, nec demus ſtatim hoſtibus noſtris manus victas: atque in primis afferre libet ipſa Tertulliani verba, quę quidẽ ad hunc modũ ſe ha-

habent. *Qui Crucis nos religioſos putat, conſecraneus noſter erit, cum lignum aliquod propitiatur: viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem ſit; viderit forma, dum id ipſum dei corpus ſit: & tamen quanto diſtinguitur a Crucis ſtipite Pallas Attica* (k) *& Ceres farrea,* (l) *quæ ſine effigie rudi palo, & informi ligno proſtat? Pars Crucis eſt omne robur, quod erecta ſtatione defigitur. Nos ſi forte integrum, & totum Deum colimus. Diximus originem veſtrorum deorum a plaſtis de Cruce induci* (m), *ſed & victorias adoratis, cum in tropæis cruces inteſtina ſint tropæorum* (n). *Religio tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus deis præponit; omnes illi imaginum ſuggeſtus inſignes monilia Crucum ſunt. Syphara illa vexillorum, & cantabrorum ſtolæ Crucum ſunt: laudo diligentiam: noluiſtis nudas, & incultas Cruces conſecrare.* Tertullianus nullo prorſus in loco has omnes quatuor opiniones falſas eſſe affirmat: ſed tantum ait, velle ſe exponere Chriſtianorum ſententias, poſtquam accuſationes & opiniones falſas repuliſſet: *Hoc prius capite, & omnem hic ſacramenti noſtri ordinem haurite, repercuſſis ante tamen opinionibus falſis;* id eſt iis, quæ falſæ ſunt; Tum ſtatim calumniam refert, qua fingebatur caput Aſini a nobis coli. *Nam & quidem ſomniaſtis caput aſininum eſſe Deum noſtrum &c.* Et hanc quidem calumniam primum quidem vehementer repellit, mendacii redarguens Cornelium Tacitum, (o) ex quo fortaſſe manavit; tum eam in accuſatores retorquet (p): dein accuſationem alteram aggreditur, deſumptam nempe ex Crucis cultu. Hanc autem accuſationem ita excipit, ut neque aperte concedat, neque neget a nobis coli Crucem, ſed tantum ejuſdem cultus participes eſſe moneat Gentiles, dum Palladem Atticam, & reliqua jam enumerata Numina colunt, quæ procul dubio portiones ſunt Crucis, non Crux integra: quam ipſam tamen integram aliquo vero ſenſu a Chriſtianis coli, fateri videtur, dum hæc ait: *Nos ſi forte;* (q) *integrum, & totum Deum colimus:* ideſt quum eam colimus, ſeu quoties illam colere libet, non dimidiatum deum colimus, ut vos facitis, quum Palladem atticam, & ſimilia numina colitis; *ſed integrum, ac totum: Deum,* inquam; confeſſione ipſa veſtra, qui non modo Deos facitis Cruces integras, ſed illius partes, & truncos; & re ipſa,

quip-

(k) Vide illius formam apud Greſerū to. 1. *de Cruce* lib. 2. cap. 65. editionis Ingolſtadii, etenim in Ratiſbonenſi, Bibliopolæ negligentiâ, forma hæc, & nonnullæ periodi deſunt.

(l) de Cerere farrea conſule quæ tradit idem Gretſerus: ibidem lib. 1. cap. 52. Ceteri legunt *Pharia*. In editione tamen Baſileenſi legitur utique *farrea*.

(m) Horum formam exhibet idem Gretſerus ibidem.

(n) Reſpicit ad ea, quæ capite 12. dixerat: *quod ſimulacrum non prius argilla deformat, Cruci, & ſtipiti ſuperſtructa &c.*

(o) *Mendaciorum loquaciſſimus.*

(p) *Vos tamen non negabitis & jumenta omnia, & totos cantherios cum ſua epona coli a vobis.*

(q) ſupple. *colimus Crucem.*

quippe Deum *verum*, *ac totum* [Chriſtum nempe) Cruce repræſentatum colimus.

VIII. Tacite itaque fatetur, uti diximus, aliquo vero ſenſu coli a Chriſtianis Crucem. Ideo vero id non aperte fatetur, ne putarentur Chriſtiani eodem modo colere Crucem, ac ſimulacra ſua Gentiles colebant, qui cultum ſimulacris ipſis ferebant: neve putarent Cruces omnes a nobis coli, cum revera non omnes colantur a nobis, ſed ea tantum colatur, quæ Chriſtum repræſentat. Hinc Origenes crucifixos a nobis coli aperte negat (r), Chriſtum tantum Cruci affixum a nobis coli contendens. Vox itaque illa *Crucis* (ſ) indefinite accipitur, id eſt quatenus ſignificat Cruces omnes, ſeu, ſi vis, Crucem generatim acceptam: quam quidem nos, ut crebro dixi, non colimus, cum tantum Dominicam colamus; de qua quidem nullum ſermonem habet tum Tertullianus. Rectiſſime vero retorquet in Gentiles accuſationem, qui mille Crucum genera adorabant; Palladem atticam &c.

(r) lib. 2. *contra Celſum* n. 47. pag. 422. to. 1. edit. Patrum S. Mauri.

(ſ) *qui Crucis nos religioſos putat &c.*

IX. Neque vero neceſſe eſt, ut eum des Tertulliani verbis ſenſum, quem illis Dallæus dat. Commode enim particula *ET* (t) ita ſermonem nectit, ut hunc ſenſum habeat: Sed & is, qui nobis Crucis cultum objicit, in eundem incidit (ſicut incidit in beſtiarum cultum is, qui a nobis Aſini caput coli temere ait: (u)) Etenim Gentilium quidem ſententia *lignum aliquid* propitiatur; hinc Palladi Atticæ ſupplicat &c.

(t) *ſed & qui Crucis nos religioſos putat &c.*

(u) *Vos tamen non negabitis & jumenta &c.*

X. Cum porro *veriſimilius*, *& humanius* eos locutos fuiſſe inquit, qui Solem a nobis coli conſueviſſe dicebant, eos reſpicit, qui caput Aſini deum noſtrum eſſe, & aſininis auribus, & reliquo deformi, brutoque corpore deſcribi, efformarique a nobis ajebant. His veriſimilius, & humanius ii loquebantur, qui Solem a nobis coli aſſeverabant, præſertim cum falſa hæc perſuaſio ex eo laudabili Chriſtianorum ritu, quem ſervabant Chriſtiani, dum ad orientem converſi orabant, originem deſumpſiſſet. Id non diſſimulat Tertullianus, cum hæc ait: *Denique inde ſuſpicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem precari.*

XI. Sed Tertullianus (inquis) non fatetur id, quod Gentiles iis objiciebant; nempe Crucem ab iis coli, ſed tantum ait id dici a Gentilibus: *qui Crucis nos religioſos putat*. Jam dixi: Tertullianum nec palam

id

id fateri, quod de Cruce culta objiciebatur a Gentilibus, nec plane id rejicere. Hujus conſilii cauſas nuper expoſui (*). Hic eas recolat Lector. Neque vero ea, quæ dixi, & ad quæ Lectorem delego, ab iis impetuntur, quæ ex Dallæo deinceps retuli. Jam reliqua proſequamur.

(*) §. 7. & 8.

XII. Capite 21. quod ab aliquibus allegatur, præterit, fateor, Tertullianus cultum adhibitum Cruci. At quot etiam ſilentio premit, quæ ipſe quoque a Chriſtianis obſervari fatetur? Ubinam, ſive capite 21. *Apologetici*, ſive II. libri *ad nationes*, (ubi noſtra dogmata & ritus attingit (x)) ſive etiam cap. 3. libri *de corona*, in quo exactius ſeriem noſtrorum rituum recenſet: ubinam, inquam, id habes, quod alibi inculcat de manibus a Chriſtianis in modum Crucis expanſis, dum orarent? Tamen id indicat capite 30. Apologetici, (y) & apertiſſime alibi tradit? (z) Quod mirum non eſt: etenim apertiſſime fatetur ipſe non omnes ritus a ſe fuiſſe recenſitos, dum *alias diſciplinas* a ſe prætermiſſas fuiſſe teſtatur. (a)

(x) *Ordo ſacramenti*, quem ſe expoſiturũ promiſerat Tertullianus, Chriſti divinitatem, & temporalem nativitatẽ, exiſtentiam quoque bonorum, & malorum angelorum videtur tantum reſpicere. Conſule cap. 21. & 22. *Apolo.*

(y) *illuc ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis . . . oramus . . . ſic ritu nos ad Deum expanſos &c.*

(z) in lib. *de Oratione* cap. 11. *nos vero non attollimus tantum, ſed etiam expandimus, e Dominica paſſione modulatum, & orantes confitemur Chriſto.*

(a) *Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum &c. de Corona* cap. 3.

XIII. Si ita eſt [reponet hic quiſpiam], non admodum multas ad id quod agimus, oſtendendum vires habet teſtimonium illud. Nec id aſſerere nec tamen animoſe negare audeo. Lector ea, quæ dixi, expendat; Tertullianum ipſum conſulat, & aliqua fortaſſe inveniet, quibus Bellarmini, & Gretſeri explicatio firmius comprobetur. Me ſane terruit horum verborum obſcuritas, cujus cauſa eveniſſe arbitror, ut acutulus quidam, ut ſibi videbatur, e Proteſtantibus diceret, non admodum multas vires collocari poſſe a Pontificiis in teſtimonio illo, cui commode (hujus quidem ſententia) adhiberi poterat hæc explicatio. Tunc cum eo, qui nos Crucis adoratores arbitratur, plane conveniemus, quum oſtendet, propitiari poſſe lignum: quod Chriſtiani procul dubio negant; quippe in Deo tantum ſpem collocant, & ab illo propitiationem exſpectant. Quæ quidem explicatio facile, ſi vis, eludetur, ſed tamen iis, qui Pontificiis obſiſtunt, ſatis erit, ne Bellarmini argumentationi acquieſcant. Hos ipſos non modo ad ea delegamus, quæ deinceps dicturi ſumus, verum etiam ad auctoritatem eorum, qui ceteroqui nobis adverſi, fatentur tamen Tertullianum antiquitati cultus Cruci adhibiti haud obſcure ſuffragari (b).

(b) Vide quæ tradit Gretſerus to. 1. *de Cruce*: lib. 2. cap. 2. §. *Nec diffitentur*.

CAP.

CAP. V.

Expenditur aliud Bellarmini argumentum ad ſtatuendam antiquitatem cultus delati imagini Crucis.

I. PUtavit aliquando Bellarminus, ad ſtatuendam antiquitatem cultus Crucis imagini adhibiti, afferri rectiſſime poſſe vetuſtiſſimam Gentilium accuſationem, qua ſcilicet Crucis cultores traducebamur. Ea enim ipſa accuſatio, quam refellit Minucius, palam indicat a vetuſtiſſimo jam tempore Crucem a nobis coli. *Minucius Fælix* (inquit Bellarminus) (a) *in Octavio reſpondet Gentilibus, objicientibus adorationem Crucis .... Interim ex objectione conſtat, Crucem aliquo modo honoratam a Chriſtianis .... At certe nunquam Gentilibus in mentem veniſſet, ut noſtris objicerent adorationem Crucis, niſi vidiſſent, primis illis, & Sanctiſſimis Chriſtianis Crucem ſummæ venerationi fuiſſe.* (b)

II. Incredibile dictu eſt, quam inurbane, atque adeo atrociter probationem hanc Dallæus excipiat (c). *Non modo infirmum, ſed etiam ſtultum, atque ridiculum hoc Bellarmini argumentum* appellat: „ Nam & Minu„ cius tradit (utor ipſis Dallæi verbis) auditos eſ„ ſe Paganos, qui dicerent, Chriſtianos *caput Aſini con„ ſecratum venerari*, (d) & Tertullianus ſcribit, quoſ„ dam eorum *ſomniaſſe caput Aſininum deum noſtrum „ fuiſſe*. (e) Hinc licebit ex Bellarminiana dialectica „ bene, valideque argumentari: *Ex objectione conſta„ re aſini caput aliquo modo honoratum fuiſſe a Chriſtia„ nis; nunquam enim Gentilibus in mentem venturum fuiſ„ ſet, ut noſtris objicerent adorationem aſinini capitis, „ niſi vidiſſent primis illis, & ſanctiſſimis Chriſtianis aſi„ ninum caput venerationi fuiſſe* ... Paganorum alii (pro„ ſequitur Dallæus) eodem ibidem teſte Minucio *fe„ rebant, Chriſtianos ipſius antiſtitis, ac Sacerdotis co„ lere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare natu„ ram*. (f) Hic quoque promptum erit Bellarminiano qui-

(a) *de imagini. Sancto.* lib. 2. cap. 12. §. *Tertullianus*.

(b) Idem argumentum repetit capite 28. §. *tertium argumentum*. Eo etiam utitur Petavius *de incar.* XV. 9. 4. §. *Hinc illa conficta &c.*

(c) li. 5. cap. 5. pag. 743.

(d) Minuc. 22.

(e) Tertulli. apolo. 16.

(f) Minuc. pag. 22.

„ quidem exemplo, conſtituere *primis illis, & Sanctiſ-*
„ *ſimis Chriſtianis Sacerdotum ſuorum genitalia ſummæ*
„ *venerationi fuiſſe*. Tertullianus vero (g) alios ex Paga-
„ nis *credidiſſe auctor eſt, Solem eſſe Deum noſtrum*. Bel-
„ larminus, ut liquet, *primis illis, & Sanctiſſimis Chri-*
„ *ſtianis ſummæ venerationi* fuiſſe tam ex hoc loco *Solem*
„ probabit, quàm ex illo altero, Crucem. „ Cetera ejuſdem generis, quæ Dallæus in Bellarminum intorquet, prætereo, atque illud in primis, quod ex celebratiſſimis illis Minucii verbis: *Nos Cruces non colimus &c.* ſtudioſe urget (etenim de his deinceps redibit ſermo), & in propoſita a Dallæo ſolutione conſiſto. Nimirum ipſe contendit has accuſationes, nullo prorſus fundamento fuiſſe innixas, ſed temere in vulgus ſparſas: Atque id quidem ſe edoctum ait, non modo a Tertulliano (h) has accuſationes *ſomnia* appellante, *& fabulas*; verum etiam ab ipſa Gentilium confeſſione; etenim perſuaſum erat eis, ideo vera hæc fuiſſe, quia populari ſermone ac fama vulgata erant: (i) *Nec de ipſis, niſi ſubſiſteret veritas, maxima, & varia, & honore præfanda ſagax fama loqueretur*. (k) At quam crebro mentitur fama!

(g) Apolo. cap. 16.

(h) Apolo. cap. 16.

(i) Minuc. pag. 22. in Ouzelii editio. pag. 81.

(k) Dallæ. pag. 746.

III. Tametſi mihi propoſitum nunquam fuerit, aliorum probationes tueri ac defendere, immo, quantum licuit, ſtudioſe caverim, ne alienas argumentationes in rem meam transferrem, ne ſcilicet cogerer earum vim vindicare ac ſuſtinere, me tamen cohibere non poſſum, quin in adducta Bellarmini argumentatione tantiſper immorer, oſtendamque, immerito virum egregium tam contumelioſe fuiſſe exceptum: cujus rei occaſione, de iis etiam accuſationibus dicam, quas Dallæus non attigit, ſed tamen adverſus nos intorſere Gentiles. Fateor multa ab Idololatris fuiſſe temere de noſtris ritibus effutita, atque in vulgus ſparſa; aliqua tamen extitiſſe novi, quæ fundamentum aliquod, ut ita loquar, in noſtris ritibus habebant. Exemplum perſpicuum habes in Solis cultu Chriſtianis adſcripto, de quo hæc ipſa pronuntiat Tertullianus: (l) *Denique inde ſuſpicio, quod innotuerit, nos ad Orientis regionem precari*. Ea etiam, quæ evulgata erant de libidinoſo Chriſtianorum inter ſe amore, aut nitebantur in Chriſtiana dilectione, qua ſe ſe vehementer, & mutuo proſequebantur, & in nocturnis

(l) cap. 16. Apologet.

nis eorum congregationibus *collectis ex imperitioribus & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus*; (*) aut potius in turpiſſimis ac libidinoſis conventiculis poſt ſolis occaſum a Florianis, ſive Carpocratianis in Eccleſia inſtitutis; qua de re conſulat, velim, Lector, quæ tradidere Philaſtrius (*), & Epiphanius. (*) Id vero, quod verbis his deſcripſerat Minutius [*m*]: *Ad epulas ſolemni die coeunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis. Illic poſt multas epulas, ubi convivium caluit, & inceſtæ libidinis fervor ebrietate exarſit, canis, qui candelabro nexus eſt, jactu offulæ ultra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur: ſic everſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum ſortis, & ſi non omnes operâ, conſcientiâ tamen pariter inceſti; quoniam voto univerſorum appetitur, quid accidere poteſt in actu ſingulorum*, illud indicat, quod de Gnoſticis tradit Epiphanius. (*n*)

IV. Multa etiam dixere de Infante (*) *a tyrunculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultiſque vulneribus occiſo*, cujus *ſitienter ſanguinem lamberent*, cujus *certatim membra diſpertirent*; cujus *fœderarentur hoſtia*: quę tametſi impudentiſſime traderentur, tamen ex eo prodierant, quod de Euchariſtia, ab omnibus Chriſtianis participata, auditum fuerat a Gentilibus; fortaſſe etiam ex eo prodierunt quod de Cataphrigibus, Peputianis, ſeu Quintillianis Veteres tradidere. (*o*) Ea ipſa fabula, quę de capite aſini á Chriſtianis culto circumferebatur, non prorſus temere a Gentilibus credebatur. *Hanc* (ut verbis Tertulliani (*p*) utar) *Cornelius Tacitus ſuſpicionem ejuſmodi inſeruit. Is enim in quinta hiſtoriarum ſuarum &c.* Ea ipſa impudentiſſima Chriſtianorum Dei pictura, qua ſcilicet exprimebatur ille *auribus Aſininis, altero pede ungulatus librum geſtans & togatus*, hac appoſita inſcriptione, *Deus Chriſtianorum Onocboetes*, a *quodam fruſtrandis beſtiis mercenario noxio* palam in urbe publicata fuerat, omniumque oculis propoſita, adeo ut ii, quibus minime cordi erat, hæc diligentius inquirere, facile putaverint id verum eſſe, quod tam publice propoſitum fuerat. Illud ipſum, quod verbis his refert apud Minucium Octavius: (*q*) *Alii eos ferunt ipſius antiſtitis ac Sacerdotis colere genitalia*,

[*] Minuc. pag. 72.

(*) hær. 57.

(*) hær. 27. n. 4. editio. Peta.

(*m*) pag. 89. edit. Ouze.

(*n*) Hereſi 26. n. 4. edit. Peta.

(*) pag. 88. Minu.

(*o*) Philaſtr. *de hæreſ.* cap. 49. Auguſtin. item *de hæreſ.* cap. 26. & 27. Nec prætereas quæ *de Gnoſticis* edocet Epiphanius, hær. 26. n. 5. edit. Petav. Atque huc, niſi plane fallimur, reſpicit Euſebius, dum lib. 4. *hiſ.* cap. 7. hæc ait: *His uſus miniſtris ... Damon ... gentibus a fide noſtris alienis, amplam obtrectandi & calumniãdi Evãgelii materiam ſubminiſtravit: dum ab illis primùm orta infamia, ad totius Chriſtiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum eſt, ut abſurda quadam & impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis ſpargeretur, quaſi nefario concubitu cum ſororibus & matribus miſceri, & exeſcerandis dapibus veſci ſoleremus.*

(*p*) Apologet. 16.

(*q*) pag. 85. edit. Ouzel.

lia, & quaſi parentis ſui adorare naturam, (præterquam quod paucos fortaſſe habebat aſſertores, quod videtur indicare verbis his Octavius: *Alii eos ferunt ipſius antiſtitis &c.*) ex eo prodiiſſe, viri non contemnendi ſentiunt, quod Chriſtiani peccata ſua defleturi, ante Antiſtitem ſedentem ſe proſternebant, quo ſitu poſitos cum aliquis ex Gentilibus vidiſſet, adoratores genitalium Sacerdotis Chriſtianos eſſe deſcripſit, & apud credulum vulgus fidem aſſecutus eſt, ſuſpicionem veritatis adjungente curâ illâ, ac ſtudio, quæ adhibebantur a Chriſtianis, ne coram Gentilibus ſacra ſua rituſque peragerent, & veluti profanorum aſpectu & præſentia polluerent. Id fortaſse indicat Octavius ipſe, ſtatim hæc ſubjiciens: *Neſcio an falſa, certe occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio.*

V. At age, dic obſecro, unde nam ſparſus de Cruce a Chriſtianis culta rumor increbuit? An ex Gnoſtico aliquo, an ex Carpocratiano, aut altero quopiam his ſimillimo hæretico ritum hunc uſurpante? Sed id Sancti Patres, horum hæreticorum errores deſcribentes, ſilentio non ſuppreſſiſſent. An ex hiſtorico aliquo, aut nebulone notitiam hanc acceperunt Gentiles? Affer, obſecro, hujuſce famæ ac rumoris auctores. An ſuſpicaris, ex affinitate quadã cum Judæorum ritibus, aut ceremoniis iiſdem Judæis adſcriptis proveniſſe? Hanc enim ob rem Chriſtianis adſcriptus eſt aſinini capitis cultus, quod putaretur, Hebræos, (in quorũ numero Chriſtianos recenſere conſueverant,) illud colere (*). At nemo unus ex Judæis cultum Cruci detulit, quinimo palam Crucem oderant. Hinc per Crucis ſignum perinde ac per neglectam legalium ceremoniarum obſervantiam Chriſtianos plane a Judæis diſcriminari Tertullianus affirmat: (*) *Neque de victus exceptionibus, neque de ſolemnitatibus dierum, neque de ipſo ſignaculo corporis, neque de conſortio nominis cum Judæis agimus, quod utique oporteret, ſi eidem Deo manciparemur.* Supereſt itaque, ut rumor ille de Cruce culta a Chriſtianis, ex eo provenerit, quod viſi fuerint interdum Chriſtiani ante Crucis ſignum aliquod proſtrati & veluti ſupplices; licet revera ipſi Cruci non ſupplicarent, neque illi proſternerentur, ſed Chriſto per Crucem ſignificato. Non itaque *ſtulta atque deridicula vel infirma*, quod Dallæus effutiit, ſed pro-

(*) Tertull. cap. 16. Apol. *Nos quoque, ut Judaicæ religionis propinquos, eidem ſimulacro initiari.*

(*) Ibid. cap. 21.

babilis eſt Bellarmini conjectura, præſertim cum ea, quæ adverſus Catholicos ex aliis Minutii verbis Dallæus intorquet, non invicta ſint perinde atque ipſe Dallæus putat.

VI. Sed cur, inquis *ſomnia*, & *fabulas* hæc omnia, ideoque etiam Crucis cultum Tertullianus appellat? Quia reliqua Chriſtianis objecta non a Catholicis, ſed ab iis, qui *exjerunt ex nobis*, *ſed non erant ex nobis*, prodibant: Crucem vero ita colebant Chriſtiani, ut non *ipſam* colerent, ſed Chriſtum Cruce ſignificatum. Vide quæ ad Minucii verba deinceps dicemus.

CAP. VI.

Idem argumentum proſequimur, aliiſque adductis monumentis, antiquiſſimis ipſis Eccleſiæ ſeculis cultam fuiſſe a Chriſtianis Dominicæ Crucis imaginem, atque hunc morem deinceps fuiſſe continuatum, evincimus.

I. AD vetuſtatem noſtrorum rituum vindicandam crebro allegavimus celebratiſſimam Auguſtini regulam, ex qua diſcimus, *conſuetudinem illam ex Apoſtolica traditione venire* dicendam eſſe, *quæ non invenitur in litteris eorum* (Apoſtolorum, ut puto) *neque in Conciliis poſteriorum*, & *tamen per univerſam cuſtoditur Eccleſiam*: [*] Quod autem per univerſam Eccleſiam coli Crux conſueverit, manifeſto deinceps oſtendam: affer porro Eccleſiaſticam editionem, ex qua cultus ille prodierit: quod cum facere minime poſſis, ab Apoſtolis itaque eum prodiiſſe dicendum eſt.

(*) 2. *de baptiſ. contra Donatiſ. cap.* 7. aliàs n. 12.

II. Tollit porro ſcrupulos omnes, ac dubitationem, quæ aliquorum animis inhærere poſſet, auctoritas Damaſceni: expreſſiſſime quippe nos docet, ad Apoſtolica tempora conſuetudinem hanc referendam eſſe. Ecce porro, quod dixi, Damaſceni teſtimonium. (*) *Eſt autem hæc traditio* (a) *ex illis*, *quæ in Scripturis minime expreſſæ ſunt*: *ut ea*, *qua ad orientem verſi adoramus*, NEC NON ILLA, QUA CRUCEM VENERAMUR.

(*) lib. 4. *de fide* cap. olim 17. in editio. P. Le quien. 16.

(a) *de cultu imaginibus* adhibito loquitur.

III.

III. Sed quis eam contempſerit rationem, qua Theologi laudatiſſimi utuntur, Crucem ſcilicet eſſe ſignum, & veluti characterẽ Chriſti. (b) Id plane aſſequimur ex iis quæ hoc de argumento alibi dixi (c), & rurſus dicã (d). Si ergo Chriſtum adorandũ eſſe Religio noſtra edocet, Crucem quoque adorandam eſſe eadẽ Religio noſtra naturaliter, ut ita loquar, & veluti ſponte edocebit; ita ut merito credamus, ad Crucem colendam, veluti ultro, & animo ipſo duce, impulſos fuiſſe fideles. Utitur hoc ſane argumento Leontius, quem alibi citavi: (e) indicat id quoque Concilium Romanum Stephano III. (f) Pontifice celebratum (g) his verbis: *Crucem pro Crucifixo in Chriſto adoramus, & amplectimur fideliter.* Sed hoc de argumento præter ea quæ Magnus Vir Gretſerus edocet, (h) ea recole, quæ nuper innuimus. (i)

IV. Verum, ne quis ſuſpicetur, expreſſis ipſis monumentis a tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis deductis deſtitui nos, proferre illud placet, quod ex Martyrum Actis didici. Itaque *in Actis SS. Theodoti, & ſeptem Virginum* hæc occurrunt. [k] *Rurſus ergo perterrefacti, Crucis ſignum ſuæ quiſque impreſſit fronti, & mox apparuit eis Crux illuſtris, quæ videbatur ex parte Orientali radium ignitum emittere: ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, & genibus flexis adoraverunt verſus locum, unde Crux apparuerat.* Profecto hic flexio genuum verſus locum, unde Crux apparuerat, deſcribitur; quam quidem genuum flexionem veram adorationem fuiſſe minime dubito. Neque porro diſcrimen ullum, quod ad rem præſentem faciat, intereſſe puto inter Crucem in aere apparentem, & Crucem metallo, lignove, aut materia alia conſiſtente formatam; neque enim materia qua Crux conſtat, attendi hic debet, ſed forma, ſeu repræſentatio, quæ quacunque tandem materia habeatur, eadem eſt, ideoque eundem honorem, ac cultum promeretur.

V. Neque porro ad id quod agimus, minus apta verba hæc eſſe cenſeas, quod non Crucem ipſam, ſed *verſus locum, unde Crux apparuerat*, optimi illi Chriſtiani adoraſſe dicantur. Etenim neque locum, neque Crucem ipſam *materialiter*, ut cum Scholaſticis loquar, aut revera adoraverunt illi, aut adoramus nos, ſed adoratio fertur ad Chriſtum, qui ſicut per eam Crucẽ,

quæ

(b) Eam fortaſſe innuit Tertullianus cum hæc ait: *Nos ſi forte integrum, & totum Deum colimus.*

(c) differ. 9. cap. 49.

(d) ſect. 4. cap. 2.

(e) differ. 9. cap. 49. §. 1.

[f] Appella, ſi vis IV.

(g) act. 4. pag. 485. tom. 8. Concilio.

(h) tom. 1. *de Cruce* lib. 2. cap. 65.

(i) annota. (c) & (d).

[k] n. 17. pag. 302. editio. Veron. Ruinart. Probatiſſima porro hæc Acta eſſe, Critici etiam rigidiores fatentur.

quæ tum Theodoto, & ſociis apparatuerat, ſignificabatur, ita etiam per Crucem, quæ in noſtris altaribus exponitur, & apud nos retinetur, ſignificatur; adeo ut illud ipſum adorationis, & cultus genus, quod ii detulerunt, nos quoque deferamus.

VI. Alia etiam monumenta præſto ſunt nobis, quæ, ut cum Scholaſticis loquar, *æquivalent* monumentis trium priorum ſæculorum, quatenus indicant quarto ipſo ſæculo jam pridem conſueviſſe Fideles Crucem colere. Aſterius profectò, egregius quarti ſeculi ſcriptor, teſtatum reliquit, conſueviſſe Fideles Crucem colere, neque nuper inductam, aut a paucis frequentatam eam conſuetudinem innuit; quam ob rem merito conjicimus non minus late ſparſam, quàm vetuſtam fuiſſe illam. Sed verba ipſa Aſterii jam afferamus: (*l*) *Virgo* (Euphemia) *iterum carcerem petens in pulla veſte ſola ſedet, manuſque ad cœlum extendens, Deum malorum depulſorem alloquitur. Fundente autem hac orationem, apparet ſupra caput illius ſignum, quod Chriſtianorum conſuetudine adoratur, & paſſim inſcribitur: erat autem, ut arbitror, ſymbolum pœnæ, quam illa erat ſubitura.*

[*l*] in oratio. *in S. Euphemia*: allegatur vero actio. 4. Nicæni II. pag. 859. to. 8. Con.

VII. Venio autem ad IV. ſæculum, ſtatimque oſtendo, præſtantia extare etiam num monumenta, quibus appareat, illis Eccleſiæ temporibus cultam fuiſſe a Chriſtianis Crucem. Ac plane quidem dirempta lis eſſet, ſi extra dubium poſitum foret, Carmen illud, quod *de paſſione* inſcriptum, Lactantio tribui ſolet, revera Lactantio tribuendum eſſe. Tamen illud hic referre non ab re erit: cum valde antiquum procul dubio illud ſit, & id, quod agimus, perſpicue edoceat: Sic ergo ait:

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora.

VIII. Sed quis Conſtantini exemplum contempſerit? Cultam vero ab eo Crucem haud dubie ſignificare videtur Caſſiodorus, dum hæc ait: (*) *Maximam namque culturam ſacratiſſimæ Crucis habebat tam pro iis, quæ ei proſpere provenerant ejus auxilio in præliis contra adverſarios inſtitutis, quàm pro indicio, quod ei videbatur oſtenſum:* quæ quidem verba ex Sozomeno ſumta in ipſo Sozomeno conſule (*).

(*) *in triparti.* lib. 1. cap. 9.

(*) lib. 1. cap. 8. *crucem enim divinam maximo cultu veneratus eſt &c.*

IX.

IX. Atqui Julianus ille, qui *Apoſtata* dictus eſt, a Conſtantini temporibus parum procul dubio abfuit. Eam tamen, de qua agimus, conſuetudinem palam innuit: quippe in eo opere, quod contra Chriſtianos edidit, (m) ſic eoſdem Chriſtianos acerbiſſime diſtrinxit. *Et o miſeri homines! quum ſerventur arma, quæ Magnus demiſit Jupiter, hoc eſt pater Martis, pignore dato, non verbo, ſed re, quod civitatem noſtram perpetuo protecturus ſit, ceſſatis adorare, & colere? & interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domus pingentes.*

(m) ex Cyrillo libro ſexto n. 5.

X. Athanaſius, ſeu alius, quiſquis eſt auctor *quæſtionum ad Antiochum*, eundem ritum indicat. Lege obſecro caput 39., idque quod dicimus, ſe ſe tibi offeret.

XI. Digniſſimum quoque, quod hic memoremus, id eſt, quod Prudentius (n) de veneratione a Principibus ipſis Cruci adhibita his verſibus tradit:

jam purpura ſupplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Chriſti,
Vexillumque Crucis ſummus dominator adorat.

(n) in Apotheoſi v. 126. poematis tertii.

XII. Quantum autem obſequii a cunctis quinto ipſo ſeculo Crux obtineret, diſcimus his Theodoreti verbis: (o) *Græci, & Romani, & Barbari crucifixum profitentes Deum, Crucisque ſignum venerantes.*

(o) ſub finem ſermonis ſexti *contra Græcos.*

XIII. Pluribus de Chriſti Cruce agit Sedulius (p): mihi ſatis ſit duos hos eligere verſus:

Neve quis ignoret ſpeciem Crucis eſſe colendam,
Quæ Dominum portavit ovans ratione potenti &c.

(p) carminum libro V. ſub titulo *de ſalutifera Crucis quadripartita poſitione.*

XIV. Atque hunc quidem morem in Eccleſiaſtica officia ita eſſe inductum, ut Fideles omnes, ideoque primum quidem Clerus, tum deinceps populus Crucem ſolemniter adorarent, ex multis quidem Sacramentorum libris facile conſtabit, ſed paucos proferre libet. Liber *Sacramentorum* Gelaſio ab Optimo Cardinale Thomaſio adſcriptus hæc habet: (q) *Venit Sacerdos ante altare adorans Crucem Domini, & oſculans... His omnibus expletis, adorant omnes Sanctam Crucem, & communicant.*

(q) lib. 1. in officio fer. VI. pag. 76.

XV. In eo Sacramentorum Gregorii Magni libro, quem Hugo Menardus edidit, hæc in rem, de qua agimus, præcipiuntur: (r) *Poſt orationes præparatur Crux ante*

(r) feria VI. Paraſceve: pag. 69. editio. Pariſi. 1642.

ante altare, interpoſito ſpatio inter ipſam, & altare ſuſtentata hic inde a duobus acolythis. Poſito ante eam Oratorio venit Pontifex, adoratam deoſculatur Crucem. Deinde Epiſcopi, Presbyteri, diaconi, & ceteri per ordinem, deinde populus. Pontifex vero redit in ſedem, uſque dum omnes ſalutent. Quem quidem morem in Eccleſiis omnibus fuiſſe ſervatum, præter ea, quæ adduxi, præter auctoritatem Anaſtaſii Bibliothecarii id indicantis (*), Amalarii quoque, & vulgati Alcuini, aliorumque, quos capite poſtremo afferremus, eorum denique Ordinum Romanorum, quos edidit Mabillon; comprobant etiam Concilii Pariſienſis verba, quæ cum alibi allegarim, [ſ] hic rurſus adducere ſupervacaneum foret. Sane Rituales omnes, tam etſi vetuſtiſſimi, quos ego conſului, (t) aliique omnes hujus generis libri, (u) quorum verba hic deſcribere abs re foret, eandem conſuetudinem expreſſe tradunt.

XVI. Cave tamen putes, ſola Paraſceves die ritum hunc fuiſſe ſervatum. Aliis etiam ſolemnioribus Cruci dicatis diebus, Crucem publice fuiſſe adoratam, ex iis locis conſtat, quos, ut brevitati conſulam, in margine allego. (x) Atque ex his quidem palam liquet, quàm late ritus ille, ac conſuetudo jam dudum pateat.

XVII. Eam porro conſuetudinem teſtimonia alia comprobantia adduci ſi vis, facile obſequar, tibique excitabo Damaſcenum hæc ſcribentem: (y) „ Quin
„ figuram quoque pretioſæ, ac vivificæ Crucis adora-
„ mus, qualibet ex alia materia conſtructa ſit: non
„ quod materiam colamus, (hoc avertat Deus) ſed
„ figuram, velut qua Chriſtus deſignatur. Etenim
„ ipſe diſcipulos ſuos præmonens. *Tunc*, inquit, (*) *ap-*
„ *parebit ſignum Filii hominis in cælo*, Crucem nimirum
„ ſignificans. Ac proinde Reſurrectionis Chriſti nun-
„ cius mulieribus dicebat (*): *Jeſum quæritis Nazarenum*
„ *crucifixū*: & Apoſtolus: (*) *Nos autē prædicamus Chri-*
„ *ſtum crucifixum*. Multi enim Chriſti, & Jeſus ſunt;
„ & unus dumtaxat Crucifixus. Non dicit *lancea*
„ *transfixum*, ſed *Crucifixum*. Quocirca Crucis ſi-
„ gnum adorandum nobis eſt: ubi enim ſignum fuerit,
„ ibi quoque & ipſe erit. Ceterum materia, ex qua
„ conſtat figura Crucis, deſtructa forte figura, nequa-
„ quam adoranda eſt. Cuncta igitur, quæ Deo dica-

„ ta

(*) *Similiter & forma Sanctæ Crucis, quam ſe adorare omnes ubique Chriſtiani fatentur* (in præfa. ad Syn. Nicæ. II. pag. 676. to. 8. Conci.

[ſ] cap. 26. §. 4. *Ideo Sancta Mater Eccleſia toto Orbe terrarum &c.*

(t) Conſule, obſecro, quæ tradit Martene *de antiquis Eccleſ. riti.* to. 3. lib. 4. cap. 23. §. 14. & ſubſeq.

(u) Rurſus ea, quæ docet *de antiquis Monachorum ritibus* lib. 3. cap. 14. §. 25. & ſeq.

[x] Martene *de antiquis Eccleſ. ritibus* to. 3. lib. 4. cap. 34. *ad feſtum Exaltationis S. Crucis*. *Idem de antiquis Monachor. ritibus*. lib. 4. cap. 8. §. 14. & 15.

(y) cap. olim 12. in nova editio. XI. libri 4. *de fide*:

[*] Matth. 24. v. 30.

(*) Marc. 16. v. 6.

(§) 1. Cor. 1. v. 23.

„ ta conſecrataque ſunt, ita adoramus, ut cultum illo-
„ rum ad eum referamus. „

XVIII. Eundem cultum Patrum traditione fundatum teſtatur Jonas Aurelianenſis, eumque contra Claudium Taurinenſem ſtrenue propugnat. (z) Id ipſum peragit Dungalus: (a) atque ad hos quidem Theologos te delego.

XIX. Memorabile eſt autem (quod & Petavius ante me advertit (*)), pleroſque eorum, qui reliquarum ſacrarum imaginum cultum averſabantur, Crucis cultum minime improbaſſe; quam ob cauſam parum cohærenter locutos fuiſse eos, multi ex noſtris, animadverterunt. Nos alibi eo de argumento pauca diximus. [b]

XX. His ſi alia adjunxero, videbor inutilem operam inſumere: fatentur enim omnes, atque adeo adverſarii ipſi, a multis jam ſæculis ad noſtra uſque tempora morem eum perſtitiſſe, quem nunc etiam ſervamus, ut ſcilicet publico cultu, atque honore Crucem afficiamus. Si quis expreſſa monumenta, quibus eadem conſuetudo comprobetur, inſpicere cupiat, Petri Venerabilis epiſtolas, eorumque ſcripta, qui Henricianos, Petrobuſianos, waldenſes confutarunt, tum Scholaſticos conſulat, uberrimamque materiam facile inveniet.

XXII. Mirabitur porro fortaſſe aliquis, cur ego, qui minus priſca monumenta hic allegare non dubitavi, quod his quoque conſtans Eccleſiæ traditio ſatis commode declaratur, illud argumentorum genus omiſerim, quod ſummum in modum commendant Gretſerus, aliique Viri Clariſſimi, deduciturque a Crucibus illis, quas in India ſtabilivere primi fidei Chriſtianæ per eas regiones Prædicatores atque Apoſtoli. Eminet vero inter eas Cruces laudatiſſima quædam, quam Malipure a Thoma ipſo Apoſtolo fuiſſe erectam, vulgatiſſima traditio docet. Sed ſi libere proferre datur, quod ſentio, minus firma, quàm olim crederetur, ea probatio mihi viſa eſt. Ea ſane Tillemonio minime arriſit (*). Tametſi ego porro videam, diſſolvi poſſe ea argumenta, quæ ſive Dallæus (*), ſive allegatus Tillemont, ſive alii etiam, adverſus eam narrationẽ adduxere, nondum tamen mihi perſuaſi, certam eſſe opinionem eam, quæ Thomam Apoſtolum Malipure, dum Crucem coleret, occiſum putat. Hujus porro formidinis

(z) lib. 1. extat par. 1. to. 4. Biblio. Pat. col. 551. & in prolo. libri 2.

(a) pag. 169. par. 2. ejuſdem tomi.

(*) *de incarn.* li. 15. cap. 9. §. 7.

(b) differ. 10. cap. 5. §. 7., & 8.

(*) cap. 6. pag. 755.

(*) in annot. in vit. Thomæ Apoſto. anno. 4. pag. pag. 613. to. 1. hiſto. Eccleſ.

nis meæ argumenta adducerem, niſi multa eſſent, neque vererer, ne Lectori longo itinere defatigato prolixa diſquiſitione moleſtus fierem. Adeat itaque, qui hac de re inſtrui cupit, ea, quæ Clariſs. Le-brun hoc de argumento multâ cum laude diſſerit (c). Ceterum non adeo illaudabilis eſt, uti multi putant, ea opinio, quæ in India Evangelium nunciaſſe cenſet Apoſtolum Thomam; nam ut reliquos omittam, id indicatur ab hoc Paulini verſiculo (d).

Parthia Matthæum complectitur, India Thomam.

(c) to. 3. *explicatio. in liturgi.* diſſer. xi. ar. 4. pag. 180. editio. Veron.

(d) Natali xi. v. 81. Vide annota. Cla. Murato. in locum hunc.

CAP. VII.

Occurrimus quibuſdam Dallæi conjecturis adverſus antiquitatem hujuſce ritus.

I. Nunc, ne videamur adverſariorum objectiones contemnere, eas afferre libet conjecturas, ob quas a prioribus Eccleſiæ ſæculis ritum hunc arcet Dallæus. (*) En illas. *Tertullianus, dum reliquas Eccleſiaſticas traditiones recenſet, hanc præterit*; Non itaque inter ritus traditione firmatos hunc eſſe conſpexit. Ad hæc (a): *Nulli hæretici toto illo ante quartum ſeculum tempore reperiuntur, qui controverſiam Eccleſiæ de ea adoratione fecerint, cum ſecutis temporibus, quibus Crucis cultus apud Chriſtianos obtinuit, nunquam defuerint, qui eam impugnarint.* Denique (b) *Celſus acerrimus Chriſtianiſmi adverſarius, idemque Philoſophus, & quidem, ut nonnulli, non abs re, ut videtur, putant, idem cum illo Celſo, cui Lucianus ſuum Pſeudomantin inſcripſit . . Crucis cultum nunquam Chriſtianis objeciſſe reperitur in eo adverſus noſtros libello, quem ab Origene egregie confutatum habemus, ſive quod inſulſam, & inſubidam calumniã Vir eruditus, & philoſophiam profeſſus, ut par erat, contempſerit, ſive quod ejus temporibus nondum exorta eſſet illa de noſtris fabula. Celſus enim ſub Adriano (c), diu ante Tertullianum, & Minutium vixit. Utcunque ſit, ejus quidem de hoc cultu ſilentium manifeſto argumento eſt, non fuiſſe a priſcis illis Chriſtianis adoratam Crucem.*

(*) cap. 4. pag. 732.

(a) Ibidem.

(b) Dallæus pag. 747.

[c] Orig. contra Celſ. lib. 1. pag. 8.

II.

II. Sed quis hæc magni æſtimet? Non recenſet Tertullianus perpetuam Virginis Mariæ in ſervanda Virginitate conſtantiam; non recenſet baptiſmi ante rationis uſum, & aquæ infuſione collati valorem; aliaque etiam præterit, inter quæ fortaſſe eſt ipſa Spiritus Sancti Divinitas: ergo ne iſta abjicienda ad fabulas? Minime vero, fatentibus adverſariis ipſis; neque enim cuncta recenſuit Tertullianus, quæ vel ex Scriptura, vel ex traditione diſcimus, ſed tantum ſumma quædam; præſertim vero ea, quæ Chriſtum, illiuſque æternam & temporalem nativitatem reſpiciebant: quo de argumento jam diximus [*]. Quod porro ſiluit, ſi vis, Tertullianus, expreſſere Damaſcenus, & alii Patres (*).

III. Sed aliud Dallæi argumentum examinemus: in quo nullas ineſſe vires mihi plane perſuadeo. Etenim multa extant dogmata noſtra, multi etiam ritus, qui ab Hæreticis priorum ſeculorum impugnati non ſunt. An impugnata eſt Cæleſtis Pátris divinitas? an impugnata ea conſuetudo, qua nos Crucis ſigno munimus? Infirmum ſane tuum eſſe argumentum, ex eo novimus, quod ab eo ipſo tempore, quo cultam fateris Crucem, multi fluxere anni, antequam ritus ille impugnaretur; qua de re vide, quæ diximus ſectione prima. Ad poſtremum jam vertimur.

IV. Quibus Principibus imperantibus vixerit Celſus, ille acerrimus Chriſtianæ fidei hoſtis, adverſus quem egregium volumen ſcripſit Origenes, incerta res eſt: eoque de argumento conſulere Lector poterit ea, quæ Patres S. Mauri copioſe tradunt. (d) Illud ſane ex eorum monitis intelliget, minus fortaſſe antiquum eum eſſe, quam putet Dallæus. Sed hæc parum referunt. Illud ſane conſtat, quocunque tandem tempore vixerit, neque illum ritus omnes noſtros ſciviſſe, ideoque minime enumeraſſe, nobiſque objeciſſe; neque fortaſſe eum, quem Dallæus reprehendit, cultum omiſiſſe. Ut a prima propoſitione exordiar, videtur Origenes ſummam objectionum Celſi attingere, quum in limine ipſo libri primi monet (*), diſplicuiſſe Celſo originem Chriſtianæ fidei, quam *barbaram* appellat, fœdera, agapes, conventicula clandeſtina, imperium in Dæmones, alienationem ab Idololatria, & a Philoſophorum placitis & traditionibus: quin

[*] Vide dicta cap. 4. §. 12.

(*) Vide tradita cap. 6. §. 2. &c.

(d) pag. 310. to. 1.

(*) pag. 319. &c. n. 1. 2. &c.

etiam conſulere nos jubet rationem, & rationabilem ſequi Ducem (*). Calumnias quoque in Jeſum ſpargit, & in Chriſtianos, quos perditiſſimis moribus fuiſſe dicit. De eodem etiam Celſo hæc ait Origenes: (e) „ Celſus ille, qui noſtra omnia callere ſe jactitat, poſt ortum ex Virgine, Spiritus Sancti ſpecie columbæ in baptiſmo deſcenſum impugnat: „ deinde calumniatur vaticinia de noſtri Salvatoris adventu: tum regreditur ad ſtellam naſcente Jeſu, ut „ ſcriptum eſt, exortam, & ad Magos, qui ex Oriente „ puerum adoraturi venerunt.„ At pręter hęc, quot adhuc dogmata Chriſtiani profeſſi ſunt, & ritus obſervaverunt (f)? Sed age: dic tu, qui cuncta dogmata expoſita, & ritus omnes noſtros ab eo recenſitos vis, ubinam divinitatē Spiritus Sancti objecit? quod tamen dogma ſi ſciviſſet, procul dubio non omiſiſſet, quin carperet. Neque etiam ſigni Crucis meminit, quum tamen indubitata res ſit, ab ipſis Apoſtolorum temporibus conſueviſſe Fideles eo ſe munire: qua de re ſi quis dubitet, ſcrupulum omnem illi evellet, ut puto, ſubſequens ſectio.

(*) n. 9. &c.

(e) n. 40. lib. 1. pag. 357. to. 1.

(f) Conſule quæ Tertullianus, aliique Veteres tradiderunt.

§. V. Sed fortaſſe non omiſit adhibitum Cruci cultum, cum cultum Crucifixo adhibitum non omiſerit: immo hac de re vehementer Chriſtianos reprehendit (*). Propterea vero, ut puto, Crucis cultæ non meminit, quod noverat, non ad Crucem ferri honorem illum, qui in ſpeciem videbatur illi delatus, ſed ad Chriſtum aſcendere: quis enim dicet, Principem non honorari, ſive ipſe, &, ut Scholaſticorum more loquar, *immediate, & in perſona* honoretur, ſive honoretur *in imagine, & ſigno*? Non tam hebetem, Dallæ, facias velim Celſum, impium quidem, ſed tamen Philoſophum, eumque non indiſertum.

(*) n. 47. libri 2. pag. 422. to. 1.

CAP.

CAP. VIII.

Celebratiſſima quædam Minucii verba objiciuntur, & illuſtrantur.

I. AT non ita (inquiunt) eludi poſſunt ea expreſſiſſima Veterum loca, quibus edocemur, Cruces omnino non fuiſſe a Chriſtianis cultas. Porro id præ ceteris Minucius docet: etenim objicienti Chriſtianis Cæcilio Crucis cultum (*a*), hæc præciſe reſpondet Octavius Chriſtianorum partes ſuſtinens: (*b*) *Cruces nec colimus, nec optamus* (*c*). His porro verbis priſcos Fideles a relativo etiam Crucis cultu abhorruiſſe evincitur: neque enim abſolute, & præciſe negaſſet Octavius, Cruces a nobis coli, ſed dixiſſet coli quidem, ſed *relative*, cultu ſcilicet ad Chriſtum aſcendente. Ad hæc: fabulis accuſationes has in vulgus ſparſas accenſet Cæcilius ipſe: *Crucis ligna feralia* (dicens) *eorum cæremonias fabulantur*. An fabulis Crucis cultum accenſent Pontificii?

II. Hæc tamen ſubſequenti animadverſione repelle. Cruces non colebant Chriſtiani veteres ea ratione, qua Gentiles ſimulacra colebant, ita ſcilicet, ut Crucibus ipſis adhiberetur honor (*d*). Neque vero apte Cæcilio reſpondiſſet Octavius, ſe non colere Cruces *abſolute* ſed *relative*: tum quia hoc cultus genus ignotum fuiſſe videtur vulgo, cujus perſonam Cæcilius agit, tum etiam quia defenſionem hanc irriſiſſent Gentiles, qui delatum Chriſto cultum averſabantur (*e*). Conſultius itaque coli negat a Chriſtianis Cruces; tum oſtendit in eam ipſam accuſationem Gentiles incidere, quam in Chriſtianos intorquebant (*f*). Vox hæc *fabulantur* indicet, ſi vis, mendacem famam in vulgus ſparſam. Porro crucem ipſam non colebant Chriſtiani, ſed Chriſtum in Cruce. Sed tamen rectius accipitur pro re vulgata, & notiſſima (*g*): aut potius id ipſum ſignificat, quod *prædicant*, ſeu *eſſe ajunt* (*h*).

(*a*) *Qui hominẽ ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & Crucis ligna feralia eorum cæremonias fabulantur, congruentia perditis, ſceleratiſque tribuit altaria, ut id colant, quod merentur.* In Octavo pag. 86. editio. Ouzelii. Rurſus: *Etiã non adoranda, ſed ſubeunda Cruces* (pag. 105.)

(*b*) pag. 284.

(*c*) legunt alii *oramus*.

(*d*) Recole, quæ capite XI. diſſertationis X. diximus.

(*e*) *Hominem ſummo ſupplicio &c.*

(*f*) *Vos plane, qui Deos ligneos conſecratis, Cruces ligneas &c.* pag. 286.

(*g*) *Fabulam vulgi* dixit venuſtus, idemque nobilis poeta: ideſt de quo loquitur vulgus: quo quidem ſenſu ait Petrarca: *Al popol tutto favola fui gran tempo.*

(*h*) ſic Lucæ 24. 15. *Factum eſt, dum fabularentur.* Et Tertullianus 39. apolog. *Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire.* Hæc profecto explicatio merito præponitur ceteris: eteni hæc non Octavii, ſed Cæcilii, ideoque Gentilium verba ſunt.

CAP. IX.

Laudabilem eſſe cultum imaginibus Dominicæ Crucis adhibitum.

I. ID quoque hic evenit, quod de cultu ipſius Dominicæ Crucis diſſerens eveniſſe monui. Non deeſſe ſcilicet dixi, qui priſcis ipſis Eccleſiæ ſæculis imaginibus Dominicæ Crucis cultum adhiberi conſueviſſe fatentes, minime tamen cultum eum laudabilem agnoſcant: (*) quin potius temere, atque imprudenter eos agere ajunt, qui Cruces ligneas, æreaſque, & reliquas omnes ex conſtanti materia formatas honorant, & colunt. Prohibemur ſcilicet, inquiunt, a Scriptura ipſa, & a Patribus materiam quamlibet, & quævis ex ea formata colere. Quod ſi propterea Crucis imagines colimus, quod in Cruce pependit Chriſtus, atque in ea pretium perſolvit, quo cæleſti Patri antea irato humanum genus reconciliaretur, cur non omnes clavorum & malleorum, & reliquorũ Dominicæ paſſionis inſtrumentorum imagines colimus? Immo cur non colimus Virgines omnes, in quibus ante oculos mentis noſtræ exhibeamus Virginem illam, in cujus utero carnem ſumens Jeſus, Redemptionis noſtræ dedit exordium? Cur non colimus ſepulcra omnia, quia aliquod horum contactu Dominici corporis ſanctificatum novimus; & reliqua id genus? Quod ſi excipimus, infinita propemodum colentur, atque adeo illa ipſa, quibus adhibitum cultum periculoſum eſſe Pontificii ipſi fatebuntur.

(*) ſect. 2. cap. 13.

II. En porro tibi promptiſſimam reſponſionem. Crebro dixi, rurſus id ajo, ea Scripturarum, ac Patrum loca, quæ vetant cultum adhiberi materiæ, & materialibus rebus, de eo cultu intelligenda eſſe, qui in materialibus hæreat, deſinatque. At quantum ab eo errore remoti ſint Catholici; dum Crucis ligna colunt, & ſæpe docui, & rurſus ſubſequenti capite apertiſſime edocebo. Ideo vero clavorum, & reliquorum paſ-

paſſionis Dominicæ inſtrumentorum imagines non colimus, quia non clavos, vel reliqua paſſionis inſtrumenta, ſed ſolam Crucem pro *ſigno* elegit Chriſtus. Signum autem, quacunque tandem materia exprimatur, ad notitiam illius, cujus ſignum eſt, atque adeo ad honorem ejuſdem nos ducet, ſi honore dignus is eſt. Quam ob rem honore relativo idem ſignum afficitur; quod alibi pariter dixi, & ſatis explicavi. Hauſi hanc ſolutionem a Damaſceno, cujus monita Lectori ſubjicerem, niſi nuper ſubjeciſſem (*). Ea itaque recole.

(*) cap. 6. §. 27.

III. Altera porro objectionis pars eadem ſolutione diluitur; at advertit etiam Gretſerus, ideo Cruces omnes a Chriſtianis coli, quia jam dudum inter Chriſtianos convenit, ut Cruces ideo efformentur, ut ſint imagines illius, in qua pependit Chriſtus: quem reſpectum ſi amoveres, nec Cruces ii facerent, nec colerent. At neque reſpectus iſte per ſe adeſt in iis rebus, quarum meminere (quis enim audebit dicere, per clavos omnes, Dominicos Clavos exprimi, aut Virginem quamlibet Deiparæ imaginem eſſe?) neque inter Chriſtianos convenit, ut ideo hæc inſtrumenta efforment, ut illa exprimant, quæ Chriſti contactu ſanctificata ſunt. Id ſi fieret, tum minime vererer illa ipſa honorare; relativo ſcilicet honore, qui ferretur ad Chriſtum: cujus memoriam in me excitat ſenſibilis res illa, quæcunque tandem ſit. Hoc modo Bononienſes ſepulcrum quoddam ſimile illius, in quo Chriſtus triduo permanſit, a Petronio Sanctiſſimo (cujus cultum inter cetera beneficia, quibus de patria & nobis omnibus bene mereri pergit, munificentia, atque exemplo ſuo auget Benedictus XIV. Pontifex Maximus) elaboratum merito colunt, reliqua ſepulcra minime colunt. Solutionem hanc ſi quis ornare velit, ea conſulat, quæ dudum Jonas Aurelianenſis, (*a*) & deinceps Gretſerus, (*b*) ingenioſe & docte tradiderunt.

(*a*) libro 1. *de cultu imaginum adverſus Claudium Taurin.* pag. 555. partis 1. to. 4. Biblio. Pa. Par.

(*b*) tom. 1. *de Cruce* lib. 1. cap. 59. §. *Ad hanc hæreticorum.*

CAP.

CAP. X.

De genere, ac qualitate cultus imaginibus S. Crucis adhibiti. Cultum hunc relativum eſſe pronunciamus.

I. Quis jam Proteſtantium querelas ignorat, ac ſæva jurgia in Catholicos jacta, propterea quia hi palam ſacrâ Paraſceves die ante crucem proſternuntur, eamque reverenter oſculantur, & ut vulgatiſſimo jam nomine utar, *adorant*? Ritum hunc inter potiſſimas cauſas jactant, ob quas Catholicos exeCrantur, eorumque cæremonias ſuperſtitioſas, atque adeo idololatria infectas eſſe contendunt. Audite, quibus verbis ritum hunc deſcribunt, & carpunt. (a)

Luce Sacerdotes duo circum altare ſequenti
Idolum portant humeris Chriſti in Cruce fixi
- - - - - - - - - - - - - - -
Hinc proſtrati corpore toto
Omnibus infigunt perfoſſis baſia membris;
Ligneum & idolum ſummo venerantur honore.
Hos dein certatim raſorum turba ſequuntur,
Impietatis ut artifices ad talia ſemper
Præcedunt: poſt quos tractabile vulgus adorat &c.

II. Hi tamen ipſi deſinerent, acerbis his contumeliis nos diſtringere, ſi adverterent, Chriſti imaginem *idolum* appellari, niſi per ſummam impietatem, omnino non poſſe: ſi id quoque recolerent, quod crebro a Catholicis dictum eſt: nullam prorſus veram portionem cultus in Cruce ipſa, aut Jeſu Cruci affixi imagine hærere, ſed ea honorificentiæ argumenta, exteriora eſſe indicia cultus illius, qui Chriſto tantummodo a nobis defertur. Id quidem aperte ſignificant ea veterum loca, quæ capite 14. ſuperioris ſectionis aut adduxi, aut ex alibi dictis allegavi, quæque proinde recoli hic merito, non levi ſaltem ex parte, poſſunt. Et ſane Crucis imaginem pleraque eorum expreſſe memorant, aut certe hanc non obſcure indicant, cum ajunt, delatum Cruci honorem ad Chriſtum in eâ repræſentatum aſcendere. Ne tamen peculiaribus probationibus deſtitutum ſit caput iſtud, alios Scriptores adjungam.

III. Ruſticum S. R. E. Diaconum præire volo: quippe perſpicue docet, Crucem non eſſe terminum adora-

(a) Hos verſus ex iis exſcribo, quos refert Kempius *de oſculis*, diſſ. 6. §. 19. pag. 173. quos quidem ſe deſumpſiſſe ait ex lib. 4. *Regni Papiſtici* a Naogeorgo deſcripti.

rationis, ſed medium, per quod adoretur Chriſtus: Chriſtum vero noſtræ adorationis terminum eſſe: (*b*) *Adoramus omnes Crucem, & per ipſam illum, cujus eſt Crux: non tamen Crucem coadorare dicimur Chriſto, nec per hoc una eſt Crucis, & Chriſti natura. Similiter adorare altare: coadorare altari Trinitatem non dicimur, ſed potius per altare.*

IV. Subſequantur Ruſticum Leontius Neapoleos Cypri Epiſcopus, & Damaſcenus, quorum verba alibi retuli (*c*). Poſt hos excitandus Amalarius: ſic porro expreſſiſſime ad rem noſtram loquitur: (*d*) *Sic proſternor ante Crucem, ut Paula proſtrata eſt, de qua.... Hieronymus dicit...* Proſtrata eſt ante Crucem, quaſi pendentē Dominum cerneret... *Crux Chriſti ante me poſita: Chriſtum quaſi pendentem in ea mente teneo. Ipſa verba noſtræ deprecationis demonſtrent quem adoremus. Dicimus: Crucem tuam adoramus, Domine, & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus, & glorificamus. Hinc non ſunt verba precationis, ſed oſtentationis adorandæ Crucis, & glorificandæ Reſurrectionis Domini. Sed in alio loco ſolemus dicere* (*): *Deus, qui Unigeniti tui, Domini noſtri J. C. pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam ejus Crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberentur. Quem deprecor, ipſum adoro: proſternor corpore ante Crucem: mente ante Dominum &c. Veneror Crucem, per quam redemptus ſum, ſed illum deprecor, qui redemit.* Hæc ipſa fere exſcribit vulgatus Alcuinus (*e*), quem allega, ſi vis.

V. Alia quidem haud ſane pauca ejuſdem fere generis poſſem hic proferre; ſed parco libens, ne Lectori moleſtus fiam. Me tamen coercere nequeo, quin deſcribam preces, quas nobis egregius Martene præbet, (*f*) quibus id, quod agimus, apertiſſime conſtat: „ Tertio proſtrati, antequam „ crucem deoſcularentur, devotiſſimas ad Deum pre„ ces aliquas dirigebant, qualis eſt iſta, quam profert „ antiquum miſſale Pictavienſe ms. *a ſacerdote ſub ſilen„ tio* dicendam. *Domine JESU CHRISTE, qui pro „ nobis crucis & mortis patibulum ſubiiſti, ut mortis a „ nobis expelleres poteſtatem, & ſanguinis tui nos pretio „ liberares; mihi, Domine, humillimo famulo tuo & ve„ niam omnium peccatorum meorum concede, meque coram „ adoranda cruce tua proſtratum ab omnibus malis eripe,* „ *bo-*

(*b*) contra Acephalos pag. 831. partis 1. tom. 4. Biblio. Patr. Pari.

(*c*) differ. 9. cap. 49. §. 1. & cap. 6. hujus ſectionis §. 18.

(*d*) *de divin. offic.* lib. 1. cap. 14. pag. 538. to. 10. Bibliot. Patr. Pariſ.

(*) Sacra. Grego.

(*e*) de Offic. div. ſer. 6. quæ & *Paraſce.* pag. 252. tomi X. Biblio. Pa. Par.

(*f*) *de antiq. Eccl. rit.* lib. 4. cap. 23. §. 17. col. 364. tomi 3. edit. antue.

„ *boniſque tuis miſericorditer reſpice: qui cum Patre.*
„ In veteri miſſali Toloſano ſimillima oratio ab ipſo
„ præſule dicenda continetur (*). Ea adde, quæ col. 377. 378. 382. 384. 400. 401. & 403. ejuſdem tomi poſita ſunt. Sed & hic recenſeri ea merentur, quæ tradit Damaſcenus, quem jam allegavi (g), ea pariter; quæ copioſiſſime docet Petrus ille, quem *Venerabilem* appellant. (h)

VI. Scholaſticos ſi adjunxero, videbor inutilem operam agere: nemo enim eſt, qui neſciat, hanc eſſe Scholaſticis inditam perſuaſionem, *ut Chriſtum in Cruce adoratum* teſtentur. Recole, ſi vis, ea, quæ hoc de argumento alibi dixi. (i) Tamen, ne videar cunctos præterire, hic afferre libet Alfonſi de Caſtro præclara verba: (k) „ Illæ proſtrationes, capitum nudationes, manuum elevationes coram cruce factæ, nil
„ aliud ſignificant, quam quod per illa teſtamur, nos credere Chriſtum in alia ſimili pro nobis pependiſſe:
„ atque ob tantum beneficium, cujus memoria per
„ crucis aſpectum innovatur, ſervitutem & obſequium
„ genu flectendo profitemur. Quæ omnia cum ſint ab
„ omnibus, & ab ipſo etiam Witclefuo comprobata,
„ hoc argumento convincitur, non ſolum eam crucem
„ merito adorandam, in qua Dominus pependit, ſed
„ reliquas omnes, quæ illius veræ ſunt imagines. Nam
„ ad aſpectum earum æque intellectus noſter in memoriam reducitur crucifixi, quem per talem genuflexionem vere adoramus.

VII. Eant nunc Proteſtantes, & Catholicis adorationem Crucis exprobrent: eos reprehendant, quaſi dividant cultum Deum inter, & lignum. An lignum inter, & Chriſtum adorationem dividimus, dum Chriſtum tantummodo *in cruce* & *coram* cruce, & ab ea repræſentatum a nobis coli teſtamur? Sed tamen licet millies hæc dicamus, idque in libris ſuis ſæpius inculcaverint magiſtri noſtri, plauſum tamen apud nos obtinuit Naogeorgus, dum hæc cecinit: (l)

. . . . *Quo pacto idola coluntur,*
Catholica hæc ſi ſunt, Chriſtique imitamina ſponſæ?

Oh tempora! oh mores: quaſi non Catholicum eſſet, Chriſtum in ligno, & imagine ſua colere. Sed hæc illi viderint.

(*) Ibidem.

(g) cap. 6. §. 18.

(h) Vide epiſtol. 2. libri 1. ſub titul. *Contra id, quod dicunt, Crucem Domini nec adorandam, nec venerandam &c.* pag. 16. Eam exſcripſit Gretſerus in Apologia *pro S. Cruce*: in appendice to. 1. pag. 92. Notanda ſunt præſertim verba paginæ 19. & 20. *Dum Crucem me adorare dico, Crucifixum Dominū Deum meum eſſe, meque illi ſoli ſervire debere profiteor .. . Sic Crucem Domini, quam ex ſe non adorandam eſſe, auctoritas præcipit &c.*

(i) differ. X. cap. 38. §. 5. 6. 7. & cap. 40. 13. & 14. cap. 41. §. 4. 5. 13. 14. &c. Rurſus cap. 42. §. 16. 18. 22. & 23.

(k) *adverſ. Hære.* ad verb. *adoratio*: pag. 73. editio. Venetæ *ad ſignum ſpei.* an. 1555.

(l) lib. 4. *Regni Papiſtici* referente Kempio.

SE-

SECTIO IV.

DE CRUCE, QUAM TRANSEUNTEM APPELLAMUS, EA SCILICET, QUAM MANU IN FRONTE, VEL RELIQUO CORPORE, ATQUE ALIIS ETIAM IN REBUS DESIGNARE SOLITI SUMUS.

AD *metam laborum noſtrorum, Deo auſpice, boniſque faventibus Superis, propere accedimus. Sola ſcilicet ſupereſt tractatio Crucis, quam* tranſeuntem *dicimus, propterea quia manus agitatione formata non perſiſtat. Multæ porro de ea inſtitui quæſtiones ſolent. Quatuor ſeligo: ac primum quidem locum ſibi vindicat illius antiquitas, ac frequens apud Chriſtianos conſuetudo. Secundum tribuimus myſteriis in ea comprehenſis. Tum ſubſequetur inquiſitio pietatis in hoc ſigno inhærentis. Tractatum claudet illius utilitas.*

CAP. I.

Vetuſtiſſimam eſſe, & ad apoſtolica ipſa tempora referendam: uſitatiſſimam quoque apud Chriſtianos eam fuiſſe conſuetudinem, qua Crucem manus agitatione in fronte, ac reliquo corpore, vel aliis etiam in rebus efformamus.

I. Perſpicua adeo, ac manifeſta ſunt monumenta, quibus oſtenditur, ab Apoſtolis ipſis eam, de qua agimus, conſuetudinem derivari, ut id minus procaces inter Proteſtantes candide fateantur (*a*). Tamen, ut iis ſatis faciamus, qui monumenta hanc ipsã antiquitatem comprobantia a nobis expoſcunt, ea ſtatĩ profero. Tertullianus, poſtquam frequentiſſimum apud Chriſtianos eum, de quo agimus, morem verbis his declaraſſet (*b*): *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, ad calciatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus:* hujuſce frequentiæ cauſam in vetuſtiſſimam traditionem refert: *Harum* (inquit ille) *& aliarum ejus modi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.*

III Id ipſum deinceps docuit Baſilius, cujus verba ipſa, prout in Patrũ Benedictinorum editione in latinũ tranſlata inveni, proferre juvat. En illa: (*c*) *Ex aſſervatis in Eccleſia dogmatibus, & prædicationibus, alia quidem habemus e doctrina ſcripto prodita, alia vero nobis in myſterio tradita recepimus ex traditione Apoſtolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem .... verbi gratia, ut id,*

quod

(*a*) Sagittari. *de Cruciati. Marty.* cap. 16. §. 16. & ſeq. Caſaubo. *exercit.* 13. in Baro. §. 33. ad an. 31. n. 68. pag. 266. Quin etiam Dallæus ipſe cap. 4. pag. 741. hæc habet: *Ego in uſu jam apud noſtros aliquod Crucis ſignũ fuiſſe confiteor. Sed quod? Ligneum ne? Minime vero; ſed digitis, & manus in aere motu deſignatum, & adumbratum.*

[*b*] *de Corona.* cap. 3. Alia Tertulliani loca allegat Thomaſinus (*de incarn* li. 12. cap. 7.) ſed id, quod adduximus, inſtituto noſtro erit ſatis.

(*c*) Ex Eraſmi interpretatione, emẽdata tamen: cap. 27. n. 66. pag. 54. to. 3. Hæc Baſilii verba allegat Anaſtaſius Synaita quæſt. 154. pag. 442. ſecundæ partis to. 14. Oper. Gretſc.

quod primum eſt, & vulgatiſſimum, primo loco commemorem, ut ſigno Crucis eos, qui ſpem collocant in Chriſto, ſignemus &c.

III. An alia vetuſtiſſima hujuſce conſuetudinis argumenta proferri vis? Pareo libens. Auguſtinus ſane haud obſcure ait, in Stephani protomartyris fronte fuiſſe Crucis ſignum impreſſum. An antiquius exemplum optas? Ecce ipſa Auguſtini verba (*d*): *Ille pro inimicis orabat: contundebatur homo exterior, & ſupplicabat interior: ſed Dominus, qui cinxerat, qui probaverat, qui ei characterem, non in manu, ſed in fronte poſuerat, ſpectabat deſuper militem ſuum &c.*

(*d*) in ſermone olim 92. *de diverſ.* nunc in ſerie 317. *de Stephano Marty.* 4. n. 5.

IV. Tribuebatur olim Auguſtino ſermo ille, qui 28. inter ſermones *de Sanctis* recenſebatur, nunc in appendicem rejicitur. (*e*) Quid tamen, ſi ex illo quoque teſtimonium deſumam? Docemur profecto ab eo, Apoſtolum Paulum Crucis ſigno notaſſe Gentiles. Quis porro dicet, id tantum feciſſe Paulum, & reliquos Apoſtolos id agere neglexiſſe? *Mittit Petrus* (inquit ſcriptor ille (*f*)) *in ſalum retiaculum; circumfert Paulus dominicam in mundo vexillum. Et ille piſcatur homines, & iſte titulo Chriſti ſignat Gentiles.*

(*e*) 205. eſt

(*f*) n. 4.

V. Quin in ipſius Pauli fronte, dum baptizaretur, fuiſse charactere Chriſti (ideſt Crucem) impreſſum, maniſeſto edocet auctor ille, cui tribuis ſermonem 215. in appendice *Auguſtinianorum* (*g*): hæc quippe eloquitur. (*) „ Dicitur Ananiæ a Domino Jeſu-Chriſto: *Vade ad eum, & ſigna eum charactere meo; multa enim patietur pro nomine meo: &c.*

[*g*] olim 1. *de Sanctis*.

(*) n. 5.

VI. Edoctos fuiſſe ab eodem Paulo Fideles de emolumento ex Crucis ſigno proficiſcente, aſſequimur ex Chryſoſtomo, cujus verba, prout in latinum converſa reperi in editione Montfauconii, Lectori exhibeo (*h*). *Duo igitur capita ponit; unum quidem, quod nulla creatura communis ſit; ſecundum, quod etiam ſi communis ſit, medicamentum habes. Obſigna, gratias age, Deo gloriam redde, & immunditia omnis abſceſſit... Quid vero? An non immunda eſt ſuilla caro? Nullo modo, quando cum gratiarum actione percipitur, quando cum ſignaculo: nec aliud quidquam immundum eſt.* Nimirum verbis his: *obſigna* = *cum ſignaculo*, Crucis ſignum ab eo intelligi, plerique conſentiunt: dicitur enim apud

(*h*) in 1. Thi. 4. homi. 12. pag. 611. tomi XI. in verba illa: *quia omnis Creatura Dei bona eſt &c.*

Chri-

Chriſtianos Crucis ſignum per *antonomaſiam* ſimpliciter *ſignum*, & qui eo res ſignant, res *obſignare* dicuntur. (1)

VII. Ab Hippolyto *Apoſtolorum*, ut Palladius appellat, *familiari* excepit idem Palladius narrationem, qua in ſumma edocemur, Virginem nobiliſſimam, quæ Corinthi degebat, verentem, ne virginitati ſuæ vis inferatur, ad Crucis ſignum confugiſſe, nec illius ſpem fuiſſe deluſam. *Quod cum ſic feciſſet, & ſe totam ſigno Crucis muniiſſet, egreſſa eſt ex illo loco omnino incorrupta, & impolluta &c.* (i).

VIII. Excitandi jam alii ſunt, qui tribus ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis adhibitum a Chriſtianis fuiſſe teſtentur Crucis ſignum. Produco vero ſtatim Venantium Fortunatum: quippe cenſet, ea miracula, quæ egit S. Laurentius, Crucis ſigno feciſſe (k).

Qui potuiſti oculos tactu renovare ſepultos,
Rurſus & in vacua fronte referre diem:
Luminis extinctas iterum accendiſſe lucernas
Credimus ex ſigno te faciente Crucis.

IX. In Actis S. Bonifacii hæc reperi (l): *Sanctus autem Chriſti Martyr facto ſigno Crucis miſſus eſt in ollam....* (m) *Sanctus vero Chriſti Martyr facto ſigno Crucis rogavit ſpiculatores &c.* (*)

X. Quantam ſpem in Crucis ſigno ponerent Theodo-

(i) hiſto. Lauſia. ſectio. 148. & 149. to. 13. Biblio. Pat. Pariſ.

(k) lib. 8. epigram. 14. v. 5. pag. 826. to. 8. Biblio. Patr. Pariſ.

(l) n. 11. pag. 255. Ruinart edit. Veron.

(1) Sane in Actis S. Euplii hæc lego (1). *Euplius libera manu ſignans ſibi frontem.* Cyprianus pariter: (2) *Ubi ſignantur, qui Dominum promerentur.* Similiter Lactantius (3): *Signumque illud maximum atque ſublime frontibus ſuis ſuſcepturum.* Et rurſus (4): *Cum diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, nullo modo litant ... Cum quidam miniſtrorum noſtrorum ſacrificantibus Dominis aſſiſterent, impoſito frontibus ſigno, deos illorum fugaverunt.* Atque eundem quidem loquendi ſequitur morem ſive Auguſtinus, ſive, ſi vis, Cæſarius, dum hæc ait: (5) *Et quia ſolent aliqui dicere: Ego me ſigno, & ſic manduco: nullus hoc facere præſumat; quia ſic eſt, qui ſe ſignat, & aliquid de ſacrilego cibo manducat, quomodo qui ſe ſignat in ore, & gladium ſibi mittit in pectore.* Hunc Scriptorem præceſſerat Gregorius Nyſſenus, quem conſule (6).

(1) n. 2. pag. 361. editio. Vero. Ruinart.
(2) *de unita. Eccle.* pag. 403. edit. Baluz. Vene.
(3) lib. 4. *inſtitutio.* cap. 26. editio. Thomaſi.
(4) cap. 27.
(5) in ſermo. olim 241. *de tempore*, nunc 278. in appendi. n. 6.
(6) in vita S. Macrinæ prope finem. pag. 287. par. 1. to. 24. Gretſe. editio. Ratiſb. *Signum quidem egit, morbus autem abiit &c.*

doɫus, illiuſque ſocii, palam oſtenderunt, dum timore correpti, eodem ſigno ſe munierunt (*n*): *Rurſum ergo perterrefacti, Crucis ſignum ſuæ quiſque impreſſit fronti*. Præſidium vero ab eodem ſigno ſe deſumpturum ſperavit idem Sanctiſſimus Martyr Theodotus, cum *corpus ſuum ſigno Crucis muniens, in ſtadium proceſſit animo imperterrito* (*o*).

X!. Parile exemplum habemus in Gordio Martyre, de quo hæc teſtatur Baſilius (*p*): *Hæc cum dixiſſet, Cruciſque ſigno ſe circumſcripſiſſet, ibat ad ictum, nihil immutato colore, nihil alterata faciei alacritate*.

XII. Ad teſtificandam porro fidem ſuam, eodem ſigno uſus eſt Euplus Martyr. Interrogatus ſcilicet a Calviſiano Conſulari illius judice: (*q*) „ Libera „ manu ſignans ſibi frontem, dixit: *Quæ tunc dixi*, „ *& nunc ea confiteor, me eſſe Chriſtianum*. „ Sed a Martyrum Actis rurſus ad Patrum teſtimonia convertamur.

XIII. Quàm crebro Crucis ſigno, antequam res, præſertim ſacras inciperent, tribus ipſis prioribus Eccleſiæ ſeculis Chriſtiani uterentur, memoriæ prodidit his verbis Origenes (*r*): *Tertius vero quidam* (de iis, quos conſuluerat, loquitur) *ex eorum numero, qui Chriſto nomen dederunt, ajebat vetera elementa ſic litteram* Tau *exhibere, ut figuram Crucis referat, eſſeque vaticinium illius ſigni, quod apud Chriſtianos in fronte effingitur, quodque Fideles omnes faciunt, quidquid operis aggrediantur, ac maxime vel precum, vel ſacrarum lectionum initio*.

XIII. Referemus autem deinceps vires, quas adverſus Dæmones ſalutare hoc ſignum exercet: tum vero Lactantium, & auctorem libri de *mortibus perſecutorum* adducemus.

XIV. Sed quanti etiam hoc ſignum faceret Antonius Magnus ille in Ægypto Abbas, vel ex his ejuſdem S. Abbatis verbis conjici poteſt: (*ſ*) *Signum Crucis, & fides ad Dominum inexpugnabilis murus eſt*: Ex iis quoque quæ viris iis repoſuit, qui ab eo popoſcerant, qua ratione Dæmones vincerent: *Signate vos* (inquiens) *& abite ſecuri* (*t*). Rurſus (*u*): quantam ad Dæmones effugandos vim in Crucis ſigno ineſſe

(*n*) In Actis SS. Theodoti &c. n.17. pag. 302. Ruinart. editio. Veron.

[*o*] n.21. pag. 304.

[*p*] n. 8. ideſt poſtremo Orationis *in S.Gordium* to.2.pag. 148. editio. Patrum S. Mauri.

(*q*) n.2. Acto. S. Eupli. pag. 361. Ruinart: edit. Veron. Idem habes pag. ſubſequenti.

(*r*) in cap. 9. Ezech. v.4.pag. 424. to. 3. editio. Patrum S. Mauri.

(*ſ*) In vita S. Antonii ab Athanaſio ſcripta, Evagrio interprete, cap.9. (interpretatio Patrum Maurinorum paulo aliter explicat.)

(*t*) cap. 13.

(*u*) cap. 80.

eſſe putaret, his verbis Gentiles alloquens, declaravit: *Aut veſtris argumentis, aut qua volueritis arte, immo ſi libet magica, veſtra invocantes idola, hos mundate: ſin non valetis, nobiſcum pugnandi finem facite, videbitiſque virtutem Crucis Chriſti... His dictis Chriſtum invocavit, & Dæmoniacos bis terque ſigillo Crucis ſignavit. Moxque ſteterunt homines incolumes &c.*

XV. Conſtantini Magni exemplum, quod mirifice Euſebius commendat, minime, ut puto, contemnes: Ecce porro quid de tam præclaro Principe ſcriptor iſte memoriæ prodidit (x): *Quippe ille cum omni fiducia, ac libertate Chriſtum Dei cunctis perpetuo prædicavit; nec ſalutari vocabulo cenſeri erubuit. Verum ob eam rem ſe ſe magnopere efferens, omnibus ſe noſcendum exhibuit, dum nunc quidem ſalutari ſigno vultum conſignat, nunc triumphali gloriatur tropæo.*

(x) 3. *de Vita Conſt.* cap. 2.

XVI. Cyrillus Hieroſolymitanus tum ſæpe alibi, tum apertiſſime n. 14. Catecheſis 4. & frequentiam inculcat, & utilitatem hujuſce ſigni commendat hæc elocutus (y): *Ne ergo Chriſti Crucem erubeſcamus, ſed etiamſi alter abſcondat, tu palam in fronte obſigna, ut Dæmones regium ſignum intuentes, procul fugiant tremebundi. Fac vero hoc ſignum, dum manducas, & bibis, ſedes, recubas, exurgis, loqueris, ambulas; verbo dicam, in omni negotio.* Similia his edocet S. Ephrem (z).

(y) n. 36. Catecheſis XIII. Anton. Aug. Touttèe interprete.

(z) *In pano.*

XVII. De Hilarione eximio illo Abbate, quem Dæmones mirum in modum reformidabant, hæc ſcriptis Hieronymus prodidit (a): *Intellexit Dæmonum ludibria, & provolutus genibus, Chriſti crucem ſignavit in fronte: talique ornatus caſſide, & lorica fidei circumdatus, jacens fortius præliabatur.*

(a) n. 6. *vita S. Hilarion.*

XVIII. Idem porro Hieronymus uſitatiſſimum fuiſſe Chriſtianis, manu Crucem in fronte deſignare, his verbis ait: (b) *Extrema* Tau *littera Crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.*

(b) in commentar. ad cap. IX. Ezech. v. 4.

XIX. Gaudentius quoque, vetuſtus ſcriptor, ejuſdem conſuetudinis indubitatus eſt teſtis, & fautor (c). Gaudentii verba hic non affero, quia deinceps ea allegabo.

(c) Serm. *de lectio. Evang.* qui eſt in ordine octavus: pag. 372. edit. Brixi.

XX.

XX. Quantum Chryſoſtomus ſignum Crucis Chriſtianorum frontibus impreſſum approbet, ex multis Sancti Doctoris locis eruere ſtudent noſtri Theologi, quorum cura, ac diligentia ſummam meretur laudem. Ego porro, qui non multa, ſed certa veterum Patrum loca proferre conſuevi, pauca ex Chryſoſtomo, at valde probabilia, hic adducam. Præire volo celebratiſſimum illud S. Doctoris teſtimonium, quod cuncti merito afferunt: (d) *Quid dixeris de ligaminibus, & de crepitaculis manui appenſis, & de ſtamine coccineo, deque aliis multis inſania plenis; cum oporteret nihil aliud puero circumponere, quam Crucis cuſtodiam? Nunc autem hic quidem deſpectus eſt habitus, qui convertit totum Orbem terrarum, & gravem Diabolo plagam inflixit, totamque ejus potentiam ſubvertit. Sub tegmen autem, & ſtamen, aliaque ligamina ſimilia, ea ſunt, queis creditur pueri tutela.* Et rurſus: *Sed vide quantam* (Paulus) *hujus rei curam habeat, & cum quanta prohibeat vehementia, tum alia multa dicens, tum quod caput ſuum dehoneſtet. Si autem qui tegit caput, ipſum dehoneſtat; qui luto illud ungit, quomodo non puerum reddit abominandum? Quomodo, quæſo, adducit eum ad manus Sacerdotis? Quomodo precaris, ut Presbyteri manu ſignaculum in fronte apponatur, ubi luto unxiſti? Ne, fratres, ne hæc faciatis; ſed ab ineunte ætate pueros ſpiritualibus armis munite, & docete eos manu frontem ſignare; prius quàm etiam poſſint hoc manu facere, vos ipſi eis Crucem imprimite.*

(d) in epiſ. 1. ad Cor. ho. 12. n. 7. pag. 107. to. X. edit. Montfau.

XXI. Præclariſſimum etiam id eſt, quod alibi his verbis tradit: (e) *Cogita precium pro te numeratum, atque nullius hominis eris ſervus, precium vero Crucem vocat.* (*) *Neque enim ſimpliciter illam digito efformare oportet; ſed prius voluntate & multa fide. Si hoc modo illam in facie tua depinxeris, nullus impurorum Dæmonum contra te ſtare poterit, cum enſem videat, quo vulnus accepit, cum gladium videat, quo lethali plaga perfoſſus eſt. Si nos enim loca videntes, ubi rei caeduntur, perhorreſcimus, cogita quid paſſuri ſint diabolus & dæmones, telum illud videntes, quo Chriſtus totam illorum potentiam ſolvit, Draconiſque caput abſcidit .... Hoc ſignum & Majorum noſtrorum tempore, & ævo noſtro, clauſas aperuit januas:*

(e) hom. 54. aliàs 55. *in Matthæum*, ubi pluribus de Crucis ſigno differit n. 4. pag. 551. & 552. to. 7. edit. Mont-faucon
(*) (Paulus).

hoc ſignum venenata pharmaca extinxit: hoc cicutæ vim ſolvit, hoc venenatarum ferarum morſus curavit. Nam ſi portas inferorum aperuit, ſi Cœlorum oſtia reſeravit, & Paradiſi renovavit ingreſſum, ſi diaboli nervos reſcidit, quid mirum ſi lethifera pharmaca, feras, aliaque hujuſmodi ſuperaverit?... (*) Vi Crucis Dæmones non ultra formidandi, ſed deſpiciendi ſunt, neque mors mors eſt, ſed ſomnus: per Crucem, quæ nobis adverſabantur, omnia humi dejecta conculcantur. Si quis ergo dicat tibi: Crucifixumne adoras? læta voce, hilari vultu reſponde: Adoro, nec adorandi finem faciam.

(*) n. 5.

XXII. Id vero, quod non modo Chryſoſtomus nuper allegatus, verum etiam alii Patres ſępe docuerunt, formidari ſcilicet a Dæmonibus ſignum iſtud, & eorum tentationes ſuperari; indicat haud obſcure Paulinus (*f*) his verbis.

(*f*) Nata. 8. v. 99. 106. &c.

Ergo fides innixa Deo trepidantia firmet
Pectora . . . .
Nos Crucis invictæ ſignum, & confeſſio munit,
Armatique Deo mentem non quærimus arma
Corporis, & quamquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animi decernimus hoſtes.

XXIII. Ac frequentiſſime quidem optavit ſignum illud a Chriſtianis adhiberi Prudentius, propterea quia adverſus Dæmones ſummam habet vim. Pauca delibo ex plurimis (*g*).

(*g*) hym. 6. *Catheri.* v. 128. & ſeq.

Fac, cum vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt Crucem tenebræ:
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.
- - - - - - - - - -
O tortuoſe ſerpens,
Qui mille per meandros
Fraudeſque flexuoſas
Agitas quieta corda,
Diſcede: Chriſtus hic eſt:

Hic

Hic Chriſtus eſt: liqueſce:
Signum, quod ipſe noſti,
Damnat tuam catervam.

XXIV. Multa complectitur de hoc ſigno Damaſcenus, cujus teſtimonio caput hoc claudo (*b*). *Hæc nobis ſigni loco in fronte data eſt* (inquit ille), *haud ſecus ac circumciſio Iſraeli. Per hanc nos fideles ab infidelibus diſtinguimur, atque agnoſcimur. Hæc clypeus, armatura, atque tropæum eſt adverſus Diabolum. Hæc ſignaculum eſt, ne nos exterminator Angelus tangat, ut Scriptura loquitur* (*). *Hæc jacentium erectio eſt, ſtantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, reſipiſcentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ, & corporis ſalus, malorum omnium depulſio, bonorum omnium cauſa, peccati extinctio, reſurrectionis planta, vitæ æternæ lignum*. Et de antiquitate, ac frequenti apud Chriſtianos hujuſce ſigni uſu diximus ſatis.

(*b*) 4. *de fide* cap. olim 12. in editio. P. Le-quien 11.

(*) Exo. 12. v. 12.

C A P. I I.

Eodem ſigno Crucis uſos fuiſſe Fideles, præſertim in Sacramentorum adminiſtratione.

I. SI crebro in reliquis operibus ſuis Crucis ſigno uſi ſunt Fideles, in Sacramentorum adminiſtratione ita uſi ſunt, ut illud omnino non omitterent. Hoc in argumento cum plurimi e noſtris verſati ſint, præ ceteris inſignem operam navavit Gretſerus (*a*). Id ſibi minime perſuadere viſi ſunt ii Proteſtantes, qui vetuſtos ritus ſe ſequi jactantes, Crucis tamen ſignum ab Sacramentorum confectione exulare voluerunt; quibus tamen alii mitiores obſiſtunt, vetuſtumque ritum, ideoque Crucis ſignum in eorundem Sacramentorum

(*a*) tom. 1. *de Cruce* lib. 4. capitibus 11. & ſubſeqq.

ad miniſtratione retineri volunt. Quo de argumento præclare, ut ſolet, diſſerit Gretſerus (*b*). Sed nos ad rem ipſam veniamus. Auguſtinus profecto (*c*) hæc generatim tradere minime dubitat: *Quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur*.

II. Auguſtinum præceſſerat Chryſoſtomus, cujus verba in marginem conjeci. (*d*) Subſequitur auctor ille, cui debemus Homiliam de *Veneratione Crucis* Chryſoſtomo tributam: etenim certum eſt, ab eo nos aſſequi, *Crucis* ſignum in Sacerdotii dignitate conferenda, & in Sacrificiis fuiſſe adhibitum. (*)

III. Accedit auctoritas ſcriptoris illius, qui prodidit ſermonem, qui 19. *de Sanctis* inter Auguſtinianos enumerabatur (*e*): quippe hæc præ ceteris habet (*f*): „ Hujus crucis myſterio rudes catechizantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur, ejuſdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum ejuſdem crucis charactere baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione Dominicorum verborum conficiuntur; ſacerdotes & levitæ per hoc idem ad ſacros ordines promoventur. Et univerſaliter omnia eccleſiaſtica ſacramenta in ejus virtute perficiuntur. „ Simillima traduntur in ſermone *de paſſione Chriſti*, qui olim Cypriano tribuebatur. (*)

IV. Quod ſi per ſingula Sacramenta percurrere me vis, tibi obſequor libens. Et, ut a Baptiſmo incipiam, certa res eſt, aquam, qua in Baptiſmo adminiſtrando utebantur ſacri miniſtri, ſigno Crucis fuiſſe antea ſanctificatam. Indicat id, tametſi (quod ſæpe ſolet) obſcure Zeno (*): apertiſſime vero tradit Chryſoſtomus (*g*), cujus jam verba retulimus: tradidit quoque auctor ille, cui adſcribimus tractatum *de Initiandis*, ſeu *de Myſteriis*; nimirum hæc docet: (*) „ Aqua enim ſine prædicatione Dominicæ Crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt. Cum vero ſalutaris fuerit Crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritualis lavacri, & ſalutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem *Moyſes miſit lignum... ita in hunc fontem* ſacerdos prædicationem

„ Do-

(*b*) Tom. 1. de Cruce lib. 4. cap. 65. pag. 427. edit. Ratisbon.

(*c*) n. 5. ideſt poſtremo Tract. 118. *in Joannem*.

(*d*) *Crucem Chriſti quaſi coronam circumferamus; per eam enim omnia, quæ ad nos ſpectant, perficiuntur. Si regenerari oporteat, Crux adeſt; ſi myſtico illo cibo nutriri, ſi ordinari, & ſi quidvis aliud faciendū, ubique nobis adeſt hoc victoriæ ſymbolum*. (hom. 54. aliàs 55. in Matthæum n. 4.). Ea adde quæ docet in tracta. *quod Chriſtus ſit Deus* n. 9.

(*) Homilia hæc extat in Appendice tomi 3. editio. Montfaucon pag. 819. at quæ hic allego, habes num. 2. pag. 822. *Si quem præficiamus, eumque ad Sacerdotii dignitatē provehamus ... hac obſignamus... ſic etiam in Sacrificiis adhibetur*.

(*e*) nunc 247. in appendice eſt.

(*f*) n. 7.

(*) pag. cxv. editio. Baluz. Venet. 1728. *In figura Crucis omnibus Sacramentis largitur effectū &c.*

(*) *Scrobem fontem ſacrum debemus accipere, qui vero Sacramento homines ſuſcipit mortuos, & in-* ſpi-

„ Dominicæ Crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gra-
„ tiam.„ Et mox: „(*) Quid enim eſt aqua ſine Cruce
„ Chriſti? Elementum commune ſine ullo Sacramen-
„ ti effectu. Nec iterum ſine aqua regenerationis my-
„ ſterium eſt: *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in Regnum Dei.* (*) Credit au-
„ tem etiam Catechumenus in Crucem Domini Jeſu,
„ qua & ipſe ſignatur.

V. Quod ſi auctores alios cupis, a quibus id inculcetur, doceamurque in baptiſmi adminiſtratione frequens crucis ſignum fuiſſe adhibitum; lege, obſecro, eos, quos Gretſerus hoc de argumento diſſerens (*h*) adducit. Illud tamen hic omittere nequeo, quod didici a Pontifice Zacharia; eos ſcilicet ſe declaraſſe ab Eccleſiæ Catholicæ inſtitutis deficientes, qui *ſignaculum Crucis* in baptiſmate conferendo omittebant. (*) „ Qui
„ nunquam ab Epiſcopis Catholicis fuerunt ordinati,
„ illudentes populo, & miniſteria Eccleſiæ confunden-
„ tes, &c. erroneum miniſterium non in Eccleſia Catho-
„ lica, ſed per agreſtia loca, & per cellas ruſticorum,
„ ubi eorum imperita ſtultitia celari poſſit, perpetrant;
„ nec fidem Catholicam Paganis prædicant, nec ipſi
„ fidem rectam habent; .... nec quærunt ab eis, quos
„ baptizare ſtudent, abrenunciationem Satanæ &c. ſed
„ neque ſignaculo Chriſti eos muniunt, quæ præcede-
„ re debent baptiſmum. „.

VI. Recepto Baptiſmo, ſtatim ſignum Crucis aderat, idque indicat Tertullianus ipſe, cum hæc ait (*i*): *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione.* Etenim hanc ſigno Crucis peragi conſueviſſe, tradũt libri Sacramentorũ Gelaſii (*), & Gregorii M. (*): „ Ut autem ſurrexerit a
„ fonte ille, qui eũ ſuſcipit, [ait Gregorius] offerat eũ
„ uni presbytero, qui faciat ſignum crucis de chriſmate
„ cũ pollice in vertice ejus, dicens: Deus „ &c. *Idem alibi*: [*] „ Presbyteri baptizatos (*) ungant in pectore, ut
„ Epiſcopi poſtmodum ungere debeant in fronte, (*nempe in Confirmationis Sacramento.*)

VII. Atque ad hunc quidem morem reſpexiſſe Pacianum (*k*) putant multi, cum Novatianos redarguit, propterea quia non habebant Sacerdotes unctos, a quibus ſigno Crucis conſignarentur. Reſpexit quoque Cyprianus, cum hæc ait: (*l*) *Frons cum ſigno Dei pura, Diaboli co-*

ſpiratos aqua cæleſti mox efficit vivos. Lignum auxiliare, quo tenditur, vel portatur, Crucis Dominica eſt ſignum, ſine quo vivere, immortalitatēque apprehēdere in toto non poteſt Chriſtianus. (lib. 2. tract. 27. §. 3. pag. 220. edi. Veron.)

(*g*) Homil. 54. aliàs 55. in Matthæum.

[*] to. 2. oper. Ambroſii edit. S. Mauri cap. 3. n. 14.

(*) cap. 4. aliàs n. 20.

(*) Joan. 3. 5.

(*h*) tom. 1. de Cruce lib. 4. cap. 13.

(*) in epiſt. X. ad S. Bonifac. pag. 255. to. 8. Concili.

(*i*) de Bapt. cap. 7.

(*) lib. 1. n. 75. pag. 107.

(*) in lib. *Sacram.* Sab. San. pag. 73. edit. Hug. Menar.

(*) li. 3. aliàs 4. epiſt. 9. *Janua. Epiſco. Calarit.*

(*) aliàs *baptizandos.*

(*k*) Epiſt. 3. *ad Sympronianum.* (*Veſtræ plebi unde Spiritum, quam non conſignat unctus Sacerdos?*)

(*l*) *de Lapſis* pag. 372. edit. Veneti. Baluz.

li coronam ferre non potuit; *coronæ ſe Domini reſervavit*. Et alibi: (*) *Hujus Sacramento*, & *ſigno cenſeamur*. Quid nempe eſt ſignum Chriſti, niſi Crux, quæ procul dubio *Chriſti ſignum a* veteribus dicebatur (2)? Alia ſi addere placet, ea adde, quæ Gretſerus tibi præbebit (*m*).

(*) *ad Demetri.* pag. 441. editio. Venet. Baluz.

(*m*) tom. 1. lib. 4. cap. 14.

VII. Id ipſum quoque agi conſueviſſe in ſacro Chriſmate conferendo, Auguſtinus docet, (*n*), monens credentes, *Oleum, quo chriſmate unguntur, non rite ſine Cruce*

(*n*) Tract. 118. in Joannem n. 5.

ce

(2) Hoc de argumento cap. 49. Diſſertationis 9. copioſe egimus. Alia ſi vis Veterum teſtimonia id ipſum confirmantia, ea conſule, quæ Paulinus verſu 608. & ſubſeqq. Natalis XI. tradidit, quibus junge adnotationes ad hos verſus, quas edidit Clariſſimus Muratorius. Alia plurima id ipſum facile evincunt. In Actis S. Eupli (1) hæc occurrunt; *Beatus Euplius ſignaculum Chriſti ſibi faciens in fronte*. Ad eundem modum Cyprianus (2): *Muniatur frons, ut ſignum Dei ſervetur incolume*: Et rurſus (4): *Signo autem Domini omnes ſignantur*. Denique (5): *Qui renati*, & *ſigno Chriſti ſignati* &c. Epiphanius (6) ſic Ellel baptiſmum optantem loquentem inducit: *Quaſo te, mihi ut Chriſti ſignum impertias*. *Chriſtiani* (inquit Auguſtinus) (7) *dicimur*, & *omnes Chriſti ſigno ſignamur*. Apertius etiam deinceps (8): *Crediderunt* & *ipſi* (Reges), *ſignum Crucis Chriſti in fronte jam portant, precioſius ſignum, quàm qualibet gemma diadematis*. Indicat autem alibi (9), *Signum ſalutis, ſignum Dei, ſignum Chriſti appellari conſueviſſe*, rationemque hujuſce moris adducit. Sed ea de re quis dubitet, poſtquam hæc ex eo audierit? (10)? *Quid eſt, quod omnes noverunt, ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti*? Idem etiam alibi inculcat his verbis (11): *Non eſt magnum in Chriſti ſapientia gloriari. Magnum eſt in Cruce Chriſti gloriari: unde tibi inſultat impius, ibi glorietur pius . . . Ideo in fronte tanquam in ſede pudoris ſignum ipſam accepiſti . . . . Signum veteris teſtamenti circumciſio in latenti carne: ſignum novi teſtamenti Crux in libera fronte . . . Ideo ſignum ab occulto tranſeat ad manifeſtum*, & *incipiat eſſe in fronte, quod latebat ſub veſte. Nam in eo ſigno Chriſtum eſſe pranunciatum quis ambigat? . . . Venit ipſa petra, omnes nos ſpiritu circumcidit*, & *ſuæ humilitatis ſignum in redemptorum fronte defixit*.

(1) *confeſs. ſecunda* pag. 362. edit. Veron. Ruinart.

(2) Epiſt. *ad Thibaritа. de exhortatione Martyrii* in editio. Baluzii 56. pag. 200.

(4) (lib. 1. *teſtimon.* cap. 8. in edit. ven. Baluz. pag. 73.

(5) in lib. *ad demetrian.* pag. 440. editio. Baluz.

(6) hæreſi 30. n. 4. pag. 128. to. 1. edit. Colon. Petav.

(7) enar. 3. in pſ. 30. n. 8. Rurſus enar. 4. in eundem pſal. n. 7. *Non ſine cauſa ſignū ſuum Chriſtus* &c.

(8) enar. 3. in pſ. 32. n. 13. Rurſus ſerm. 2. in pſ. 36. n. 4. &c.

(9) tracta. 118. in Joan. Videri etiam merentur ea, quæ n. 4. tracta. 36. *in Joannem*, & n. 2. tractatus 3. ejuſdem tituli edocet.

(10) n. 5. tract. 118. in Joan.

(11) ſerm. 160. n. 5. & 9.

ce perfici. Alibi (*) docet, *Sacramentum quoddam eſſe quod in fronte percipiatur*, *ſed non ſine Crucis ſigno:* atque eo quidem in loco *Confirmationem* procul dubio innuit.

IX. Expreſſiſſime quoque id tradit Ambroſius, ſeu alius cui adſcribimus libros *de Sacramentis*; Etenim hæc in eis occurrunt: (*) „ Sequitur ſpiritale ſignaculum.. quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, „ quando ad invocationem ſacerdotis Spiritus Sanctus „ infunditur „. Et alibi: (*o*) „ Unxit te Deus, ſignavit te Chriſtus. Quomodo? quia ad crucis ipſius „ ſignatus es formam, ad illius paſſionem. Accepiſti „ ſignaculum ad illius ſimilitudinem.

X. Idipſum tradunt libri *Sacramentorum* Gelaſii, (*) & Gregorii (*p*), & Gregorius Turonicus. (*q*) Alia veterum teſtimonia eundem morem comprobantia habes apud Gretſerum (*r*).

XI. Venio ad Euchariſtiam. Sine Cruce eam non fuiſſe peractam, docet Chryſoſtomus hęc inquiens: (*) *Cum ſacratiſſimo cibo alimur*, *Crux Domini adeſt*. Alibi: [*] *Sic crux in ſacra cœna*, *ſic in ſacerdotum ordinationibus*, *ſic iterum cum corpore Chriſti in myſticis cœnis fulget*. S. Auguſtinus [*] negat ſacrificium, *quo Chriſtiani aluntur*, *rite perfici ſine Cruce*.

X. Quod ſi Cruces illæ, quibus in Miſſa utimur, a vetuſtiſſimis ipſis temporibus ſunt repetendæ, quod putat Gretſerus, (*ſ*) pulchre vides, quanta ſit hujuſce ritus antiquitas. Profecto eo uſum fuiſſe Martinum Turonenſem Epiſcopum, ex Scriptoribus illius vitæ diſcimus. Id inſinuat ſane Fortunatus his verbis: (*t*)

... Altaris ſacra dum myſteria tractat,
Signando calicem ſigna beata dedit.

Atque hunc quidem morem vetuſtiſſimum eſſe, ex eo plane aſſequimur, quod inter Eccleſiæ Catholicæ conſuetudines (quæ procul dubio vetuſtiſſimæ ſunt) Gregorius Turonicus eum recenſet (*u*). *Ventumque eſt* (ait ille), *ut ſanctum munus*, *juxta morem catholicum*, *ſigno crucis ſuperpoſito benediceretur*. Id vero conſtanter ſervatum fuiſſe ab Eccleſia, cum ex aliis monumentis conſtet, ex Zachariæ Papæ etiã verbis diſcimus. En illa. (*) „ *Flagitaſti a nobis*, *ſanctiſſime frater*, *ut in ſacri Canonis prædicatione*, *quot in locis Cruces facere debeamus*, *tuæ ſignificemus ſanctitati*. *Votis autem tuis clementer inclina-*

„ *ti*

(*) enar. in pſ. 141. n. 9.

(*) lib. 3. cap. 2. aliàs n. 8.

(*o*) lib. 6. cap. 2. n. 7.

(*) lib. 1. n. 75. pag. 108.

(*p*) In lib. Sacram. in Offic. Sab. San. pag. 74. edit. Hug. Men. *Pontifex tincto pollice in chriſmate facit crucem in fronte &c.*

(*q*) lib. 2. de geſt. Franc. cap. 31. *Delibutuſque ſacro chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti*.

(*r*) to. 1. lib. 4. cap. 15.

(*) hom. 54. aliàs 55. in Matth. n. 4.

(*) in tracta. *quod Chriſtus ſit Deus* n. 9. pag. 571. tom. 1. edit. Mont fa.

[*] tract. 118. in Joan. n. 5.

(*ſ*) to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 16.

(*t*) lib. 1. poema. cap. ſeu epig. 5.

(*u*) Vitæ Patr. cap. 16. in quo de *S. Venantio* agit. n. 2.

(*) epiſto. 141. inter epiſtolas Bonifacii editas a Gretſero, & rurſus epiſto. 12. inter epiſtolas Zachariæ pag. 26. to. 8. Conci.

„ *ti, in rotulo dato prædicto Lul, religioſo presbytero tuo*
„ *per loca, ſigna ſanctæ Crucis quanta fieri debeant, in-*
„ *ſiximus.* „ Alia Veterum teſtimonia conſule, ſi vis, apud Grerſerum (x).

(x) to. 1. lib. 4. cap. 16.

XIII. Ordinis Sacramentum ſine Cruce non fuiſſe peractum, ea oſtendunt, quæ ex Chryſoſtomo attulimus (*). Is porro, qui aut Dionyſius revera eſt, aut certe illius nomen jam dudum prætulit, hæc habet (y): *Unicuique autem eorum* (de ſacerdotibus, & diaconis, qui ordinantur, loquitur) *ſignum Crucis a conſecrante Pontifice imprimitur*. Et mox (*). *Communia quidem ſunt Pontificibus, & Sacerdotibus, & miniſtris cum conſecrantur... Crucis impreſſio &c.* Quid vero hæc Crucis impreſſio doceat eum, qui conſecratur, his verbis explicat (*): *Signum Crucis impreſſum ſignificat omnium ſimul corporis cupiditatum ceſſationem, divinæque vitæ imitationem, dum conſtanter intuentur ad Dei virilem Jeſu vitam ad Crucem uſque, & mortem cum ſumma prorſus, ac divina impeccabilitate tranſactam, qui pie viventes tanquam ſibi conformes, ad imaginem impeccabilitatis ſuæ forma Crucis inſignit*. Ad hæc: Stephanus V. Pont. „ *omnia dona ſacerdotalis mini-*
„ *ſterii, per venerandam crucem perfici* affirmat (*).

(*) §. 2. in margine.
(y) de Eccl. Hierarch. cap. 5. p. 2. edit. Corde.

(*) p. 3. *contemplatio*.

(*) Ibidem §. 4.

(*) in epiſt. ad Epiſcop. Orientales pag. 547. to. XI. Conci.

XIV. At cur abſuiſſe vis ab Ordine Crucis ſignum, quando quidem a Monachorum, & Monialium inauguratione non abſuit? Audi quid de ea tradat idem ille, qui Dionyſius Areopagita appellatur. (z) „ Sacer-
„ dos, oratione perfecta, cum ad eum, qui initiatur
„ venit, illum rogat primùm, num remittat nuncium
„ non ſolum dividuis diſtinctis vitis, verum etiam vi-
„ ſionibus; deinde perfectiſſimam ei vitam exponit,
„ hoc pro teſtimonio dicens, eum mediam vitam ſupe-
„ rare ac tranſilire oportere: quæ ubi omnia is,
„ qui initiatur, continenter profeſſus eſt ſe eſſe factu-
„ rum; Sacerdos ſigno crucis eum conſignatum tondet,
„ appellans tres perſonas divinæ beatitudinis, omnique
„ veſte detracta eum alia induit, & cum aliis ſanctis
„ viris, qui adſunt, cum eam ſalutavit, participem fa-
„ cit divinorum myſteriorum. „ Quod vero de Monialium inauguratione dixi, ex libro Sacramentorum Gregorii deſumpſi (*). Eum conſulat Lector.

(z) Ibidem cap. 6. p. 2. Sequor autem interpretationem Gretſeri, quæ viſa eſt perſpicua. Corderii explicatio ſi magis placeat, eâ utere.

(*) *de benedict. Veſt. Virginis*. pag. 173. edit. Menardi.

XV.

XV. Extremæ unctionis Sacramentum Cruce non caruiſſe, ea generalia monita, quæ in Capitis initio ſtatuimus, demonſtrant (*). Hic illa recole. Adde, ſi vis, ea quæ docent monumenta a Martene recenſita (*).

XVI. Matrimonium quoque ſine Cruce non fuiſſe adminiſtratum, ex generalibus illis monitis, quæ jã recenſui, (*a*) diſcimus: ex eo etiã aſſequimur, quod ſine benedictione Sacerdotali non peragebatur. [*b*] Porro benedictiones, Crucis ſigno plerſique peragi conſueviſſe certa res eſt. (*) Quod ſi exemplum hujuſce moris quæris, illud tibi præbebit Marcus in vita S. Porphyrii, cujus verba recitare hic libet: ,, Eudoxia, Arcadii Imperatoris uxor, nos acceſſit (*inquit Marcus Gazenſis* (*c*), & nobis occurrit in ,, porta cubiculi, portans infantem [*Theodoſium*] in purpura. Inclinavit verò caput, dicens: Benedicite ,, Patres mihi, & filio, quem donavit Dominus per ,, ſanctas veſtras preces. Infantem quoque tradidit, ,, ut ipſum ſignarent. Sancti autem Epiſcopi & ipſam, & infantem ſignarunt ſigno Crucis. ,, Sed ſi expreſſiſſima vis benedictionis ſponſis per ſignum Crucis impertitæ exempla, ea tibi præbebit Martene, [*d*] quem conſulas, velim.

[*] §. 2. & 5.

(*) *de antiq. Eccl. riti.* li. 1. cap. 7. ar. 4. quem legas, velim.

(*a*) §. 1. 2., & 3.

(*b*) *Eccleſia conciliat, confirmat oblatio & benedictio Angeli.* Tertull. lib. 2. *ad uxorem* cap. 8. Adde, ſi vis, ſcriptores eos, quorum meminit Gretſerus to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 17.

(*) Vide quæ ex vulgato Alcuino §. 16. capitis ſubſequentis, id eſt 5. allegabimus.

(*c*) *in vita S. Porphyrii* apud Surium 26. Feb. ſed quæ hic allegantur, habes pag. 1008. to. 1. Apud Bollandum pag. 653. tom. 3. Februa. cap. 6. n. 45. *vita S. Porphyrii.*

(*d*) *de antiq. Eccl. riti.* lib. 1. cap. 9. ar. 5.

C A P. III.

De Myſteriis in Crucis ſigno comprehenſis, ubi diligenter, copioſeque de iis agimus verbis, quæ comitari illud ſolent.

I. TRia conſiderari poſſunt in ſigno Crucis, quod manu deſignare in fronte ac reliquo corpore ſoliti ſumus: Crux ipſa; modus, quo illa efformatur; verba, quæ comitari ſignum illud ſolent. Atque hæc quidem omnia myſteriis minime vacare, ex Sanctis Patribus didicimus.

II. Ut a Cruce ipſa exordiar, in Crucis ſigno præſtantiam, ac qualitatem divinæ caritatis indicari, Augu-

ſtinus edocet, cujus verba tametſi nonnihil obſcura ali-
quibus videantur, referre tamen juvat: (*a*) „ Herba hæc
„ (*) mitis & humilis eſt, & nihil fortius & pene-
„ trabilius ejus radicibus; ut in caritate radicati & fun-
„ dati poſſimus comprehendere cum omnibus Sanctis,
„ quæ ſit latitudo & longitudo & altitudo & profun-
„ dum, id eſt crucem Domini; cujus latitudo dicitur
„ in tranſverſo ligno, quo extenduntur manus; longi-
„ tudo a terra uſque ad ipſam latitudinem, quo in ma-
„ nibus & infra totum corpus affigitur; altitudo a
„ latitudine ſurſum uſque ad ſummum, cui adhæret
„ caput; profundum vero quod terræ infixum abſcon-
„ ditur. „ Hinc vero pietatem in eo ſigno inhæren-
tem his verbis deſcribit: „ Quo ſigno crucis, omnis
„ actio Chriſtiana deſcribitur, bene operari in Chriſto,
„ & ei perſeveranter inhærere, ſperare cæleſtia, ſacra-
„ menta non profanare. Per hanc actionem purgati
„ valebimus cognoſcere etiam ſupereminentem ſcientiæ
„ caritatem Chriſti, qua æqualis eſt Patri, per quem
„ facta ſunt omnia, ut impleamur in omnem plenitudi-
„ dinem Dei. „

III. Sed adducere etiã præſtat, quæ idem Auguſtinus ali-
bi (*b*) copioſius tradit: „ Et tamen ea ſignificari recte
„ intelligitur, quod ait Apoſtolus, quæ ſit latitudo &
„ longitudo & altitudo & profundum. Lata eſt quip-
„ pe in tranſverſo ligno, quo extunduntur pendentis
„ manus: & ſignificat opera bona, in latitudine carita-
„ tis: longa eſt a tranſverſo ligno uſque ad terram, ubi
„ dorſum, pedeſque figuntur; & ſignificat perſeveran-
„ tiam in longitudine temporis uſque in finem: alta
„ eſt in cacumine, quo tranſverſum lignum ſurſum ver-
„ ſus exceditur; & ſignificat ſupernum finem, quo cun-
„ cta opera referantur; quoniam cuncta, quæ latitudi-
„ ne ac longitudine bene ac perſeveranter fiunt, pro-
„ pter altitudinem divinorum facienda ſunt præmiorum:
„ profunda eſt in ea parte qua in terra figitur: ibi
„ quippe & occulta eſt, nec videri poteſt, ſed cuncta
„ ejus apparentia & eminentia inde conſurgunt; ſicut
„ bona noſtra de profunditate gratiæ Dei, quæ com-
„ prehendi ac dijudicari non poteſt, univerſa proce-
„ dunt. „ (*) Potentiam ſuam in Cruce maxime
manifeſtaſſe, & eximiam adverſus Dæmones victoriam,

&

(*a*) 2. de doctri. Chriſ. cap. 41. alias n. 62.
(*) (hyſſopus.)

(*b*) n. 5. tractatus 118. in Joannem.

(*) Eph. 3. 18.

& propterea Crucem in ſignum elegiſſe innuit idem Auguſtinus n. 4. tractatus 36. *in Joannem*, & n. 2. tractatus 3. ejuſdem tituli. Auguſtinum præceſſerat Chryſoſtomus in eo, quem *de Chriſti divinitate* ſcripſerat libro, numeris 8. 9., & 10., quos conſule (c).

IV. Nec minus huc pertinet ſermo ille, qui olim Auguſtino adſcribebatur, eratque 19 *de Sanctis*: nunc vero in appendicem rejicitur (d). Ne illius verba referam, præſcripta brevitas facit. Loca ea tamen conſulat Lector, quæ in margine noto (e). Alia Patrum loca ſi cupis, ea tibi facile præbebunt Theologi (f).

V. Venio ad modum, quo Crucis ſignum efformatur. Signum Crucis manu in fronte, ac reliquo corpore factum, noſtræ fidei profeſſionem quandam eſſe, indubitata res eſt: cujus qualitates ut aliqui exprimerent, diverſos ejuſdem ſigni formandi modos inſtituerunt. Armeni, ut *Monophyſitas ſe eſſe oſtenderent, digito uno a læva dextram verſus, ſe ipſos conſignabant* (g). Hinc, cum quidã Latini viſi fuiſſent ea ratione Crucis ſignum facere: erroris Monothelitarum ſunt accuſati (h). Temere tamen: ea enim ſigni Crucis formandi ratio, ſi alia deſint, minime facit, ut qui ea utitur, Monothelitis accenſeri poſſit: alias Monothelitis debuiſſent annumerari Epiſcopus ille Donatus, de quo hæc habet Sozomenus (i): *Signum Crucis adverſus ipſum* (*) *aeri digito impreſſit*: Marcianus quoque, de quo Theodoretus (k): *Digito figuram Crucis expreſſit*: Amantius, de quo Gregorius (l): *Virtute crucis, quam Vir Dei digito ediderit*: Julianus Boſtrenſis, de quo Joannes Moſchus (m): *Ter digito ſuo ſignans Calicem*, atque adeo Joſephus ille ex Judæorum Principe, Comes: etenim hic (n) *Crucis ſignaculum proprio ſuo digito ſuper vas fecit &c.* Et nos ſane, qui remotiſſimi a Monothelitarum errore ſumus, interdũ ſignum Crucis pollice facimus: Pontifex enim pollice chriſmate delibuto Crucis ſignum in fronte confirmatorum imprimit: pollice item Sacerdos in nuper baptizati ſcapulis Crucem ex ſacro oleo facit: nec abſimilis eſt ritus ille, quo *extremam unctionem* conferimus. Ceterum ſive, ut hanc accuſationem declinarent, ſive, ut expreſſius tres Trinitatis perſonas ſe fateri declararent Latini, tribus digitis Crucis ſignum interdum ef-

(c) pag. 560. to. 1. edit. Mont fau.

(d) 247. in edit. Patrum S. Mauri.

(e) n. 4. 5. & 7.

(f) Afferri præ ceteris ſolent Nyſſenus, orat. *in Chriſti reſur.* pag. 306. to. 3. Hieronymus in c. 3. epiſ. ad Ephe. ad verſ. 17. *Ut poſſitis comprehendere &c.* Auguſtinus in ſerm. *de cataclyſ.* (quem tamen ſermonem multi Auguſtino demunt) n. 8. &c. pag. 607. to. 6. Op. Auguſ. Recole etiam, quæ §. 13. capitis 2. attulimus.

(g) Nicepho. lib. 18. hiſto. cap. 53.

(h) Vide quæ ex probatis Scriptoribus adducit Gretſerus to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 1. §. *reperi &c.*

[i] lib. 7. cap. 26.

(*) (Draconem.)

(k) in *Marciano* cap. 3.

(l) 3. *Dialogo.* cap. 35.

(m) in prat. Spirit. cap. 94.

(n) Epiphan. hære. 30. quæ eſt Ebionitarum n. 12. edit. Petav.

formari juſſerunt. *Tribus digitis* (inquit Innocentius III. (o)) *Signum Crucis exprimendum eſt, ita ut a ſuperiori deſcendat in inferius, & a dextera tranſeat ad ſiniſtram.* Tamen hunc quoque morem a Latinis omnibus fuiſſe obſervatum, minime ſcimus: noverant enim, Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium ſatis exprimi, cum verba illa adjungerentur: *In nomine Patris &c.*

VI. Sed ut in modo, quo Crucis ſignum agitur, conſiſtamus, Rutheni, & Moſchi ad ſiniſtram finiunt Crucem, quia ut Filium ad dexteram Patris, ita Spiritum Sanctum a ſiniſtris ſedere credunt. Quæ conſideratio, ut recte inquit Gretſerus, ex rudi quadam imaginatione profecta, merito piis diſplicere poteſt, tamquam parum conveniens Altiſſimo Sacroſanctæ Trinitatis Myſterio. Innocentius tertius (p) eundem morem ſervatum fuiſſe a Latinis, iis ipſis verbis innuit, quæ nuper attuli (q), hæc ſubjungens: *Quia Chriſtus de cœlo deſcendit in terram, & a Judæis tranſivit ad gentes.* Id tamen apud omnes non fuiſſe uſitatum, ſubſequentia ejuſdem Innocentii verba declarant: *Quidam tamen ſignũ Crucis a ſiniſtra producunt in dexteram.* Atque hunc poſtremum morem in Latinis reprehendit Græculus quidam, referente Gretſero, quo interprete utor: (r) *Uno digito faciem conſignant a ſiniſtris in dexteram deſinentes*; ceterum utrumque morem fuiſſe a Latinis ſervatum, indicat Caleca, (ſ) ad quem Lectorem allego: cujus quidem conſuetudinis, & diſtributæ Trinitatis Sanctæ per ea membra invocationis traditas vidi ab Optimo noſtro Archiepiſcopo, & Cive, Cardinale Paleoto, præclaras rationes (t) quas pariter inculcat præſtantiſſimus Bellarminus (*). Ad hos Doctores Lectorem delego. Veniamus ad verba, quæ comitari ſignum illud ſolent.

VII. Atque ea quidem formula, qua in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis nos ſignum Crucis agere ſignificamus, celebrior ceteris viſa eſt: cujus, ſi libros de Eccleſiaſtica Hierarchia Dionyſio Areopagitæ tribuis, exemplum habes Sanctis Apoſtolis coævum; Etenim in Eccleſiaſtica Hierarchia de Monaſtica inauguratione agens hæc ait: (*) *Sacerdos ſigno Crucis etiam conſignatum tondet, appellans tres Perſonas divinæ Beatitudinis.* Sed certe tribus ipſis prioribus Eccleſiæ ſeculis illud fuiſſe in uſu, ex eo putant multi, quod hæc doceat Tertullianus: (u) *Fides obſignata in Patre, & Filio,*

(o) lib. 2. *de myſter. Miſſæ.* cap 45.

(p) allegat Gretſerus to. 1. lib. 4. de Cruce cap. 1. Poſſevinum, & Sigiſmundum ab Herbenſtain.

(q) lib. 2. de Miſſa cap. 45.

(r) loco nuper allegato.

(ſ) lib. 4. contra Græcos pag. 459. tom. 26. Biblio. Pa. Lugdu.

(t) *Doctrina Chriſtiana latinitate donata* par. 2. cap. 2. pag. 19.

[*] *Doctrin. Chriſt.* cap. 2.

(*) cap. 6. par. 2. ſub titulo: *Myſterium monaſticæ conſecrationis.*

(u) lib. 2. de Bapt. cap. 6.

lio,

lio, & Spirito Sancto. Sed præter baptiſmi formam, de qua eo in loco loquitur Tertullianus, antiquiſſimum habemus hujuſce moris exemplum in Alexandro Martyre, qui cum jam capite plectendus eſset, ſigno crucis, quo ſe munivit, verba Trinitatem Sanctiſſimam exprimentia addidit: *Totum corpus Cruce ter ſignavit, & ad Orientem verſus, Gloria, inquit, tibi ſit Deus patrum noſtrorum ... Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus* (x). Exemplum haud abſimile præſtitit Antonius Abbas; etenim de eo hæc refert Athanaſius (y): *Cum vitale ſignum in ſacro numero Trinitatis preſſiſſet in frontibus, una cum expulſis Dæmonibus vana præſentium Philoſophorum confutata eſt ſapientia*.

VIII. Morem hunc ſubſecuti ſunt procul dubio ii, qui deinceps vixerunt. Ephrem (z) hæc ait: *Quocunque pertranſis, ſigna primum In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Gregorius Turonicus hæc de S. Eugenio memoriæ prodidit: (a) *Crucem ſuper oculos cæci faciens ait: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, veri Dei, quem trinum in una æqualitate atque omnipotentia confitemur*. Rurſus (b): *In Trinitatis nomine ſignum Crucis imponens*.

IX. Eundē morem ſecutus eſt Julianus Boſtrenſis Epiſcopus, ſicut teſtatur verbis hiſce Joannes Moſchus (c): *Signanſque ter digito ſuo Calicem, & dicens: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Num referri hic recte poſſit, quod *de Conone Presbytero* narrat idem Joannes Moſchus, incertus hæreo. Locum in margine indico (*). Alia etiam adducit Veterum teſtimonia Gretſerus, ſed hæc attuliſſe ſufficiat; præſertim cum non deſint, qui putent multa Veterum loca, in quibus mentio fit ſigni Crucis facti in *Nomine Chriſti*, ſignificare ſignum crucis factum cum expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione; item ut Baptiſmus in nomine Chriſti collatus, cujus mentio ſæpe fit in Scripturis, (d) Baptiſmum cum expreſſa Trinitatis invocatione collatum indicat, quæ quidem opinio utrum veriſimilior ea ſit, quæ id negat, hic diſputare non juvat. Illud pro certo habeo, illam fortaſſe indicari *in prato Spirituali*, (*) & multa apud Veteres extare exempla ſigni Crucis *in Nomine Chriſti* facti. Aliqua ſeligo ex plurimis.

X. Vetuſtum ſane id eſt, quod de quodam Diacono ait Nyſſenus, (e) cujus ipſa verba refero: *Ille vero ſe ſigno*

(x) apud Surium 13. Maii cap. 22. pag. 592. Apud Bollandū tom. 3. Maji pag. 200. Tametſi porro hæc Acta aliquibus ſuſpecta ſint, non cōtemnenda ſunt tamen. Vide pag. 193. Bollandi.

(y) Athanaſ. de Vita S. Antonii cap. 80.

(z) In Panoplia pag. 486. to. 2. editio. Colo. an. 1675.

(a) lib. 2. hiſt. Franc. cap. 3.

(b) de Gloria Confeſ. cap. 82.

(c) In Prato Spirit. cap. 94.

(*) *Tunc Sanctus Joannes . . . ſignavit eum ter ſigno Crucis ſub umbilico &c.* (in prato cap. 3.)

(d) Act. 2. 38. &c.

(*) *Tertio ſe in terrā proſternens, & orans Deum, tertio ſignavit navim ſigno Sanctæ Crucis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti* (cap. 84.) Etenim non pauci putant trinam illam proſtrationem, & orationem ad Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas fuiſſe directam, illarumque nomina fuiſſe expreſſa. Recte ne, an non id putetur, judicet Lector.

(e) In Vita S. Greg. Thaumat. pag. 573. to. 3. Ope. Nyſſeni (Ego tamen interpretatione alia utor.)

ſigno Crucis muniens, *& Chriſti nomen invocans*, *primum conclave illæſus pertranſiit*. (*) Hic recole, quæ de Antonio Abbate jam diximus (*).

XI. Vetuſtum eſt id, quoque, quod de Joſepho Comite tradit Epiphanius (*f*): *Confirmato tandem animo*, *intra ædes adducit*; *& occluſis foribus aquam manibus hauriens*, *& amentem illum cruce conſignatum aſpergens*: *In nomine*, *inquit*, *Jeſu Nazareni Crucifixi exi Dæmon ab hoc homine*, *iſque ſanus eſto*. Similia deinceps tradit (*g*).

XII. Gregorius Nazianzenus (*h*) ſcriptis prodidit, quoſdam milites, quos vafro conſilio ad idolorum cultum perducere Julianus Apoſtata ſtuduerat, *ad aquæ poculum ſublatis oculis*, *Chriſtum cum Crucis ſigno appellaſſe*.

XIII. Martinum hæc Juliano Apoſtatæ, ipſum Martinum ſocordiæ accuſanti, quod dimiſſionem militiæ poſtulaſſet, repoſuiſſe, Severus Sulpitius (*i*) docet: *Si hoc ignaviæ adſcribitur*, *non Fidei*, *craſtina die*, *ante aciem inermis adſtabo*: *& in nomine Domini Jeſu ſigno Crucis*, *non clypeo protectus*, *aut galea*, *hoſtium cuneos penetrabo ſecurus*.

XIV. Apud Theodoretum (k) S. ſenex, qui draconem ſigno Crucis occiderat, hæc ait: *Ego autem Jeſum appellans*, *& digito trophæum Crucis oſtendens*, *omnem quidem excuſſi timorem*.

XV. Copres Presbyter (*l*) hæc de ſe refert: *Cum autem in nomine Chriſti ſignatus eſſem ingreſſus*, *flamma in hanc & illam partem diviſa*, *me nulla affecit moleſtia*. Adde quæ docet Joannes Moſchus (*).

XVI. Multo etiam poſt illa tempora in uſu fuiſſe formulam hanc, putant multi ſe eruere poſſe ex vulgato Alcuino: etenim hæc ait (*m*): *Omnia quæcunque ſanctificantur*, *hoc ſigno Dominicæ Crucis cum invocatione Chriſti nominis conſecrantur*. Atque hujus quidem nominis invocationē emolumentum non leve afferre, oſtendit Gretſerus (*). Quid vero ſi eidem invocationi jungatur Crux?

XVII. Alia Crucis ſignum comitantia verba recenſet Gretſerus: pauca hæc ſeligo. Chryſoſtomus hanc præbet (*n*). *Abrenuntio tibi*, *Satana*. *Cum ei januæ veſtibula tranſgreſſurus*, *hoc prius loquere verbum*: *Abrenuntio tibi Satana*: *cum hoc verbo & Crucem in frontem imprime*.

XVIII. Aliam formulam habemus ex Gregorio Turonico (*o*) quæ hæc eſt: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, atque ipſa quidem hujuſce Scripturis verba re-

(*) Vide etiam quæ pag. 548. ejuſdem tomi de eodē Thaumaturgho narrantur.
(*) cap. 1. §. 14.
(*f*) Hæreſ. 30. de Ebion. n. 10.
(*g*) n. 12.
(*h*) Invec. 1. in Julian. 3. in ordine pag. 85. to. 1. edi. Colon.
(*i*) In vita S. Martini cap. IV. aliàs 3.
(k) In SS. PP. hiſt. in Vita Juliani. cap. 2. pag. 424. to. 2. edi. Colon. an. 1573.
(*l*) de quo Sozom. lib. 6. cap. 28. Apud Pallad. in hiſt. Laus. ſec. 49.
(*) *in prat. ſpiri.* cap. 83.
(*m*) *de div. offi.* fer. 6. quæ & *Paraſceve* pag. 251. to. 10. Biblio. Pat. Par.
(*) to. 1. *de Cruce* li. 4. cap. 3. & 48.
(*n*) Homil. 21. ad Pop. Antioc. Ea porro homilia, quam hic allegat Gretſerus, ea ipſa eſt, quam *Catechesim* II. inſcripſit Montfaucon. Verba porro hæc habes in fine catecheſis, n. 5. pag. 244. to. 2.
(*o*) In Vit. SS. PP. cap. 10.

recitare hic placet. „ Atque irridendo, Beatum Friardum alloquuntur doloſe, dicentes: Veniat benedictus, veniat religioſus, qui orare non deſinit, qui crucem auribus & oculis ſemper imponit, qui viis itineris ſui ſalutaria vexilla præmittit: ipſe metat ſuper examen,(*) ipſe eum ſua oratione miteſcat. Tunc quaſi ad confuſionem Dominicæ virtutis hæc verba ſuſcipiens, provolutus terræ orationem fudit ad Dominum; & accedens, facto deſuper ſigno crucis, ait: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*. Ad hanc ejus orationem confeſtim omnes veſpæ ſe infra antrum, unde egreſſæ fuerant, abdiderunt. „

(*) veſparum.

XIX. Aliam pariter Verborum Crucis ſignum comitantium formulam Gretſerus hanc affert. *Benedictus Deus*, cujus duo exempla affert, primum quidem exceptum ex *Prato Spirituali*, in quo de Theodoro anachoreta hæc traditur: (*) *Signavit Mare ſigno Crucis, & ait Nautis, Benedictus Deus; haurite quantum aquæ opus habetis*. Alterũ exemplũ deſumit ex vetuſto ſcriptore(p) teſtante, quendã e Sanctis illis Patribus, qui a barbaris in Sina, & Rhaiti regione interempti ſunt, cum mortem imminere cerneret, ſignaſſe ſe Crucis ſigno, his additis tantum verbis: *Benedictus Deus*.

(*) cap. 173.

(p) Nil. *de interemptio. SS. Patr. in Sina.* Scriptorem tamen hunc nondum invenire potui: ſed eum temere non allegaſſet Gretſerus.

XX. Nolim tamen putes, has formulas ita fuiſſe pronunciatas, ut una alteram excluderet. Nimirum ille ipſe Friardus, qui a Gregorio Turonico inducitur jungens Crucis ſigno verba hæc: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, inducitur etiam hæc dicens: [q] *Si Crux Chriſti, & invocatio nominis ejus, atque adjutorium poſtulatum tantam potentiam habet, ut aſpera quæque devincat &c.* Junxit igitur invocationem nominis Chriſti, ſigno Crucis, quamvis, uti nuper diximus, hæc protulerit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*. Aut itaque ambas formulas protulit, [& Pontifex ſane ſolemnem benedictionem populo impertiturus voces illas *adjutorium &c.* cum expreſſa Trinitatis mentione jungit (r):] aut putavit Gregorius Turonicus hæc referens, unam formulam alteri æquivalere, adeo ut verba hæc *adjutorium noſtrum in nomine Domini* idem prorſus importent, atque invocatio nominis Chriſti.

[q] n. 2.

(r) Vide Pontiſ. Rom. ſub titulo *de conſecratione electi in Epiſcopum* prope finem.

CAP.

CAP. IV.

De Pietate in eo ſigno inhærente.

I. Pium eſse ritum eum, de quo agimus, plerique ex Proteſtantibus negant. Quibus oppono Dionyſium, & Auguſtinum, qui in iis, quæ alibi allegavimus, verbis (*a*), pium eſse haud obſcure tradunt: oppono Gaudentium, qui piis operibus annumerat ſignum Crucis (*b*). „ Sit domus Chriſtiani ac baptizati hominis (inquit „ ille) immunis a choro Diaboli, ſit plane humana, „ ſit hoſpitalis; orationibus ſanctificetur aſſiduis; pſal„ mis, hymnis, canticiſque ſpiritualibus frequentetur: „ ſit ſermo Dei, & ſignum Chriſti in corde, in ore, „ in fronte, inter cibos, inter pocula, inter colloquia, „ in lavacris, in cubilibus, in ingreſsu, in egreſsu, in „ lætitia, in mœrore; ut juxta beatiſſimi Pauli doctri„ nam, (*) *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive ali„ quid facitis, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti,* „ *qui vos vocavit ad gratiam, faciatis*: „ Oppono Hieronymum, ipſum quoque piis operibus ſignum Crucis accenſentem (*), oppono denique plurium virtutum exercitium cum Crucis ſigno conjunctum.

(*a*) cap. 3. §. 2. & 3.
(*b*) ſer. 1. *de lectio. Evange.* qui eſt in ordine VIII. pag. 72. edit. Brixianæ.
(*) 1. Cor. 19.
(*) in epiſto. ad Euſtoch. olim 22. cap. 16. in Veron. editione iterum 22. n. 37.

II. Non hic ago de eo ſigno, quod comitentur verba, quibus profitemur, nos id quod agimus, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ſeu invocata Sanctiſſima Trinitate, agere: etenim id procul dubio profeſſionem fidei, & ſubjectionem noſtram erga divinam Trinitatem continet. Siſto porro in ſigno ipſo accepto quatenus ſignum Chriſti eſt: quo de argumento alibi egimus (*c*). Atque illud quidem ad ſignificationem hanc reſtrictum, quis pium eſse negabit? An pium eſse negabis, Chriſtianam Religionem profiteri, teque Jeſu-Chriſti pro nobis Cruci affixi diſcipulum, atque aſseclam declarare? Porro id agis, cum Crucis ſignum adhibes. Num ea de re dubitas? Ecce tibi Euplii, aliorumque etiam Martyrum, & Conſtantini M. exemplum: (*) hi enim, ut

(*c*) diſs. 9. cap. 49. & rurſus cap. 2. hujuſce ſectionis §. 7. in annot. 2.
(*) cap. 1. §. 12. & 15.

ut ſe Chriſtianos eſſe profiterentur, ſigno Crucis ſe conſignarunt. (*d*) Hinc a fide defecturi crediti ſunt ii, qui *Gentilium Urbes ingreſſi, religione expoſcente, Crucis ſignum fronti imponere recuſarunt* (*); Catechumeni, ut ſe Chriſti religionem, ac dogmata ſequi declararent, ſigno Crucis ſe conſignabant. Multa Patrum dicta eò reſpicientia adducit Gretſerus, (*e*) quem conſule. Pro millibus mihi ſit Paulinus Petrocorius, qui ut ſignificaret, Martinum in ipſo adoleſcentiæ flore voluiſſe inter Catechumenos recenſeri, hæc ait (*f*):

Vix etenim decimo ſenior jam moribus anno,
Tranſiit ad ſacram conſtanti pectore legem,
Signavitque Crucis ſanctam munimine frontem.

III. Quo conſtituto, probe noſti, cur Chriſtiani blaſphemiam aliquam, aut pravum conſilium audientes, ſigno Crucis ſe munire conſueverint: ea ſcilicet ratione oſtenderunt, ſe Deum venerari ac colere, ſuumque obſequium, Crucis ſigno manifeſtatum, aliorum impietati opponere. Hujus conſuetudinis exempla ſi quæris, ea perquire in Gretſero (*g*).

IV. Eodem facile ſpectat, quod ajunt alii: per ſignum Crucis frontibus noſtris impreſsum manifeſto ſignificari, nos non in hominibus ſpem, & gloriam noſtram collocare, ſed tantum in Chriſto Cruci pro nobis affixo. Conſule quæ tradit Auguſtinus n. 5., & 6. ſermonis 160. (*h*) Palam ſane in eo ritu eminet invocatio quædam Chriſti, & imploratio præſidii ejus, & ita objicitur potentia illius potentiæ Dæmonis, & reliquorũ hoſtium noſtrorum. Ea fere omnia, quæ capite I. attuli, ad hoc ipſum caput deduci facile poſsunt. Recole obſecro, quæ §. 7. 11. 17. 21. 22. 23. & 24. diximus.

V. Quo quidem ſtabilito, mirum non eſt, ſi ſubito terrore correpti Chriſtiani etiam vetuſtiſſimi, Crucis ſigno ſe munierint: quod diſcimus ex n. 17. Actorum S. Theodoti, quæ jam allegavimus; cui quidem exemplo ſimilia alia plurima habemus, quæ referre non vacat (*i*); inter quæ recenſere merito id poteris, quod §. 6. capitis V. adducemus.

VI. Præter affectum miſerationis, pietatiſque erga Chriſtum, ſpem ſalutis obtinendæ in nobis acuit, atque adeo ad Chriſti Cruci affixi imitationem ſignum iſtud nos accendit, & veluti exſtimulat: ſuſcitat enim in nobis cogitationem Chriſti in Carne paſſi,

(*d*) Recole, ſi vis, ea, quæ diximus §. 11. 15. 16. 21. & 24. capitis I. ea pariter vide, quæ docet Cyrillus Hieroſo. n. 22. & 36. Catech. XIII. Ea denique quę tradit Gretſe. to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 20.

(*) Euſebius Pamphili, ſi is auctor eſt ſermonis *de mandato Domini &c.* quem cum aliis Sirmondus edidit, & Euſebio tribuit. Vide to. 1. Oper. Sirmon. pag. 118.

(*e*) to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 12.

(*f*) lib. 1. *de Vita S. Martini* in ipſo fere initio.

(*g*) to. 1. *de Cruce* libro 4. cap. 24.

(*h*) aliàs 11. inter editos ex Cartuſiæ m. s.

(*i*) Vide quæ tradit Gretſerus. cap. 25. libri nuper allegati.

ſi, ideoque, quum nos eo conſignamus, id aſsequimur, ad quod hortatur Petrus, cum ait (k): *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini.* Nimirum oculis mentis aſpicientes *in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*, merito ſperamus, minime defuturum nobis auxilium, illius qui *in redemptionem noſtram* ſe dedit: quin etiam, *ut ſequamur veſtigia ejus* (l), aculeos quoſdā nobis addit, dū per frequentem hujus ſigni conſuetudinē *recogitamus eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemur animis noſtris deficientes*. (*)

(k) 1. Pet. 4. 1.

(l) 1. Pet. 2. 21.

(*) Heb. 12. 3.

VII. Eandem ob cauſam Auditores ſuos hortatus eſt Chryſoſtomus, ut, ſi quando contumelia aliqua, aut dicto injurioſo afficerentur, ſtatim pectus ſuum Cruce ſignarent. „ (*) Vituperando quis te perſequitur? crucis ſigno ſtatim „ pectus ſignato; recordare omnium, quæ tunc geſta „ ſunt (*in paſſione Chriſti*), & confeſtim omnia ex- „ tinguuntur.„ Invocatio ſcilicet quædam divini auxilii hæc eſt, & memoria quædam eorum, quæ pro nobis paſsus eſt Chriſtus, cui inflictas injurias dum mente repetimus, nobis illatas minime ulciſcimur.

(*) Veteri interpretatione utor: ſi ea magis placeat, quam proponit Montfaucon, conſule n. 2. homi. 87. aliàs 88. in Matth. pag. 820. to. 7.

VIII. Hæc, quæ a SS. Patribus excepi, eorum verbis confirmare ſi vellem, infinitus propemodum eſsem. Unum ſeligo Cyrillum, qui hæc fere omnia attingit: Audite ergo ſic diſserentem. (m) „ Univer- „ ſorum Salvator, ... ſeipſum humiliavit, „ formam ſervi accipiens, contemptaque ignominia, „ crucem ſuſtinuit, ut corruptionis aboleret poten- „ tiam, unus pro omnibus mortuus & excitatus, ut a „ mortis laqueis humanum eriperet genus, ... „ ut legem in membris corporis ſævientem ſedaret, & „ ſpiritualis faceret adoratores, mortuumque faciens „ in nobis ſenſum carnis, filios efficeret Dei eos, qui „ in ſe crediderunt, & ſanctificaret per ſpiritum; ut „ tyrannide in omnes ſpoliaret Satanam malorum au- „ ctorem. Hæc omnia recordari nos facit ſalutare li- „ gnum, & ſuadet, ut cogitemus, quod, ſicut dicit „ divinus Paulus (*), *unus pro omnibus mortuus eſt, ut vi-* „ *ventes non ſibi ipſis ultra vivant; ſed ei, qui pro ipſis* „ *mortuus eſt.*„ Ob hanc, aut certe affinem ob cauſam Paula gravi morbo oppreſſa *os, ſtomachumque ſignabat, & matris dolorem Crucis nitebantur impreſſione delere*, mortique proxima *digitum ad os tenens, Crucis ſignum pingebat in labiis.* (*)

(m) 6. adverſ. Julianum: Vertente OEcolampadio, cujus interpretatione utitur etiam Gretſerus to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 5.

(*) 2. Cor. 5. 15.

(*) Hierony. epiſt. olim 27. cap. 10. & 13. in Veron. edit. 108. n. 20., & 28.

CAP.

C A P. V.

De Utilitate ſigni Crucis manus motione formati.

I. SI pietas ad omnia utilis eſt, quod nos apertiſſime Apoſtolus docuit (*a*), quis dubitare merito poterit, num utile nobis ſit illud Crucis ſignum, in quo non exiguam pietatem ineſſe oſtendimus? Tamen ſi cogis, ut ſingillatim emolumenta ipſa recenſeam, quæ ex eo ſigno nobis proveniunt, parebo libens, eaque cum Magno Viro Gretſero (*b*) ad tria ſuprema capita revocabo. Terret Dæmones, ideoque illos in fugam vertit: inſtrumentum quodammodo eſt ceteris uſitatius ad efficienda miracula, & beneficia largienda: ea ſanctificat, quibus imprimitur. Hæc omnia exemplis aliquibus (neque enim cuncta referre vacat) confirmabo. A primo exordiamur.

II. Quantum virium adverſus Dæmones habeat Crucis ſignum, declarat apertiſſime auctor libri *de morte perſecutorum*: cauſam enim exponens, cur Diocletianus antea in Chriſtianos male non animatus, perſecutionem ſæviſſimam moverit, hæc ait: (*c*) „ Cum „ ageret in partibus orientis, ut erat pro timore ſcru„ tator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in „ jecoribus eorum ventura quærebat. Tum quidam „ miniſtrorum ſcientes Dominum, cum adſiſterent im„ molanti, impoſuerunt frontibus ſuis immortale ſi„ gnum; quo facto, fugatis dæmonibus, ſacra turbata „ ſunt. Trepidabant aruſpices, nec ſolitas in extis no„ tas videbant, &, quaſi non litaſſent, ſæpius immo„ labant. Verum identidem mactatæ hoſtiæ nihil oſten„ debant, donec magiſter ille aruſpicum Tagis, ſeu ſu„ ſpicione, ſeu viſu, ait, idcirco non reſpondere ſa„ cra, quod rebus divinis profani homines intereſſent. „ Tunc ira furens, ſacrificare non eos tantum, qui ſa„ cris miniſtrabant, ſed univerſos, qui erant in pala-

(*a*) 1. Timo. 4. 8.

(*b*) to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 36.

[*c*] n. 10.

„ tio, juſſit, & in eos, ſi detrectaſſent, verberibus animadverti, datiſque ad præpoſitos litteris, etiam milites cogi ad nefanda ſacrificia præcepit, ut, qui non paruiſſent, militia ſolverentur. „ Atque ad hæc quidem, niſi fallimur, intendit animum Lactantius cap. 27. libri 4. *inſtitut.* quem quidem locum adeat Lector.

III. Similia alia ſi vis, potentiæ ſigni Crucis adverſus Dæmones exempla, facile dabo: & ut ab eo exordiar, quod primum memoravit Lactantius (*d*); nempe a vi eoſdē Dæmones ab obſeſſorum corporibus expellendi, ea recole quæ ex Vita Divi Antonii jam deſumpſimus (*). Exempla alia tibi præbebit Gretſerus (*e*). Si vero alia cupis vis exercitæ a Signo Crucis in Dæmones invocatos, & magica cuncta veneficia, ea conſule quæ de Juliano Apoſtata tradunt Prudentius (*f*), Nazianzenus, (*g*) & Theodoretus (*h*).

IV. Profecto non minus perſpicue, quā vere, hæc pronunciavit Athanaſius (*i*): „ Signo crucis omina magica compeſcuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola univerſa deſerta relinquuntur. „ *Et infra:* (k) Veniat qui iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præſtigiis Dæmonum, & impoſturis vaticiniorum, & in miraculis Magiæ utatur ſigno crucis ab ipſis deriſo, nomen Chriſti invocet, & videbit, quomodo ejus rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, Magiæ & veneficia irrita jaceant.

V. Hanc tamen in Dæmones vim nolo reſtringas ad ea, quæ nuper diximus: generatim eos per Signum Crucis in fugam verti, eorumque minas & ſubdolas artes & vinci, & eludi, ea comprobant Veterum loca, quæ adducit Gretſerus. (*l*) Ea conſulat Lector. Addere etiam, ſi vis, ea poteris, quæ cap. 43. 44. 45., & 46. ſæpe allegati libri 4. Gretſeri habentur. Præclariſſimum ſane id eſt, quod hoc in argumento Hieronymus edocet (*).

VI. Nunc porro mirum non eſt, ſi ad ſpectra & Dæmonum infeſtationes abigendas, ad ſignum crucis confugerint vetuſti Patres. De Sancto Antonio hæc ait Hieronymus (*m*): *Viſo Hypocentauro, ſalutaris impreſſione ſigni armat frontem*: Mirum quoque non eſt, ſi ad noxias cogitationes abigendas, crucis ſigno ſe munierint. Etenim ut Prudentii verbis utar: (*n*)

Crux pellit omne crimen;
Fugiunt Crucem tenebræ.

Tali

(*d*) *Quatenus adjurati per Chriſtum, de corporibus, quæ obſederint, fugiant.*

(*) cap. 1. §. 14.

(*e*) cap. 41. libri 4. tomi 1. *de Cruce* pag. 393. edit. Ratiſ.

(*f*) In Apotheo. poem. 3. v. 129. *Principibus tamen &c.*

(*g*) Orat. 1. contra Julian pag. 71. edit. Colon.

(*h*) lib. 3. hiſto. c. 3.

(*i*) lib. *de Incarna. verbi.* Quem quidem librum, quidquid ſecus ſentiant alii, Athanaſio tribuit Tillemont to. 8. tit. *de Athanaſio* §. 119. ideſt poſtremo. Verba hæc, ſed aliter translata, reperi n. 47. pag. 88. to. 1. editio. S. Mauri.

(k) n. 48. pag. 89.

(*l*) lib. 4. cap. 39. & 40.

(*) in epiſt. *ad Demetria.* olim 8. cap. 6. in Vero. edit. 130. n. 9. *Crebro ſignaculo Crucis &c.*

[*m*] *In Vita S. Pauli Eremitæ* num. 7. Alii exempla, & veterum loca ſi cupis, ea conſule, quæ collegit Gretſerus cap. 27. libri 4.

(*n*) *Chath.* Hymn. 6. verſ. 131.

Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.

& Dæmonis aſtu cordi, & ſenſibus noſtris immiſſæ peſſimæ ſuggeſtiones, ſalutaris hujus ſigni virtute diſſipantur & abeunt. Recole quæ ex Chryſoſtomo, Hieronymo, & Prudentio paulo ante attulimus (*o*).

VII. Quod vero diximus: *inſtrumentum eſſe Crucem ad efficienda miracula*, iis innititur propemodū infinitis exemplis, quæ ex veterum ſcriptis collegit Gretſerus. (*p*) Quamvis porro nonnulla in Criticorum reprehenſionem inciderint, negari tamen minime poteſt, multa indubitata cenſeri, atque illa inprimis, quæ teſtes habent Chryſoſtomum (*q*), Nyſſenum, Auguſtinum, & Theodoretum, præclaros viros, quique ſe decipi non permiſiſſent. Nec ea contemnas, quæ Sulpitius Severus (*r*) ſæpe tradit. Ego hic unicū profero, quod deſumo ex Evodio (ſi is eſt auctor librorum, qui *de Miraculis S. Stephani* inſcribuntur): illud vero libet ipſis exponere verbis, quibus idem ſcriptor enarrat (*): *Deinde quodam ingreſſo juvene, candida veſte nitente, habitum diaconi præferente .... Tunc ille ſigno ſalutari cor jacentis ſignavit, eique dixit: Surge jam ſalvus. Et ſurgens, ſicut dictum eſt, ſalvus effectus eſt*. Num hic locum habeant ea, quæ Joannes Moſchus ſcriptis prodidit (*), judicet Lector.

VIII. Supereſt tertium quod dixi, nempe *ſignum Crucis ea ſanctificare, quibus imprimitur*. Atque ea hic recoli velim, quæ alibi ex Chryſoſtomo attuli. (*ſ*) Hinc merito Chriſtiani crebro utebantur eo ſigno, eoque panem, & reliqua obſonia benedicere & veluti ſanctificare ſtudebant. Exemplum hujuſce conſuetudinis tibi præbent Nazianzenus, (*t*) & Theodoretus (*u*). His alia veterum loca adjungere ſi vis, ea hic quoque conſule, quæ Gretſerus tibi præbebit (*x*).

(*o*) Homil. 55. in Matthæum cap. 1. §. 21. Alia plurima Veterum loca tibi ſubminiſtrat Gretſerus cap. 28. libri 4.

(*p*) ibid. cap. 49. 50. 51. & ſeqq.

(*q*) cap. 1. §. 21. *Hoc ſignum & Majorum noſtrorum tempore &c.*

(*r*) cap. 10. aliiſque locis *Vita S. Martini*. *Manu ſignum ſalutis opponit &c.*

(*) lib. 1. cap. VI.

[*] *in prato Spirit.* cap. 3.

(*ſ*) cap. 1. §. 6.

(*t*) Orat. 1. contra Julianum pag. 85.

(*u*) lib. 3. Hiſt. cap. 16. aliàs 17.

[*x*] lib. 4. cap. 28.

CAP.

CAP. VI.

Diſſolvimus paucas quaſdam Proteſtantium objectiones.

I. AT adhuc aliqua extant, quæ præterire non poſſumus, ne videamur adverſariorum ſcrupulos negligere. Scilicet rurſus monent, fieri non poſſe, ut Dæmones Crucis ſignum fugiant, qui in veneficiis, & incantationibus Crucem adhiberi cupiunt. Neque vero ſimile veri eſt, Deum ſinere abuti præſtigiatores eo, quod (Pontificiorum quidem ſententiâ) enixiſſime diligit, & coli vult, ſigno. Itaque ſi interdum a Cruce Dæmones refugerunt, propterea aufugiſſe dicendi ſunt, quod quiſque ab illius rei conſpectu abhorret, & avertitur, quam turpem judicat, & abominandam. Utinam ergo vel Dæmone ipſo Magiſtro, cujus terriculamenta perperam jactitant, diſcerent Pontificii, non Crucem colere, ſed deſpicere, atque odio habere, & contemptui.

II. Quærunt etiam a nobis iidem Proteſtantes, quanam ratione Crux fuget Dæmones, & miracula edat. An (inquiunt) ſancti aliquid, aut virium adverſus Dæmones ineſt in ea manu, quæ ſignum exprimit? an potius in aere, aut in ea corporis parte, ſuper qua evanidum iſtud ſignum expreſſum eſt. Vah nimis ſtupidos Pontificios, qui hæc ſentiunt, & rudi vulgo ſentienda propinant! Fidei tribuendum eſt, ſi quod horum evenit, non ſigno Crucis; & revera fidei tribuit fugam Dæmonum Athanaſius, quum fugatos ab Antonio Dæmones narrat. Id vero tanto vehementius urgetur, quanto certius eſt, Pontificios ipſos ſola Sacramenta in eorum numero ponere, quæ gratiam, & ſanctitatem ex *opere*, ut ajunt, *operato* conferunt, & fateri miraculorum operationes inter *gratias gratis*, uti appellant, *datas*, eſſe recenſendas, ideo-

ideoque nulli ſigno alligatas, quo utantur, quum libet, homines; quibus ſane indiſcriminatim gratiæ curationum conceſſæ fuiſſent, ſi conceſſum fuiſſet indiſcriminatim Cruce uti; obſiſtente tamen Apoſtolo Paulo, qui gratiam curationum inter ea enumerat, quæ pauciſſimi ſunt conſecuti (*). Hæc ſunt in ſumma potiora contra hactenus dicta, argumenta.

(*) *Alii gratia Curationum &c.*

III. Atque ad hæc quidem in promptu reſponſio eſt. Dubitatur a multis, num ſignum Crucis in veneficiis adhiberi poſſit. Qui fatentur, poſſe eo abuti Veneficos, ab iis ſignum Crucis cum deteſtatione, & execratione adhiberi ajunt. Neque vero eo tantum abutuntur, ſed Sacramentis ipſis, atque adeo ipſo Sacramentorum auctore in Euchariſtia realiter exiſtente, id Deo propter altiſſimas, ſed nobis ignotas cauſſas, permittente, ſicut olim permiſit Judæos abuti ad idololatriam eo ipſo Serpente æneo, quem ad ſalutem, curationemque Hebræorum erigi juſſerat (*): ſed rariſſima ſunt (ſi qua ſunt) hujus generis exempla. Et de iis, ſi quando occurrunt, pronunciandum id eſt, quod protulit Auguſtinus (*): *Maluit* (Deus) *de malis bona facere, quàm mala nulla eſſe permittere* (*a*). Hic paucis dicam, noluiſſe Deum juſto judicio ſuo eos juvari, qui rebus ab ipſo ad hominum emolumentum inſtitutis, datâ operâ abutuntur. Sic ii non juvantur a Sacramentis, qui illa in perniciem vertunt ſuam, & Dæmon ipſe, qui Sacramenta pavet, minime pavet, ſi abuteris: immo propior illis fit, qui polluto animo ad puritatis fontem accedunt. Si vis ergo Crucem tibi eſſe utilem, cum illa adhibe reverentia, qua Deus te adhibere illam jubet, aut ſaltem ea non abutere; nam ſi id fiet, aſpidem in pane invenies.

(*) 4. Reg. 18. 4.

(*) Enchiri. cap. 27. n. 8.

(*a*) Vide caput 47. lib. XV. Gretſeri.

IV. Cur refugiant Dæmones a Crucis conſpectu, quæritur a Theologis. Inepta eſt ſane explicatio illa, quam Brentius, aliique, quorum verba Gretſerus refert (*b*), adducunt, dum monent, fugam iſtam & averſionem Dæmonum fictam eſſe atque ementitam; cum enim velit Dæmon ſuperſtitionem in ſigno Crucis poſitam fovere, ſe ab eo terreri ſimulat. Quis enim putet, voluiſſe Dæmonem inde fugam capere, ubi cupiebat vel maxime adeſſe; & cum etiam probe videret,

(*b*) lib. 4. cap. 37.

ſu-

fugam illam non leve indicium eſſe imbecillitatis ſuæ, & terroris ſibi incuſſi? (*) Sane ob fugam illam Judæus, cujus meminit Gregorius Magnus, (c) Religionem Chriſtianam veram agnovit & coactos, ut fugerent ab eo ſigno, perſpexit Dæmones. Sed de vi Dæmonibus per ſignum Crucis inflicta, & horrore iis impacto nos dubitare non ſinunt Chryſoſtomi, aliorumque Patrum verba, & quotidiana experientia.

[*] Recole quæ §. 2. & ſubſeq. capitis V. diximus.

(c) lib. 3. Dialog. cap. 7.

V. Ut ergo ad propoſitum revertamur, multam operam impenderunt Theologi noſtri, ut cauſam adducerent, ob quā Dæmones ad ſignum Crucis fugiant. Seligo quod Gretſerus diligentius, fuſiuſque expoſuit. (*) Scilicet refugiunt eo terrore perciti, quo quis corripitur, cum haſtā, qua graviter ſauciatus eſt, vel locum videt, ubi diris pœnis excruciatus eſt. Signum Crucis in memoriam Dæmonibus revocat inſtrumentum illud, quo ſunt ſubacti, quo Chriſtus in libertatem adſcivit humanum genus, *& mors mortem ſuperavit in æternum*. Eandem rationem indicat Chryſoſtomus, quem jam attuli (*d*). Crucifixum etiam Crucis ſigno ſignificatum diximus. Pavent ergo, & merito pavent, Crucem veluti Crucifixi vexillum, & certam notam. Id innuit Cyrillus (*e*) hæc de Cruce elocutus. *Signum eſt fidelium, & Dæmonum formido. In illo enim triumphatos eos confidenter oſtentans traduxit. Quando ſi quidem viderint Crucem, crucifixus eis in mentem venit: metuunt eum, qui contrivit capita draconis.* Alia etiam eſſe poteſt ratio nobis ignota, quæ eos torqueat ad Crucis aſpectum, ſed has adnotaſſe ſit ſatis.

(*) to. 1. *de Cruce* lib. 4. cap. 37.

(*d*) cap. 1. §. 21.

(*e*) nu. 95. Cathecheſis 13.

VI. Jam vero aſſequeris, cur Dæmones ad Crucis a Gentilibus ipſis, vel a Judæis manu formatæ aſpectum fugerint: cujus quidem rei ſi exempla cupis, ſubminiſtrabit & plurima, & indubitata nuper allegatus Gretſerus (*f*); quæ rogo conſulas. Scilicet aſpectus ipſe Crucis per ſe aptus eſt ad eos fugandos, qui eandem Crucem & Crucifixum oderunt, & pavent. *Nec mirum* (inquit Auguſtinus) (*g*), *quod hæc ſigna valent, cum a bonis Chriſtianis adhibentur, quando etiam cum uſurpantur ab extraneis, qui omnino ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentiſſimi Imperatoris, valent.*

(*f*) cap. 43. libr. 4. pag. 395. edit. Ratisb.

(*g*) libro 83. quæſtionum, quæſt. 79. n. 4.

VII.

VII. Porro his, Proteſtantium quæſita ſolvis, & dicteria refutas. Jam ſcis, unde Crucis ſignum Dæmones fuget, & miracula edat. Nempe id præſtat, quia Deus honorare ſic voluit lignum Crucis, in quo redemptio peracta eſt, atque adeo honorare etiam voluit eas, quæ eandem Crucem referrent, imagines. At advertite perſtitiſſe quidem, & adhuc perſtare virtutem fugandi Dæmones; quia hac potiſſimum indigemus; at virtutem efficiendi per Crucis ſignum miracula non omnibus eſſe conceſſam; neque enim hac indigent homines, niſi forte perraro; & tum Deus, quum opportunum duxerit, non denegabit, ſed eo quo placuerit modo, ideoque non alligato aut Cruci, aut alteri inſtrumento. Fere tamen utuntur Cruce ii, quibus id conceſſit Deus; tum quia, uti diximus, aptiſſimum eſt Crucis ſignum ad Dæmones, qui pro viribus nobis nocent, effugandos, tum etiam quia convenientiſſimum eſt, ut Crux adhibeatur, quum Crucifixi virtus expoſcitur, & invocatur. Num hæc, quæ docuimus, movere Theologum poſſint, ut doceat *ex opere operato* fugari Dæmones, (nam, uti diximus, quod ad reliqua attinet, non ineſt Crucibus omnibus certa virtus) diſſidium erit, quod ad *vocis* potius, quàm ad *rei* quæſtionem (ſic enim appellare conſuevimus) facile revocabis: mihi ſatis eſt noſſe, per Crucis ſignum repulſos Dæmones interdum fuiſſe ab iis, a quibus fides aberat (*). Fidem itaque aptiſſimam arbitror, & utiliſſimam ad Dæmones arcendos, at non certo ea expoſcitur, ut a Cruce refugiant. Hinc merito tum precibus, tum invocationi nominis Chriſti, tum ſigno etiam Crucis, eas, quas de Dæmone Antonius, aliique retulere victorias, tribuerunt Athanaſius, Sulpicius Severus, & reliqui, qui Sanctorum geſta ſcriptis prodiderunt.

(*) Recole quæ de Juliano Apoſtata, & Judæo nuper diximus.

VIII. Neque Lectorem terreat, quod etiam objecerunt (*), explicari ſcilicet minime poſſe, quanam ratione fiat, ut fugiant Dæmones ſignum illud, quod non eſt, ſed fuit; evanuit ſcilicet ſtatim ac factum eſt, immo, ut verius dicamus, evaneſcit dum fit. Non id, inquam, Lectorem terreat; etenim, ut præteream affinem difficultatem fieri poſſe in vocibus, aliiſque ſignis tranſeuntibus, quorum tamen virtus ſæpe perdurat; ſupernaturalis non eſſet virtus, ſi explicari naturali ratione poſſet.

(*) §. 2.

ſet. Sane Religionis noſtræ Myſteria, dum naturali ratione explicare ſuperbi voluerunt, *in tentationes varias incidere*, nec raro etiam, ut ingenio ſuo indulgerent, ab Eccleſia exierunt. Illud hic paucis dixerim, decreviſſe Deum (id enim indubitatis exemplis conſtat), ut eæ res, quibus Crucis ſignum per tranſeuntem etiam actionem imprimitur, tali virtute præditæ efficiantur, ut Dæmones ab eis aufugere debeant; quæ quidem virtus ſi generaliter loquimur, per aliquod tempus tantum durat: hinc Crucis ſignum ſuper ſe ipſos iterabant Chriſtiani. Si vero de peculiari illa actione loqueris, qua Epiſcopus ſacrum chriſma adminiſtrat, cum peculiari divino decreto indelebile Animæ ſignum per eandem actionem imprimatur, ſignum iſtud iterari nefas eſt: qua de re hic non agimus, quoniam alterius diſputationis uberrima materia eſt. Concludamus hoc caput, atque adeo Tractatum integrum ea recolendo, quæ de pietate, atque utilitate in hoc ſigno inhærentibus nuper diximus. Quod ſi Proteſtantes a vobis petant, cur muſcas hyemali etiam tempore Crucis ſigno abigamus, (neque enim ad alios uſus ſignum iſtud non pauci ex iis aptum cenſent) cum jam nullæ ſint muſcæ; vos ſtatim reponite, ob multos quidem fines adhiberi ſignum Crucis, ſed potiſſimum ad eas abigendas muſcas, quarum Princeps eſt Beelzebub. Nos ex hac tractatione uberem fructum conſequamur paſſionis illius, quem oportuit in Cruce exaltari, (*b*) *ut omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam: iis, qui dii falſo nominantur, opponens mortuos* (Sanctos nempe Chriſti imitatores, Crucisque amatores) *quorum concedatur interceſſionibus, ut & hic cum eadem victoria certaminum terminus occupet; & nos ab his, & ab illo adjuti, ſimus vehementes amatores certaminum philoſophiæ* (*i*) [Chriſtianæ].

(b) Joan. 3. 14., & 15.

(i) Theodoretus in Thalelæo.

Finis. Deo gratias.

CUNCTA ROMANÆ ECCLESIÆ JUDICIO SUBJECTA SUNTO.

IN-

INDEX.

Niſi præceſſerit littera a, quæ *appendicem de Cruce* innuit, diſſertationem, ideoque illius capita, & paragraphos intellige. In indicanda appendice prima littera ſectionem indicat, ſecunda caput, tertia §.

A

Abſolutus non eſt cultus, qui imaginibus defertur, ſed relativus, 40. & 41. totis capitibus. Idem dic de cultu delato Cruci. a.2.14. toto capite. Rurſus ſec.3.10. toto capite.

Celebratiſſima Adriani Pontificis epiſtola pro Sanctarum imaginum cultu allegatur 11. §. 18. 21. 22. & deinceps ſæpiſſime. Ejuſdem epiſtolæ capita cum capitibus librorum Carolinorum conferimus 15. 5. Eandem epiſtolam nunc integram non haberi, oſtendimus 15. 6. & ſeq.

De Alemannis, & *Armenis*, quos Sacrarum imaginum cultui adverſatos fuiſſe affirmat Nicetas hiſtoricus, agimus toto cap. 32.

Anulos, in quibus ſculptæ eſſent Cruces, a priſcis Chriſtianis fuiſſe delatos, traditur 9. 1. 6.

Quidam Auguſtini locus adverſus venerationem imaginibus adhibitam allatus, explicatur toto cap. 20.

B

Bellarminus a mordacibus Dallæi aculeis vindicatus a. 3. capitibus 4. & 5. totis.

Benaglia (*Julius*) Auguſtinianus laudatus 30. 2.

Benedictus XIV. Sanctiſſimus Pontifex noſter allegatus a. 2. 5. (in margine) rurſus 3. 2. 13. Denique cap. 9. §. 3.

C

De Carolinis libris copioſiſſime agimus cap. 23. & octo ſubſequentibus totis; in quibus quidem multa de Carolo Magno attingimus.
Cereos, & alia lumina fuiſſe ante Sacras imagines honoris cauſâ accenſa, oſtendimus cap. 37.
In vetuſtiſſimis Chriſtianorum cœmeteriis ſacras Crucis imagines priſcis ipſis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe formatas: a. 3. 2. & 15. annot. 2.&c.
Crucis, illiuſqe cultus hoſtes recenſentur, a. ſect. 1. cap. unico toto.
Num cultus, qui imaginibus defertur, abſolutus ex aliqua parte ſit, an prorſus relativus, oſtendimus capite 38. & totis ſex ſubſequentibus. Ejuſdem cultus probitatem vindicamus cap. 45.
Cultus Cruci delatus. Vide *Crux*.
Crucem Dominicam fuiſſe Conſtantino M. imperante repertam, oſtendimus a. 2. 1. capite, & ſubſeq. novem totis.
Illius particulas ſummo ſtudio fuiſſe a Fidelibus perquiſitas, oſtendit totum caput 7. ſectionis 2; ſubſequens vero objectiones diluit adverſus propoſita eodem cap. 7.
Feſtos, ſolemneſque dies in inventæ Crucis memoriam jam pridem fuiſſe ab Eccleſia inſtitutos, diſcis ex capite 9. ſectionis 2.
Quam quidem Crucem a Perſis Hieroſolyma ablatam, deinceps, victo Choſroe Perſarum Rege, eidem Urbi reſtitutam fuiſſe probamus ſect. 2. 10. De cultu eidem Cruci adhibito diſſerimus cap. 11. Vindicat ipſum cultum ab objectionibus ſubſequens caput, ideſt 12. Recte vero, ac prudenter inſtitutum evincit cap. 13. Qualitatem, ac genus ejuſdem cultus declarat caput 14. ejuſdem ſectionis II.
Dominicæ porro Crucis imagines a vetuſtiſſimis Chriſtianis apud ſe fuiſſe ſervatas; eaſdem quoque, cum licebat, ab iiſdem fuiſſe in locis publicis erectas, traditur capite I. ſectionis III. Docet vero ſecundum ejuſdem ſectionis caput, vetuſtiſſimis ipſis Eccleſiæ ſeculis in ſacris etiam locis, eas, quas diximus, Dominicæ Crucis imagines fuiſſe formatas; nec iiſdem caruiſſe dicimus ſacra ipſa Martyrum cadavera §. 15. &c. In tertio porro capite ea diſſolvuntur argumenta, quibus impetuntur ſuperiori capite tradita.
Dominicæ Crucis imaginibus a priſcis etiam Fidelibus, & deinceps etiam fuiſſe venerationem adhibitam, tota capita IV. V., & VI. ejuſdem ſectionis oſtendunt. In VII. oc-

currimus quibuſdam Dallæi conjecturis adverſus antiquitatem hujuſce ritus. VIII. celebratiſſima Minucii verba illuſtrat. IX. quàm laudabilis idem cultus ſit: qualitatem vero ac genus illius declarat X.

De Crucis, quam *tranſeuntem appellant* (ea ſcilicet, quam manibus in fronte, vel reliquo corpore, atque aliis etiam in rebus deſignare ſoliti ſumus) agit tota ſectio IV., cujus primum caput vetuſtatem, & continuationem hujuſce ritus ſibi vindicat: oſtendit vero ſecundum, eodem ſigno præſertim uſos fuiſſe Fideles in Sacramentorum adminiſtratione. Myſteria in eo ſigno comprehenſa recenſet Caput III. in quo etiam diligenter copioſeque de iis agimus verbis, quæ comitari illud ſolent. Pietatem illius declarat Caput IV. Porro V. utilitatem; cujus defenſionem ſibi vindicat VI.

D

DAllæus refutatus 1. 2. 2. & deinceps ſæpiſſime.

G

GEntiles imagines ipſas ſuorum numinum colebant. 22, 3. & ſubſeq.

Gotti (Vincentius Cardinalis) allegatus 41. 8.

Gregorius Magnus ſacras imagines coli minime vetuit. ca. 22.

Gretſerus cap. 42. 23. anno: 39. rurſus cap. 43. 4. Etiam cap. 45. 25., & alibi ſæpiſſime allegatus.

I

IMagines ſacras num Hebræi coluerint? Cap. 1. Num Chriſtiani? cap. 2. & ſubſeq. tribus. Capitibus vero 6. & ſubſequenti. objectiones adverſus perſuaſionem noſtram inſtitutas diluimus.

Sacras Imagines propoſitas fuiſſe ad venerandum, oſtendimus cap. 33. Subſequenti vero (ideſt 34.) de eo ritu diſſerimus, quo eaſdem imagines honorifice in publicis ſup-

ſupplicationibus, &, uti eas appellare conſuevimus, proceſſionibus, deferimus. 35. porro vindicamus ab objectionibus eum, de quo ſuperiori capite diſputavimus, ritum.

Iiſdem ſacris Imaginibus oſcula imprimere, & ante eas genua flectere, & ſe proſternere conſueviſſe Fideles, evincit caput 36. Ante Sanctorum imagines cereos, & alia lumina accenſa: thus quoque, aliaque odora fuiſſe adoleta, habes capite 37. Eum, qui imaginibus defertur, cultum, relativum eſſe, aſſequeris ex capitibus 40. & 41. Capitibus porro 42. & 43. ſolvuntur objectiones adverſus tradita ſuperioribus duobus capitibus. Probitatem hujuſce cultus docet caput 45.

M

Nihil MAteriale, aut inanimum coli poſſe, quonam ſenſu a vetuſtis Scriptoribus traditum ſit: toto capite 31. Ea etiam conſule, quæ §. 15. capitis 42. tradimus.

Deſumptum a quibuſdam Minucii Felicis verbis argumentum, quo Bellarminus ad ſtatuendam antiquitatem cultus adhibiti imagini Crucis utitur, a Dallæi dicteriis vindicatur, a. ſe. 3. toto capite 8.

Myſteria ſigno Crucis comprehenſa. a. IV. 3. toto capite.

O

OScula ſacris imaginibus fuiſſe impreſſa, oſtendimus cap. 36.

P

PIetatem in Crucis ſigno inhærentem explicat caput 4. ſectionis IV.

Probitatem cultus ſacris imaginibus delati aſſerimus toto capite 45.

Proceſſiones, in quibus ſacræ imagines deferantur, jampridem fuiſſe actas, oſtendimus toto capite 34.

Rela-

R

R Elativum eſſe adhibitum ſacris imaginibus cultum, habes capite 40. & quatuor ſubſequentibus totis.

S

SAvonarola allegatus 41. 14.
Synodus Conſtantinopoli, imperante Copronymo, coacta, imagines quidem coli vetuit, ſed illius decreta nullam habent auctoritatem 12. 2.
De Synodo Gentiliaci, Pipino imperante, celebrata agimus 12. 3. 4. & 5.
Synodi Francofordienſis canon II. adverſus imaginum cultum objicitur, & illuſtratur 12. 6. & ſequen.
De Synodo Pariſienſi, imperante Ludovico Pio adverſus imaginum cultum coacta, differimus capite 22. & totis ſubſequentibus octo.

T

TErtulliani celebratiſſimum teſtimonium (*Sed & qui Crucis nos religioſos putat &c.* apol. 16.) expenditur ap. ſc. 3. toto cap. 4.

V

De VErbis ſignum Crucis comitantibus agimus, 2. 4. 3. 7. & ſequen.
De Utilitate ejuſdem ſigni agimus 2. ſec. 4. capite V. Subſequenti vero (ideſt capite VI.) objectiones adverſus ſuperiori capite dicta diſſolvimus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. C. 28.

Digitized by Google